At the Court at *White-hall*, *August* 22th. 1678.

Let this Book, entitled *The Chronicle of the Kings of* England *to the end of the Heptarchy*, be Printed.

By Order of the right Honourable Mr. Secretary *Williamson*.

William Bridgeman.

At the Court at *White-hall*, *August* 22th. 1678.

Let this Book, entitled *The Chronicle of the Kings of* England *to the end of the Heptarchy*, be Printed.

By Order of the right Honourable Mr. Secretary *Williamson*.

William Bridgeman.

CHRONICON REGUM ANGLORUM,

INSIGNIA

Omnia eorum Gesta, tum Bellica ac Civilia, tum Ecclesiastica, ab *HENGISTO* Rege primo, usque ad Heptarchiæ finem, Chronologicè exhibens.

Unà cum

Regum Catalogis, & Schematibus genealogicis cupro incisis.

PER

DANIELEM LANGHORNIUM, S.T.B.

LONDINI,

Typis E.F. Impensis *Benj. Tooke*, ad insigne Navis in Cœmeterio Paulino. MDCLXXIX.

gen R. 60. Art

Viro Ampliſſimo

Atque

Honoratiſſimo, Domino

JOSEPHO WILLIAMSON,

Equiti Aurato, Sereniſſimæ

REGIÆ MAJESTATI

à Secretis Statûs, & à Sanctioribus Conciliis,

Necnon

Societatis Regiæ *Londinenſis* de Scientia naturali promovenda Præſidi digniſſimo.

PRiſcorum Græciæ Romæque Heroüm ingens atque invidenda, Vir Clariſſime, erat felicitas, qui floridiſſimos terſiſſimóſque geſtorum ſuorum præcones obtinuerunt; contrà autem, noſtrorum iis minimè cedentium miſeranda erant fatâ, quorum Scriptores aut in confragoſi ſermonis ſcopulos adeò miſerrimè impegerunt, ut legentibus faſtidio eſſent; aut, principum gloriæ nimium ſtudentes, tot ridenda iis trophæa affinxerunt, ut ani-

les fabulas potiùs quàm Annales inſtituiſſe videantur. Atque hæc eorum errata ipſi Heroës luunt, dum aliis, propter ſtyli barbariem, vix aut nè vix obiter unquam delibati parùm innoteſcant; ab aliis verò, propter figmentorum vanitatem, tanquam nulli prorſus explodantur. Id ferè Arturio præſtiterat Hiſtoriæ Britannicæ conſarcinator, dum Epiſtrephum Græcorum, Muſtenſarum Parthorum, Alifatinam Hiſpaniæ, Hyrtacum Africanorum, Boëtium Medorum, Sertorium Libyæ, Teucrum Phrygiæ, Xerxem Ituræorum, Pandraſum Ægypti, Micipſam Babyloniæ, Politem Bithyniæ, Evandrum Syriæ, Æthionem Bœotiæ & Hippolytum Cretæ reges ac duces, tantummodo ut ab illo cæderentur, procudit, ſuæque de eo Hiſtoriæ inſerſit. Neque enim eſt quòd miremur, ſi tantus Nugator tot uno eodémque in loco larvas acervatim conglomerare auſus, etiam alibi ſparſim Eldolum atque Eldadum, & Tremorinum atque Utherum Pendraconem, aliósque nonnullos homines Utopicos, antiquioribus cunctis planè incognitos atque inauditos, venditare primus & credulis lectoribus obtrudere non erubuerit. Et quamvis Galfridum interpretem haud pauca ſui cerebelli de Arturio commenta inſuiſſe meritò ſentiamus; ab ipſo tamen Authore, ante cœptam Monumethenſis tranſlationem,

Galfr. Mon. lib. 7. cap. 5.

tionem, complures Britonum *de eo* nugas delirantes *fuiſſe intertextas, ex Guilielmo Malmesburienſi intelligimus*; *qui &* Antiquitatem næniarum *regem prædictum haud mortuum, ſed* adhuc (*ſcilicet quum ille hæc ſcripſit*) eum venturum fabulari, *narrat. Arcturii ſanè hiſtoriam quanta potui cum diligentia defæcatam atque elimatam hîc exhibui; ejúſque victorias, nullâ idoneâ annorum conſignatione apud probatum quempiam authorem illuſtratas, ad ea potiſſimùm tempora retuli, in quibus rariſſimi Angloſaxonum ſucceſſus memorantur; adcóque inter prælia Ambroſianum & Cerdicfordienſe collocavi: ipſius ſcilicet virtute obicem Cerdico poſitum opinatus, quò minùs ante annum adventûs ſui quartum ſupra viceſimum ille regnum Viſiſaxonicum ordiri ac fundare poſſet. Quóad belli Badonici tempus ab Eruditiſſimo Uſſerio diſcedere neceſſum habui, quum eo quo, juxta ejus ſupputationem, Gildas anno (viz. quingenteſimo ſexageſimo quarto) ſcripſerit, Modredi filii, poſt annos viginti duos à patris cæde exactos, haudquaquam* Pueri *aut* Tenerrimi *forent appellandi. Porrò, Joannem Speedæum aliósque quoſdam modernos ſcriptores, qui poſt Oſwii mortem, ſuâpte tantùm authoritate nixi, à Northumbrenſibus Monarchiam protinus ad Mercios tranſtulerunt, ac proinde Vol-*

Malm. lib. 1. cap. 1. lib. 3.

Gild. epiſt.

pherum, Ætheldredum, Cenredum ac Ceolredum inter Monarchas recenſuerunt, minimè ſequendos duxi, quum clariores auguſtioréſque eo temporis ſpatio Egfridus Northumbrenſis, Cedovalla atque Inas Viſiſaxones emicuêre. Pro iis tamen facere videntur Guilielmus Malmesburienſis & Florentius Vigornienſis. Quorum ille de Ætheldredo loquens, Hic eſt, *inquit*, qui, contemporaneus Inæ regis Weſtſaxonum, privilegium quod *Sanctus* Aldhelmus à Roma attulit ſuâ quoque authoritate roboravit. *Verùm non hic Inæ, tanquam Rex ſuperior inferioris, ſed Sergii Papæ chartam pro libertate aliquot monaſteriorum quæ etiam in* Mercia *Aldhelmus habuit* Roborâſſe *intelligendus eſt; ſicut &* privilegium *illud quatenus ad eorum quæ in Viſiſaxonum regno ſita erant monaſteriorum libertatem ſpectabat* Libens confirmâſſe *Inas ipſe ab eodem Guilielmo dicitur. Immo quidem ambo reges conceſſo à Papa monaſteriis in utroque regno Viſiſaxonico & Mercio poſitis privilegio junctim ſubſcripſerunt, idémque per ſua dominia concordes ſtabilierunt. Adeóque nulla ſuperioritas hinc evincitur, nec Ætheldredus Inæ* roborâſſe *magis quàm Inas Ætheldredi* confirmâſſe *privilegium deprehenditur. Florentius Oſſerum Vicciæ ſeu Vigorniæ ſubregulum eidem Ætheldredo*

Malm. lib. 1. cap. 4. & 2.

con-

conſulentem introducit, Quatenus ſuum quod tunc cæteris regnis præminebat Angliæ pluribus antiſtitibus decoraret venuſtiùs ac honoraret ſublimiùs. *Fuit autem iſte ſubregulus Ætheldredo ſubditus, potuerátque regi ac domino proprio plùs æquo adblandiri. Et quidem poſt id temporis in Hatfeldienſi concilii ſub ipſius Ætheldredi ditione celebrati præfatione, ejus tamen nomen Egfrido poſtpoſitum invenitur; & quicquid Oſwius moriens reliquit, idem Egfridus filius potentior tenuit, adjectis inſuper Deiræ & Lincolniæ provinciis Alfredo fratri & Volphero Mercio ademptis. Poſt Egfridum Cedovalla Viſiſaxo Auſtrales Saxones & Vectenſes, Merciæ regibus antea ſubditos, regno ſuo adjecit. Et Romæ in monumenti inſcriptione non modò* Occidentalium Saxonum, *ſed generatim* Saxonum rex *appellatur. Et Paulus Varnefridus, de Cuniberto rege agens, Cedovallæ hujus meminit, &* Regem Anglorum Saxonum *vocat, ſuprematum quendam ſubinnuens. Ejúſque ſucceſſor Inas civitatem Londinum, ſi non totam Eſtſaxoniam, Merciis, quibus antea paruerant, ereptam imperio ſuo addidit; nec ſolùm crebrò* Rex Anglorum, *ſed etiam à Simeone Dunelmenſi* Rex Famoſiſſimus per totius fines gentis Anglorum *appellatur, eique delatam fuiſſe* Campoduni

Flor. in Pont.

Bed. lib. 4. cap. 17.

Bed. lib. 5. cap. 7.

Paul. de Longob. lib. 6. cap. 15.

Sim. Dun. in geneal. Altr.

duni *à cæteris Saxonum regibus in commune conſulentibus imperii ſummam, prodit Joannes Caſtoreus. Hæc ſunt quæ contra Æltheldredi patronos illos recentes, (nam pro Volphero, Cenredo & Ceolredo nihil adduci poſſe autumo,) pro ſuprema Egfridi, Cedovallæ atque Inæ inter Heptarchas dominatione in medium proferri meritò poſſe arbitrabar, ut quam ego Monarcharum inſtitui ſeriem aſſererem atque vindicarem. Quibus artibus quantiſque ſudoribus Hengiſtus (licèt à fortiſſimis bellatoribus Vortimero & Ambroſio impugnatus) regnum Anglorum in Britannia condidit tenuitque, Ceulinus dilatavit ac ſtabilivit, Æthelbertus, Edovinus, Oſuvaldus & Cinigiſilus religione Chriſtianâ exornârunt; quantos labores Patricius Armachanus pro Hybernis, David Menevenſis & Gildas pro Britonibus, Auguſtinus, Paulinus, Aidanus, Felix, Birinus, Aldhelmus & Beda pro Anglis exantlârunt; hîc oſtendere ſategi. Nec ulla quidem ſecula tum Heroüm tum Sanctorum feraciora inveniuntur, quàm quæ tractatus iſte digerit; quippe qui, vicinis ferè omnibus populis ſtertentibus, ac quodam quaſi veterno elangueſcentibus, non patriam duntaxat ſuam eximiis animorum dotibus ac ſummâ fortitudinis pariter & pietatis laude cohoneſtârunt, ſed & exteris quoque*

gentibus

gentibus transfuſam doctrinæ omnifariæ & puræ religionis gazam opulentiſſimam mente devotâ communicârunt. Ea profectò aurea illa ætas fuit, quâ non tantùm Imperatores (juxta Romani illius ſenis votum) philoſophiæ ſtuduerunt, & Philoſophi imperârunt; ſed quâ, (quod longè eſt nobilius,) Reges Apoſtolicâ ſanctitate, & Sancti Regiâ dignitate præfulſerunt. Quintum erat Chriſtianæ æræ ſeculum Mutatione Dexteræ Excelſi *inſigne, quo Franci & Burgundiones in Gallia, Viſigothi & Suevi in Hiſpania, Hunni, Gepidæ & Longobardi in Pannonia, Vandali in Africa, Angli & Saxones in Britannia, Heruli atque Oſtrogothi in ipſa Italia ſedes regias poſuerunt; quaſi unanimi conſenſu, aut potiùs Divino inſtinctu,* Direptorem diripere, *Romanámque aquilam furtivis (dicam? an raptis?) exuere plumis & denudare conjurâſſent. Et quamvis primò quidem atrociſſima immanis ſævitiæ ſpecimina Angloſaxones edidiſſe à Gilda, Nennio & Galfrido arguuntur, quippe qui ſtrages infinitas perpetrâſſe, ac priſcos Britanniæ mores ac conſuetudines, priſcas leges, priſca locorum nomina, atque ipſam linguam priſcam, per maximam inſulæ partem extinxiſſe atque obliteràſſe dignoſcuntur; (quod inſolentiæ victrici ac enutritioni barbaræ & paganæ tribuendum cenſeo;)*

ſeo ;) tamen, poſt ſuſceptum ſuave Chriſti jugum, ex lupis truculentis agni omnium mitiſſimi evaſerunt. Egredientibus è Ger-
Gild. epiſt. *mania prædictum erat, Quòd* ter centum annis patriam cui proras librabant inſiderent ; centum verò & quinquaginta, hoc eſt, dimidio temporis, ſæpius vaſtarent. *At quàm feliciter myſtas ſuos fefellit dæmon, & ipſe fallebatur, hinc conſtat, quòd anni illi trecenti in annum Domini ſeptingenteſimum quadrageſimum nonum deſinunt, quo tempore Æthelbaldo Mercios, Cudredo Viſiſaxones regentibus, florentiſſimus, ſi unquam aliàs, fuit Heptarchiæ ſtatus ; atque exinde per tot annorum centurias hîc permanſerunt. Et quanquam è celebrioribus Danorum ac Normannorum familiis nonnulli convenæ hîc conſederint ; ipſi tamen corpus molémque gentis noſtræ Angloſaxones, non obſtante etiam Merlini vaticinio, huc uſque conſtituerunt. Hanc autem Heptarchiæ eorum vetuſtæ Hiſtoriam Amplitudini veſtræ nuncupare ut auderem, illud mihi cum primis animos addidit, quòd iſtum noſtrum quamlibèt tenuiſſimum conatum vobis haud ingratum eſſe vel injucundum, perlectis Schedis coràm innuere dignareris. Jámque in latiſſimo præconiorum veſtrorum campo exſpatiari, & compertum veſtrum Candorem, politiſſimam Literaturam, Lectionem multiplicem,*

tiplicem, ſummam Humanitatem, Ingenii acumen, Judicium limatiſſimum, eximium erga ſtudia honeſta Amorem ac Patrocinium benigniſſimum, ſpectatam in rebus gerendis Prudentiam, & in conciliis Sagacitatem, aliáſque Virtutes præſtantiſſimas ubique propalatas, quæ Regum Optimo charum, patriæque colendiſſimum, regnique Anglicani infantiæ, ſub primis iſthic in hoc Opere Principibus exhibitæ, nutritium reddidêre deſideratiſſimum, jure optimo celebrare poteram; ni vererer, nè quis illud Antalcidæ Spartani de Sophiſta Herculem laudante in me retorqueret, Quis unquam, quæſo, eum vituperaverit? *Interea haud abs re fuerit notare, hoc noſtris Britonibus encomium deberi, quòd, cùm cæteri populi, olim Romanis ſubjecti, inter digladiantes barbaros ſe tanquam viliſſima mancipia partiri, diſtribui ac permutari imbelles attonitique paterentur; ſoli illi arma corripere, ac pro libertate contra Germanorum fortiſſimos animo imperterrito dimicare non reformidaverint. Authores quos ſecutus ſum adeò fideliter citavi, ut nullas eorum ſententias aut lineas, quantumlibèt ævi obſoleti craſſitiem inſipidam redolentes, ullatenus concinnandi ergô immutarem, ſed omnia ex iis deſumpta teſtimonia verbatim inſerui. Veſtro favore veſtrâque comprobatione atque adhortatione*

hortatione fretus, ulteriorem telam pertexendi, Regúmque etiam reliquorum geſta dehinc moliendi atque exordiendi, fiduciam concepi. Iſta aliquando forſan à gravioribus Arcani Concilii negotiis recedentem quodammodo relaxaverint, intentúmque diutiuſculè animum placidè reſolverint. Deus Opt. Max. Amplitudinem veſtram publico regni commodo diu incolumem, nobiſque propitiam ut conſervet, ſeriò precatur

Honoris veſtri

Obſervantiſſimus,

Daniel Langhornius.

ERRATA.

Pag. 6. *lin.* 21. *leg.* Lidiatus. *p.* 19. *l.* 1. *delt* &c. *p.* 79. *l.* 1. *del,* &c. *p.* 109. *l.* 28. *leg.* Brudeum. *p.* 114. *l.* 2 Alleluja. *p.* 117. *l.* 21. Conſtantini ad. *p.* 126. *l.* 9. Aldiberta. *p.* 140. *l.* 7. mewn. *p.* 155. *l.* 31. valuit. *p.* 161. *l.* 20. populo. *p.* 162. *l.* 28. Sigebertum Parvum, Sevardi — *p.* 168. *l.* 17. ſuſcipere. *p.* 170. *l.* 6. Hereſico. *p.* 173. *l.* 26. Cyrenceſtriam. *p.* 186. *l.* 23. Aſterium. *p.* 188. *l.* 1. Seniorum. *l.* 21. epiſcopalis. *p.* 218. *l.* 30. Viridani. *p.* 220. *l.* 24 præſidentibus. *lin.* 36. ſepultus. *p.* 229. *l.* 7. videretur exorta. *p.* 232. *l.* 27. Hertfordienſi. p. 289. *l.* 31. Oſuvinum.

Primum Stemma Regum Britannorum.



2.

Stemma secundum.



Stemma tertium ex Nennio.



Stemma quartum.



Stemma quintum.



Genealogia Heptarcharum primorum



Stemma regum Visisaxonum.



7. *Stemma regum Visisaxonum 2: dum.*



Stemma regum Cantianorum.



Stemma regum Cantianorum 2dum



Stemma regum Australium Saxonum.






Iffius.
1. Alla R.
5. Oſwi: nus R.
3. Oſricus R.
Alfricus.
Quenburga Caroli Merciæ regis filia.
2 Edwinus. R.
Æthel: burga.
Filia ano: nyma.
Acca.
Adelfridus Bernicia rex
Offridus
Elfridus
Hereri: cus
Hilda Abbatiſſa
Hereſus da. Ethel: herio et Anæ regi nupt: ta.
Iffius.
Æthel: hunus.
Buſcreas.
Anfleda Oſwio nupta
Adelteru: dis
Anfridus.
Oſlaphus.
Offa.
Oſwius. R.
Oſlacus.
Ebba abbatiſſa
4 Oſwal: dus. R.
6 Adelwal: dus. R.
Adelber: tus dia: conus.
7. Alfredus.
Oſwidus

Stemma regum Estsaxonum.



Stemma regum Eſtanglorum.



Stemma regum Merciorum.



5.

Stemma regum Merciorum 2.dum



Stemma regum Berniciorum.



Stemma regum Berniciorum 2.dum



Northumbriæ Inseſsores.

Merciæ Inseſsores.

Stemma Eſtanglorum 2.dum



Finis.

CHRONICI REGUM *ANGLORUM*

Pars Prima.

I. *HENGISTUS.*

REGUM Anglorum Chronicon ſcripturo, ab Hengiſto, qui prima noſtræ Monarchiæ fundamenta jecit, auſpicandum eſt. Huic pater fuit Vitigiſilus, qui inter Saxonum, Anglorum & Jutarum, Cimbricam Cherſoneſum incolentium, toparchas, ſive dodecarchas, facilè primas obtinuit. Britannos, eorúmque *ſuperbum* ac *infandum tyrannum* Vortigernum, denegato à Romanis, & Aëtio Romanæ militiæ magiſtro, (in Gallia tum degente, ac tertium cum Symmacho conſulatum gerente,) adverſus Pictos Scotóſque auxilio, eum accerſiiſſe ſcriptores antiquiſſimi graviſſimíque prodiderunt, Gildas ſcilicet ac Beda, Paulus Diaconus, Lupus Servatus

CHRONICI REGUM *ANGLORUM*

Pars Prima.

I. *HENGISTUS.*

REGUM Anglorum Chronicon ſcripturo, ab Hengiſto, qui prima noſtræ Monarchiæ fundamenta jecit, auſpicandum eſt. Huic pater fuit Vitigiſilus, qui inter Saxonum, Anglorum & Jutarum, Cimbricam Cherſoneſum incolentium, toparchas, ſive dodecarchas, facilè primas obtinuit. Britannos, eorúmque *ſuperbum* ac *infauſtum tyrannum* Vortigernum, denegato à Romanis, & Aëtio Romanæ militiæ magiſtro, (in Gallia tum degente, ac tertium cum Symmacho conſulatum gerente,) adverſus Pictos Scotóſque auxilio, eum accerſiiſſe ſcriptores antiquiſſimi graviſſimíque prodiderunt, Gildas ſcilicet ac Beda, Paulus Diaconus, Lupus Servatus

(in vita Sancti Vigberti,) Fabius Æthelvardus, Annales Angloſaxonici, Henricus Huntingdonienſis, Matthæus Veſtmonaſterienſis, & alii. Quam Britannorum legationem ità pertexit Vitichindus Corbeienſis. Britannia à Veſpaſiano principe jam olim inter provincias redacta, & ſub clientela Romana multo tempore utiliter degens, à vicinis nationibus impugnatur, eò quòd auxilio Romanorum deſtituta videretur. Populus namque Romanus, martiali (hoc eſt, bellicoſo) Imperatore (ſcilicet Gratiano, vel Maximo) à militibus interfecto, externis bellis graviter fatigatus, non ſufficiebat ſolita auxilia adminiſtrare amicis: exſtructo tamen ingenti opere ad munimen regionis, inter confinia, à mari uſque ad mare, ubi impetus hoſtium videbatur fore, relinquebant regionem Romani. Sed hoſti acriori, & ad bellandum prompto, ubi gens mollis & pigra belli reſiſtit, nulla difficultas in deſtruendo opere fuit. Igitur famâ prodente de rebus à Saxonibus proſpere geſtis, ſupplicem mittunt legationem ad eorum poſtulanda auxilia. Et procedentes legati, Optimi, inquiunt, Saxones, miſeri Bretti, (ſive Britti) crebris hoſtium incurſionibus fatigati, & admodum contriti, auditis victoriis à vobis magnificè patratis, miſerunt nos ad vos, ſupplicantes ut ab eis veſtra auxilia non ſubtrahatis. Terram latam & ſpatioſam, & omnium rerum copiâ refertam, veſtræ mandant ditioni parére. Sub Romanorum hactenus clientela ac tutela liberaliter viximus: poſt Romanos vobis meliores ignoramus; ideo ſub veſtræ virtutis alas fugere quærimus. Veſtrâ virtute, veſtris armis, hoſtibus tantùm ſuperiores inveniamur; & quicquid imponitis ſervitii libenter ſuſtinemus. Patres

Vitich. *de geſt. Saxon. lib.* 1.

ad

ad hæc pauca reſpondent; Certos amicos Brettis Saxones ſciatis, & eorum neceſſitatibus atq; commodis æquè ſemper affuturos. Legati lætì redierunt in patriam, exoptato nuncio ſocios lætiores reddentes. Deinde promiſſus in Britanniam mittitur exercitus, & gratanter ab amicis ſuſceptus, brevi liberat regionem à latronibus, reſtituens patriam incolis. Neque enim in id agendo multum laboris fuit; quippe qui jam olim auditâ famâ Saxonum perculſi terrebantur, dummodo præſentiâ eorum procul pelluntur. Erant autem hæ gentes Brettis adverſæ, Scoti, & Pehiti, (ſive Picti,) adverſus quos militantes Saxones accipiebant à Brettis omnia ad uſum neceſſaria. Manſerunt itaque in illa regione aliquanto tempore, vicariâ Brettorum bene uſi amicitiâ. Ut autem viderunt principes exercitûs terram latam ac fertilem, & incolarum manus ad bellandum pigras, ſe verò, ac maximam partem Saxonum, ſine certis ſedibus, mittunt ad vocandum majorem exercitum, & pace cum Scotis & Pehitis firmatâ, in commune contra Brettos conſurgunt, eóſque regione propellunt, ſuæ ditioni regionem diſtribuunt. Hactenus Vitichindus. At contrà Nennius, Galfridus Monumethenſis, & Joannes Gerbrandus Leidenſis, tot tantiſque authoribus refragari auſi, non à Britannis invitatos, ſed à ſuis patriâ fortilegio depulſos, adveniſſe Hengiſtum & Horſum ſcribunt. Sed diſcrepantes has ſententias ità conciliare nititur Guilielmus Malmesburienſis. Placuit omnibus Anglos & Saxones è Germania evocandos, armis validos, ſedibus vagos: geminum futurum commodum, ut armis invicti facilè hoſtes propulſarent; & hactenus locorum incerti, pro ingenti annumerarent beneficio, ſi

Guil. Malm. *de Reg. lib.* 1. *cap.* 1.

vel ſqualidum ſolum jejunúmque ceſpitem ad habitandum ſuſcepiſſent. Cæterùm nunquam eos aliquid contra patriam molituros, quoniam genuinam feritatem morum emolliret memoria beneficiorum. Probato conſilio, mittuntur in Germaniam legati, ſpectabiles ſanè viri, & qui dignè perſonam patriæ induerent. Germani audientes rem mille votis petitam à ſe ultro expoſtulari, vicino pede paruerunt, celeritatem negotii lætitiæ ſtimulis maturantes. Valedicentes igitur arvis genitalibus, renunciantes parentum affectibus, fortunæ vela committunt, placidóq; ventorum favore, tribus longis navibus, quas illi ciulas vocant, Britanniam allabuntur. Venerunt autem & tunc & ſequenti tempore de tribus Germaniæ populis, Anglis, Saxonibus, Jutis. Omnis enim ferè terra quæ trans oceanum Britannicum ſub ſeptentrionali axe jacet, quia tantum hominum germinat, non injuriâ Germania vocatur, licèt multis provinciarum limitibus diſtincta. Quapropter ſicut hi, quibus id muneris eſt, laſcivientes arboris ramos ſolent ſuccidere, ut reliquorum vitæ ſucco ſuo poſſit ſufficere: ſic incolæ aliquorum expulſione matrem alleviant, nè tam numeroſæ prolis paſtu exhauſta ſuccumbat; ſed, ut facti minuant invidiam, ſorte ducunt eliminandos. Indè eſt quòd illius terræ homines invenerunt ſibi ex neceſſitate virtutem, ut natali ſolo ejecti peregrinas ſedes armis vendicarent; ſicut Vandali, qui olim protriverunt Africam, ſicut Gothi, qui poſſederunt Hiſpaniam, ſicut Longobardi, qui adhuc obſident Italiam, ut Normanni, qui partem Galliæ armis domitam incolentes vocaverunt Normanniam. Ex hac ergò Germania primò venit in Britanniam parva quidem manus,

nus, ſed quæ paucitatem ſuam virtute fulciret, ducibus Hengiſto & Horsâ, commodæ indolis fratribus, haud obſcurâ ſtirpe apud ſuos oriundis: erant enim abnepotes illius antiquiſſimi Woden, de quo omnium penè barbararum gentium regium genus lineam trahit; quémque gentes Anglorum Deum eſſe delirantes, ei quartum diem ſeptimanæ, & ſextum uxori ejus Freæ, perpetuo ad hoc tempus conſecraverunt ſacrilegio. Hactenus Malmesburienſis.

De tempore adventûs Angloſaxonum diſcrepant Hiſtorici; quorum tamen pars longè potior, Beda ſcilicet ac Fabius Æthelvardus, Annales Angloſaxonici, Guilielmus Malmesburienſis, Henricus Huntingdonienſis, Alanus de Inſulis, Matthæus Florilegus, & alii, eum in annum quadringenteſimum quadrageſimum nonum conjiciunt. Sed Chronicon quod Marci Maximi Cæſarauguſtani titulum præfert, ad annum quadringenteſimum quadrageſimum quartum; illud verò brevius Chronicon quod Tironi Proſpero tribuitur, ad annum quadringent. quadrageſ. primum, eorum adventum refert. Horum verò Chronicorum adeò incerta eſt authoritas, ut minimè digna jure habeantur, quæ luculento Gildæ Britanni (Bedæ, cæteríſque, quos antè nominavi, faventis,) teſtimonio anteferantur, qui poſt miſſas à Britannis ad Aëtium tertiò conſulem literas, eos fuiſſe accerſitos diſertè perhibet. Camdenus, lubricâ Britannici cujuſdam Chronographi ſupputatione ad Nennii calcem adjectâ nixus, annum quadringenteſimum viceſimum octavum, quo conſules erant Taurus & Felix, aſſignat. Supputationem illam Lectori hîc exhibebimus. *A mundi principio uſque ad Conſtantinum & Rufum quinquies mille ſexcenti*

centi quinquaginta octo anni reperiuntur. Item à duobus Geminis, Rufo & Rubellio, uſque in Stilichonem conſulem, trecenti ſeptuaginta tres anni ſunt. Item à Stilichone ad Valentinianum filium Placidiæ, & regnum Guortigirni, viginti octo anni: & à regno Guorthini (al. Guorthigirni) uſque ad diſcordiam Guitelini & Ambroſii anni ſunt duodecim, quod eſt Guoloppum, id eſt, Catgnoloph. Guortigirnus autem tenuit imperium in Britannia Theodoſio & Valentiniano conſulibus; & in quarto anno regni ſui Saxones ad Britanniam venerunt, Felice & Tauro conſulibus, quadringenteſimo primo anno ab incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti. Ab anno quo Saxones venerunt in Britanniam, & à Guortigirno ſuſcepti ſunt, uſque ad Decium & Valerianum, anni ſunt ſexaginta novem. At verò quàm mendoſa ſit iſta chronologia, cuipiam proclive eſt perſpicere. Cum Camdeno autem ſentit in ſuis Analectis, & ad Polyolbion notis, Seldenus, aſcitâ etiam Thomæ Lidiati authoritate. Verùm ille Liditus, quantumlibèt ab aliis Chronologis in ſua Temporum emendatione cæteroqui diſcedat, Anglorum tamen adventum non in Felicis & Tauri conſulatum, ſed in quintum ab Aëtii & Symmachi conſulatu annum conjicit. Quinetiam alius Chronographus Britannicus longè antiquiorem Saxonum in hac inſula conſtituit incolatum. *A tempore Guorthigirni*, inquit ille, *uſque ad bellum Badonicum, quo Arthurus dimicavit adverſus Saxones, & eos debellavit, centum viginti octo anni ſunt; à bello Badonico uſque ad bellum de Camilan, in quo cæſus eſt Arthurus, viginti duo anni ſunt.* Cùm autem Arcturius anno quingenteſimo quadrageſimo ſecundo interfectus ſit, ſubductis indè annis centum viginti octo,

Seld. *Anal.*

Priſ. *Hiſtor. Britan. Defenſ. pag.* 121. & 122.

octo, & aliis viginti duobus, æræ Dominicæ annus relinquetur trecentesimus nonagesimus secundus. Quo tempore sub Romanorum imperio Britannos vixisse pro comperto est. Nos igitur Hengisti transitum ad annum quadringent. quadrages. nonum, qui fuit regis Vortigerni quartus, authores antè productos secuti, referimus. Ille itaque fratérque Horsus, à Vortigerno Britannorum rege accersiti, Theodosio juniore ac Valentiniano Placidiæ filio imperantibus, Asterio & Protogene consulibus, cum tribus longis navibus, (quas Fabius Æthelvardus *Dromones*, Galfridus Monumethensis *Celoces*, Gildas *Cyulas* vocat, nostri linguâ vernaculâ Ræles appellant,) ad locum quem vulgo *Hypwines-fleot* esse nominatum Æthelvardus & Annales Anglosaxonici docent, quíque hodie *Ebsfleet* esse putatur in insula Thanato, appulerunt. Datâ acceptâque fide, tradita est eis prædicta insula ad habitandum; initúmque pactum, ut illi *invictis umbonibus sudores suos patriæ impenderent, recepturi emolumenta militiæ ab his quorum saluti vigilias prætenderent.* Indè Pictis & Scotis obviàm itur, qui, ut Henricus Huntingdoniensis testatur, jam venerant usque ad Stanfordiam in agro Lincolniensi. Cúmque hostes pilis & lanceis pugnarent, Anglosaxones verò securibus gladiísque longis rigidissimè decertarent, nequiverunt Picti & Scoti pondus tantum perferre, sed fugâ saluti suæ consuluerunt; Saxones victoriosi triumpho & prædâ potiti sunt. Sic non semel certatum, inquit Malmesburiensis; cúmque victoria semper consentiret Anglis, ut ferè fit in rebus mortalium, & istis successus accendit audaciam, & illis timor aluit ignaviam: eóque res processit, ut nihil magis Picti & Scoti

Anni Christi. 449.

Æthelv. *lib.* 1. *& Annal. Anglosaxon.*

Nennius. Guil. Malm. *lib.* 1. *de Reg.* Henr. Hunt. *lib.* 2.

Malm. *de Reg. lib.* 1.

quàm cum Anglismanus conſerere caverent. Jam quippe plurimùm adauctæ fuerant eorum vires. Poſt primam enim victoriam ampliſſimas in agro Lincolnienſi poſſeſſiones Hengiſto dederat Vortigernus: quâ liberalitate eos ipſi animos addiderat, ut civitatem, aut ſaltem oppidum munitum, ſibi, utpote regii ſanguinis viro, depoſceret. Quod ubi rex præ metu procerum concedere haud auderet, flagitanti tamen ut exiguum caſtellum intra anguſtum ſpatium, quantum ſcilicet taurino corio circumdare poſſet, in illa quam nuper acceperat terra exſtruere liceret, facilè annuit. Quo ille in tenuiſſimas corrigias diſſecto caſtrum (ut quondam Dido Byrſam) condidit, quod olim *Thongcaſter*, à corio diſſecto, Anglicè Thong dicto, appellabatur; hodie *Caſter* dicitur. Mox Vortigerno ſuggerit, ingens illi, non ſolùm à novis Pictorum Scotorúmque apparatibus, ſed à propriis ſubditis imminere periculum, qui, ægre illius regimen & imperium ferentes, Aurelianum Ambroſium, Conſtantini quondam imperatoris filium, in Armorica degentem, ad regium apicem evehere cupiebant. Proinde opus eſſe ut ſibi legatos in Germaniam amandare permittat, qui prolixiorem Angloſaxonum claſſem in ejus defenſionem adducant. Conſentiente Vortigerno; Hengiſtus, ut Malmeſburienſis ſcribit, non minùs acer ingenio, quàm alacer in prælio, aliquos ex ſuis in patriam remittit, qui regis & populi inertiam, inſulæ opulentiam exponant, ampla venire volentibus præmia proponant. Illi, mandata gnaviter exſecuti, brevi cum ſedecim navibus revertuntur. Octodecim habet Caſtridus; ſeptendecim Nennius: cujus tamen exemplaria illa quæ Gildæ nomen præferunt pro Malmesburienſi faciunt, & ſedecim

Idem ibid.

ſedecim tantùm habent. His Eſcus Hengiſti filius præfuiſſe videtur. Suſceperunt ergò, inquit Beda, qui advenerant, donantibus Britannis, locum habitationis inter eos, eâ conditione, *ut hi pro patriæ pace & ſalute contra adverſarios militarent, illi militantibus debita ſtipendia conferrent.* Secundus hic Anglorum adventus ad annum quadringenteſimum quinquageſimum cum Florentio Vigornienſi referendus eſt, quo Martianus imperare cœpit cum Valentiniano ſeptimum gerente cum Avieno conſulatum. Adduxerant novi advenæ filiam Hengiſti, *Ronixam* nomine, virginem quæ eſſet & naturæ miraculum, & virorum ſpectaculum. Hæc aliis *Heda*, aliis *Angela* nuncupatur. Jámque paulò poſt legatorum cum ſupradicta claſſe regreſſum, Vortigerno in caſtro recèns conſtructo adornatur convivium. Jubet Hengiſtus filiam fungi pincernæ munere, ut regis accumbentis oculos paſceret. Nec id fruſtrà fuit. Ea enim, ut Galfridus docet, aureum cyphum vino plenum ferens, & accedens deinde propiùs regi, flexis genibus dixit, **Lieber Kining, Waſs Heil.** At ille, puellæ visâ facie, admiratus eſt tantum ejus decorem, & incaluit. Denique interpretem ſuum vocavit, quem Nennius *Certic Elmet*, ſive *Cereticum Ulmetenſem*, appellat, (eſt autem *Ulmetum* ſive *Elmet* regiuncula in Eboracenſi comitatu,) illúmque quid puella dixerat interrogavit, & quid ei reſpondere debeat. Cui interpres; Vocavit te *Dominum Regem*, & vocabulo ſalutationis honoravit: quod autem reſpondere debeas eſt, **Dzinc Heil.** Reſpondens deinde *Vortigernus*, **Dzinc Heil**, juſſit puellam potare; cepítque de manu ipſius cyphum, & eam oſculatus eſt, & potavit. Ab illo

Beda *lib.* 1. *cap.* 15.

450. Florent. Vigorn.

Malm. *lib.* 1. *cap.* 1.

Galfr. *lib.* 3. *cap.* 1.

illo die uſque in hodiernum manſit conſuetudo illa in Britannia, quòd in conviviis qui potat ad alium dicit, Waſs Heil, qui verò poſt ipſum recipit potum reſpondet, Dринc Heil.

Malm. *lib.* 1. *cap.* 1. Hactenus Galfridus. At Vortigernus, (ut ſemper in fœminarum decorem adhinniebat, quippe qui ante Saxonum adventum cum propria filia ſtupri conſuetudinem habuerat, & ex ea filium nomine Fauſtum ſuſcepcrat,) ſtatim & formæ gratiâ & geſtuum elegantiâ ſauciatus animum, potiendæ puellæ ſpem imbibit; nec diſtulit quin nuptias peteret, patrem volentem cogens. Ipſe enim aſtu primò negare, tam humiles nuptias tanto rege indignas allegans. Poſtremò, quaſi gravatus in ſententiam tranſiit, totum Cantium pro munere accipiens; neſciente Gorongo, (ſive Gorangono) id eſt, Pro-

Nennius. Galfr. *lib.* 3. *cap.* 1. rege, ſub cujus regimine jamdudum illic omnis juſtitia laborabat, qui tamen (ſicut omnes reguli inſulæ) Vortigerni ſubſternebatur monarchiæ; qui, Saxonum numero roboríque jam confiſus, levioris penſi habuit ſuorum offenſionem. Poſt hæc Hengiſtus, jam regis ſocer factus, genero perſuadet, utì è Germania fratrem

Malm. *lib.* 1. *cap.* 1. *& cap.* 3. Octam, ejúſque filium Ebuſam, eximiæ virtutis viros, evocet; ſcenâ compoſitâ, ut, quia ipſe ab Oriente provinciam defenſitaret, illi quoque ab Aquilone Scotos frænarent. Ità rege connivente, ipſi cum quadraginta cyulis navi-

Nennius. gantes contra Pictos, Orcades inſulas vaſtârunt, Pictóſque ipſos & Scotos pari ærumnâ involventes, plurimas regiones trans mare Freſicum (id eſt, quod inter nos, inquit Nennius, Scotóſque eſt, uſque ad confinia Pictorum) occupârunt; atque in Aquilonali parte inſulæ, quæ exinde Northumbria vocabatur, tunc & deinceps

ceps assederunt. Sive autem Nennius, per mare *Fresicum*, Itunæ æstuarium (*Solvaicum* hodie dictum) intelligat, ab oppido vicino Fresiodu-no seu Dunfresio forsan appellatum Fresicum; sive *Fresicum* pro *Frethico* scripserit, *Frethæ* (vel *Forthæ*) æstuarium intelligens; haud ausim statuere. Octam prædictum scriptores Cambrobritannici non fratrem, sed filium Hengisti faciunt: qui error hinc enatus esse videatur, quòd *Escus* Hengisti filius, Nennio & Fabio Æthelvardo testibus, etiam *Octa* diceretur. Ebusam quoque Galfridus ejúsque sequaces *Eosam* (non *Cosam*, utì vitiosissimè habent vulgati Galfridi codices) ubique nuncupant. Tertium hunc Anglosaxonum adventum ad annum quadringentesimum quinquagesimum secundum, quo consules fuerunt Asporatius & Herculanus, referimus; in quorum consulatum Anglorum appulsum conjicit vulgatum Mariani Scoti Chronicon. Et Hengistus (etiam posthac, ut Nennius docet) semper cyulas ad se paulatim invitavit, ità ut insulas (seu potiùs peninsulas) de quibus venerant absque habitatore (quod à Beda quoque de Anglia vetere proditum) relinquerent. Cúmque gens illius crevisset & in virtute & in multitudine, venerunt ad Cantuariam. Ac de his postremis loqui advenis intelligendi sunt Annales Ecclesiæ Sanctæ Trinitatis apud Dublinienses & Joannes Clinnus Kilkennienſis, qui anno quadringentesimo quinquagesimo quarto advenisse Anglos tradunt. Confluentibus itaque in insulam certatim Anglosaxonum catervis, grandescere populus cœpit advenarum, ità ut ipsis quoque, qui eos advocaverant, indigenis essent terrori; qui proinde, novâ juventute jam aucti, Vortimero

Nenn. Æthelv. *lib.* 2. *cap.* 2.

452

Marian. Scot. Nennius.

Beda *lib.* 1. *cap.* 15.

454

Beda *lib.* 1. *cap.* 15.

mero regis primogenito ſuadente ac cohortante, de iis exturbandis, & ineunda cum Scotis amicitia, mutire cœperunt. Nec latuêre Anglos averſi ab ipſis Britannorum animi, qui jam hoſtilia induere ſtatuentes, Epimenia ſive Stipendia menſtrua non ſatis affluenter ſibi contribui queruntur; &, ni profuſior eis munificentia cumularetur, teſtantur ſe cuncta inſulæ propediem depopulaturos. Nec mora, minas effectibus proſequuntur, initóque ad tempus fœdere cum Pictis, quos longiùs jam bellando pepulerant, in ſocios arma vertere incipiunt. In hoc ancipiti rerum ſtatu, dejectum à Britannis ſolio Vortigernum, in ejúſque locum ſuffectum fuiſſe filium Vortimerum, Britannica narrat hiſtoria. De qua tamen regis deturbatione altiſſimum apud Nennium eſt ſilentium. Quin immo, ipſum prælio Æglesfordienſi contra Saxones interfuiſſe Vortigernum, Annales Aſſerio Menevenſi attributi, aliíque etiam Annales Angloſaxonici, Fabius Æthelvardus, & Florentius Vigornienſis, unanimi conſenſu tradunt. Quibus accedit Malmesburienſis, ità de utroque, tam filio quàm patre, ſcribens; *Vortimerus, filius Vortigerni, haudquaquam ultrà diſſimulandum ratus, quòd ſe Britonéſque ſuos Anglorum dolo perverti cerneret, ad expulſionem eorum mentem intendit, ſimúlque patrem ad idem audendum incendit. Hoc igitur auctore, poſt annos ſeptem adventûs eorum, fœdus fœdatum, & per viginti annos frequenter levibus prælîs, ſed quater, ut Chronica tradit, omnibus copiis depugnatum eſt.* Et ſanè quatuor Hengiſti contra Britannos, cuncti rerum Angloſaxonicarum ſcriptores, totidémque Vortimeri contra Saxones, prælia, omnes Cambrobritannici authores recenſent.

Gildas.

Beda *lib. 1. cap. 15.*

Guil. Malm. *lib. 1. cap. 1.*

At

At de ſucceſſu longè utrinque diſcrepant, (ſuorum gloriæ ſtudentes,) nec minùs de tempore; dum illi Saxonibus, hi Britannis victoriam ſemper & ubique tribuunt; illi per vicennium duráſſe hoc bellum volunt, hi verò intra quinquennium aut ſeptennium conſtringunt. Atque iſthæc hiſtoricorum diſcrepantia id demum effecit, ut nonnulli, utroſque ſequi volentes, & ipſi fallerentur, & alios fallerent; quæque ab his referuntur, diverſas fuiſſe ab iis quæ ab illis memorantur pugnas, autumantes, præfatos quatuor conflictus ad ſeptenarium uſque numerum, in ſuis hac de re narrationibus, perperàm multiplicatos ferè geminarent. Nos hîc Annales Angloſaxonicos, Fabium Æthelvardum, Guilielmum Malmesburienſem & Florentium Vigornienſem, ut maximè fide dignos, ampleƈtimur. Anno igitur ſeptimo adventûs Anglorum, qui fuit Chriſti nati quadringenteſimus quinquageſimus quintus, cùm jam in apertum bellum res proceſſiſſet, Hengiſtus & Horſus Vortigernum ejúſque filium Vortimerum, (regni paterni jam conſortem factum,) univerſo Britanniæ robore ſtipatos, acri prælio in Cantio exceperunt: quo cæſos fuiſſe Saxones, *ſuper vadum*, quod ipſi ſuâ linguâ *Epiſford*, Britanni verò à patrata illic hoſtium ſtrage *Saiſſenaeg haibail* appellârunt, Nennius prodit. Contrà, Florentius Vigornienſis & Ranulphus Ceſtrenſis, *Hengiſtum & Horſum cum Vortigerno Britonum rege in loco qui dicitur Ægleſthrep pugnáſſe; & licèt in ea pugna Horſus occiſus eſſet, Hengiſtum tamen victoriam habuiſſe, & poſt hæc cum filio ſuo Eſco regnare cæpiſſe*, ſcribunt. Mediâ incedit viâ Guilielmus Malmesburienſis, & hâc *primâ congreſſione, æquâ utrinque fortunâ diſceſſum*

455

Nennius.

Flor. Vigorn. Ranulph. Ceſtrenſ. *Polychr. lib. 5. cap. 2.*

Malm. *lib. 1. cap. 1.*

ſum eſſe teſtatur, *dum hi Horſum fratrem Hengiſti, illi Katigii (ſive Catigernum) alterum regis filium, magno juſtitio deſiderarent.* Nam Catigernum Horſus, Horſum Vortimerus occidiſſe perhibetur. Locus pugnæ Nennio & Galfrido *Episford*, Aſſerio Menevenſi in Annalibus, Fabio Æthelvardo, & Florentio, *Ægleſthrep*, Annalium Saxonicorum Petroburgenſium concinnatori *Ægleſford* appellatur; unde Æglesfordiam ex *Ægleſthrepisfordia* contractam exiſtimaverim. Hodie *Ailesfordia* dicitur; quo etiam nomine à Matthæo Florilego memoratur. Annales Angloſaxonici & Henricus Huntingdonienſis *Aileſtreu* vocant. Solus Florilegus, contra aliorum omnium ſententiam & authoritatem, ex uno hoc conflictu duos ineptiſſimè confecit. Horſus ad Horſtadium, (Anglicè *Horſted*) non ità procul ab Ailesfordia dititum, *in orientalibus* (ut Beda ſcribit) *Cantii partibus*, ſepultus, loco nomen reliquit; & Catigerni memoriæ (ut creditur) propiùs Ailesfordiam poſitum cernitur monumentum ſaxeum, *Keith-Coty-houſe* vulgò nuncupatum. Hîc autem Nennio & Galfrido eorúmque ſectatoribus, qui, ut gentis ſuæ fortitudinem altiùs evehant, iſto prælio, tribúſque aliis, (de quibus poſtea) Hengiſtum fœdiſſimè profligatum, ac primò ad inſulam Thanaton, deinde ad naves, ſe recipere coactum, in Germaniam refugiſſe, ibidémque per annos aliquot manſiſſe, fabulantur, (quibus Huntingdonienſis Nennium ſecutus accedit,) nullatenus fidem adhibere poſſumus. Siquidem hoc ipſo anno, atque ab hoc ipſo tempore, Cantianum Hengiſti regnum, ſublato jam Horſo fratre, poteſtatis conſorte, exordium ſumpſiſſe, ex probatiſſimis authoribus manifeſtò conſtat.

Matth. Weſtm.

Bed. *lib.* 1. *cap.* 15. Camd. *in Cant.*

conſtat. Porrò, anno abhinc altero, ſcilicet, quadringenteſimo quinquageſimo ſeptimo, rex Hengiſtus (qui, fervente hoc bello, *legatos*, ut Nennius docet, *trans mare uſque in Germaniam miſerat, (idque non occultè, ut antè, ſed manifeſtò*, ut ſcribit Æthelvardus,) *vocando Cyulas*, (quas *Saxonum pandos myoparones* vocat Sidonius Apollinaris,) *cum ingenti numero virorum bellatorum & fortium, & poſtea pugnabat contra reges gentis* Britannicæ,) cum Eſco filio certamini ſe apud *Crecanfordiam* (nunc *Craifordiam*) præparat. Ea ſita eſt in Cantio ad *Crecam* rivulum, Anglicè *Cray* dictum, à quo nomen mutuatur, haud ampliùs unici milliaris ſpatio à *Darentfordia* ſive *Dartfordia*, oppido mercatorio, ſub quo Creca in Darentum fluvium influit, diſtans. Ibi Britanni, juxta Henricum Huntingdonienſem, quatuor phalanges maximas, quatuor ducibus munitas fortiſſimis, bello proſtituunt. Sed cùm ludum belli Britones iniſſent, numerum Saxonum majorem ſolito malè ferebant. Recentes quippe qui ſupervenerant, & viri electi erant, ſecuribus & gladiis horribiliter corpora Britonum findebant. Nec tamen ceſſerunt, donec quatuor duces eorum proſtratos & cæſos viderunt: tunc verò ultrà quàm credi poteſt perterriti, à Cantio uſque in Londoniam (ſive Londinum) fugerunt, & nunquam in Cantium poſtea gratiâ pugnandi venire auſi ſunt. Hactenus Huntingdonienſis. Ceciderunt in illo conflictu quatuor Britannorum millia. Atque hoc eſſe ipliſſimum illud prælium ad Darentum fluvium, inter Hengiſtum & Vortimerum, à Nennio & Galfrido ante Ailesfordienſe perperàm recenſitum, quis non ex loci ſitu protinus collegerit?

457 Nennius. Æthelv. *lib.* 1. Camd. *in Cant.* Henr. Hunt. *lib.* 2. Æthelv. & Flor. Vigorn.

Poſt

Gildas, & Beda *lib.* 1. *cap.* 15. Henr. Hunt. *lib.* 2.

Poſt hanc victoriam progreſſus cum exercitu ingenti Hengiſtus, ut poſt Gildam Beda & Henricus Huntingdonienſis referunt, proximas quaſque civitates agróſque depopulans, ab orientali mari uſque ad occidentale, nullo prohibente, ſuum continuavit incendium, totámque propè inſulæ pereuntis ſuperficiem obtexit. Ruebant ædificia publica ſimul & privata, paſſim ſacerdotes inter altaria trucidabantur, præſules cum populis, ſine ullo reſpectu honoris, ferro pariter & flammis abſumebantur; nec erat qui crudeliter interemptos ſepulturæ traderet. Itaque nonnulli de miſerandis reliquiis in montibus comprehenſi acervatim jugulabantur. Alii fame confecti procedentes, manus hoſtibus dabant, pro accipiendis alimentorum ſubſidiis æternum ſubituri ſervitium, ſi tamen non continuò trucidarentur. Alii tranſmarinas regiones dolentes petebant. Alii perſtantes in patria trepidi, pauperem vitam in montibus, ſylvis vel rupibus arduis, ſuſpectâ ſemper mente agebant.

Britanni, in tanto diſcrimine conſtituti, haud ſatis ſibi in Vortigerno, ejúſque filiis quantumlibèt ſtrenuis ac magnanimis, ſubſidii ſupereſſe animadvertentes, legatos misêre ad Armoricæ Regem Aldroënum, (Salomonis filium, Grallonis nepotem, Conani pronepotem,) à quo decem millia militum auxiliarium ſub Ambroſii ductu tranſmittenda impetrârunt: qui ad littus deſtinatum, ſcilicet Totonenſium, appulſus, & ab inſulanis undique confluentibus gratanter exceptus, confeſtim in Vortigernum, tanquam exitialem patriæ peſtem, turpiſſimúmque ſubverſorem, movit. Legationis hujuſce principem fuiſſe Guitelinum Archiepiſcopum Londinenſem

nensem opinor, cujus operâ impetrata fuisse auxilia Armoricana narrat Historia Britannica. Quòd autem sub Constantino duce ea advenisse eadem historia tradit, haudquaquam concedi potest; cùm verus ille Constantinus, Ambrosii pater, & Romanorum in Albione imperantium ultimus, non ex Armorica cum suppetiis transmissus, sed in ipsa hac insula à militibus imperio est admotus; alter verò supposititius, Aldroëni frater, cui partam, post denegatam ab Aëtio ter consule opem, historia illa victoriam affingit, in rerum natura nunquam exstitit. Quin immo aliam prorsus ac planè diversam ea de victoria narrationem Gildas & Beda exhibent; *Britannósque tum strages hostibus dedisse* scribunt, *non fidentes in homine, sed in Deo, secundùm illud Philonis, Necesse est adesse divinum, ubi humanum cessat auxilium.* Adeóque cessâsse tunc humanum auxilium, minimèque insulanis ante hoc temporis ab Armoricanis subventum fuisse, abunde liquet. Ipsum quoque Guitelinum hoc tempore floruisse, docet antiquus ille Chronographus Britannicus, qui *à regno Vortigerni usque ad discordiam* (sive prælium) *Guitelini & Ambrosii* (scilicet adversus Vortigernum) *annos duodecim* numerat, *quod est Guoloppum, id est, Catguoloph.* Istud *Catguoloph* videtur esse oppidum Cambrobritannicè *Catguili*, Anglicè corruptiùs *Kidwelly* nuncupatum, in comitatu Carmaridunensi situm. Anno igitur quadringentesimo quinquagesimo octavo ex Armorica cum Guitelino venit Ambrosius, præliúmque Guoloppinum cum Vortigerno, ejúsve ducibus, conseruit: de cujus successu tacet Chronographus. Illum quo tempore sublatus est parens in cunis jacuisse, & in Armoricam

Gildas epist. Beda lib. 1. cap. 14.

458.

moricam à nutritiis, ejus ſaluti conſulentibus, ex Britannia, ubi (matre bella Gallicana declinante) natus eſt, deportatum, & ante Saxonum adventum Vortigerno formidatum, atque in eundem ſimulac redierat duxiſſe, Britannica prodit hiſtoria. Parentes ejus in bellis Picticis, non Gallicis, occubuiſſe, Miltonus, contra præſtantiſſimorum authorum ſententiam, putat, quòd Gildas & Beda *ſolum Romanæ gentis ipſum præfatæ tempeſtati ſuperfuiſſe, occiſis in eadem parentibus*, aſſerant: cùm tamen illos, per *præfatam tempeſtatem*, non bella duntaxat Pictica, ſed omnes tumultus ac clades inter Maximi cædem & Anglorum appulſum evenientes intelligere; ac ſub *Rectorum immanium* titulo, quibus ſpoliatam mox ab obitu Maximi fuiſſe Britanniam Gildas queritur, Marcum & Gratianum, Conſtantinum & Conſtantem indicatos eſſe, legentibus ac ſeriò perpendentibus liquidò conſtabit. Cùm autem miſeri Britanni, hinc Angloſaxonum armis, illinc civilibus principum diſſidiis diriſſimè affligerentur, permulti *tranſmarinas regiones*, ut dictum eſt, *dolentes petebant*: è quibus alii, ut Joannes Leidenſis tradit, fugientes ad Hollandiam, atque ad oſtia Rheni fluminis, ubi Rhenus intrat mare, prope *Catwyck* (*Cattovicum*) vela diviſerunt, & ibidem caſtrum munitiſſimum conſtruxerunt, quod *Britton* appellaverunt, vicinúmque populum eis ſubjecerunt. Caſtrum illud eſt Arx Britannica, ſive Brittenburgum, olim à Caligula exſtructum; quod à Romanis jam, ut videtur, derelictum occupârunt profugi, & ferè collapſum inſtaurârunt, atque in Brittia Batavica, cum ſuis congentillibus, quos ibi Maximus antea collocaverat, ſubacta,

Milton. *Hiſt. Angl.*

Gildas *Epiſt.*

Beda *lib.* 1. *cap.* 16.

ſubacta, & eorum adminiculo, vicinorum Friſonum parte, conſederunt. Alii, Armoricam petentes, à cognatis amicè excepti, partem ejus ſuper Ligerim fluvium ſitam (ab Exuperantio, cujus meminit Rutilius Claudius, paulò antè adminiſtratam) illorum ope ſibi vendicârunt. Quo etiam tempore Regalis Venetorum epiſcopus acerbum Britanni dominantis jugum ingemuiſſe legitur. Cum his fuerunt Fracanus, Cotonii reguli Britannici conſobrinus, cum filio ſuo Sancto Vingalopho, aliis Galnutio dicto; & Sanctus Samſon ſenior, qui mox epiſcopus Dolenſis factus eſt. Dux horum fuit Riovalus, quem ità memorat in Sancti Judoci vita Abbas Florentius; *Ipſe namque eximius Chriſti confeſſor Judocus, de illuſtri procedens genealogia Riovali, qui principabatur in tranſmarina ſive majori Britannia, quæ modò dicitur Anglia, & poſtmodum in copioſa navium multitudine ac manu validâ exteriorem ſibi ſubjecit Britanniam, &c.* Hic aliis Rigualdus & Riadam, Sidonio Apollinari Riothamus, Jornandi & Sigeberto Riothimus appellatur. Ille cum duodecim profugorum millibus veniens in Bituricam civitatem, tunc Budico Armoricæ regi, ut ex Argentræo Fauchetus docet, ſubjectam, Oceano è navibus egreſſus ſuſceptus eſt, ac poſtea cum Anthemio imperatore fœdus contra Gothos iniit. Exinde Armoricæ & Armoricorum nomen in Britanniam minorem & Britannos tranſiit; annóque quadringenteſimo ſexageſimo primo Manſuetus epiſcopus Britannorum primo Turonico concilio interfuit & ſubſcripſit. Qui verò nunc primùm gentem Britannicam iſthic ſedes poſuiſſe opgannunt, quoniam antehac expreſſum Britannorum in

Florent. *in vita S. Judoci apud Surium Decemb.* 13.

Sidon. *lib.* 3. *Epiſt.* 9. Jornand. *de reb. Getic.* Sigeb. *Chron.*

461

iis locis nuſquam occurrit nomen, ut illi contendunt, (quanquam in bello quod contra Attilam geſſit Aëtius, anno quadringenteſimo quinquageſimo primo, inter Romanorum auxiliares à Jornande *Britones* diſertè recenſentur,) nimis debili nituntur argumento: ſiquidem nullatenus mente concipere poſſumus, pauperculos extorres, patrio ſolo tuendo impares, quorum fugam adeò tragicè Gildas deſcribit, ut miſericordiam potiùs illorum ſors eliceret, quàm terrorem aut periculum afferret, tam citò aliam ſibi patriam, abſque ullo amicorum juvamine, propriis armis acquirerent. Circa hæc tempora Fingarus ſive Guignerus, Hybernici reguli fillus, in Britanniam cum magno Chriſtianorum à Sancto Patricio baptizatorum agmine trajiciens, à *Theoderico* quodam infideli *Saxonum* duce (ut ex ipſo Germanico ejus nomine liquet) Cornubiam vaſtante, cum ſorore, ſociiſque omnibus, interemptus eſt; uti, fide narrantibus relictâ, refert Anſelmus Cantuarienſis archiepiſcopus, qui *Theodericum Cornubiæ regem* perperàm vocat, iſta, ut videtur, ex Angloſaxonico quodam Biographo deſumens, qui, cùm Guigneri patris nomen ignoraret, eum Clitonem appellavit: quo honorario nomine regii ſanguinis viri apud Angloſaxones inſigniri ſolebant.

Anſelm. in Act. Guigneri.

Circa hæc etiam tempora Gundleus, Auſtralium Britonum ſive Demetarum rex, Cadoco filio, quem ex uxore Gladuſa genuit, commendato regno, ſeculo renunciavit, & ad eccleſiam quam ipſe conſtruxit ſe recipiens, ibi in magna abſtinentia & ſanctimonia vitam tranſegit. Anno quadringenteſimo ſexageſimo ſecundo Gildas Albanius, exactis in Armorica ſeptem annis,

Joann. Tinmuth. in Sanctilogio.

462.

nis, in Britanniam rediit, ac Pembrochienſis regionis promontorium, Pepidiacum dictum, adiens, ibi in urbe maritima prædicandi munere ſedulò fungebatur. (Nimirum ille anno quadringenteſimo viceſimo quinto natus, cùm ad triceſimum ætatis annum attigiſſet, in Galliam trajecerat, *Childerico eo tempore, Merovei filio, gentilium errori dedito, imperante Francis; dum adhuc parva res regum regnique Francorum eſſet.*) Dum igitur in illa urbe Caer Morva dicta Gildas prædicaret, ingreſsâ Nonnitâ (aliàs Melariâ) muliere gravidâ, ſtatim, præſente etiam Ælbeo, Momonienſis ſive *Mumenenſis* in Hybernia provinciæ archiepiſcopo, obmutuiſſe perhibetur. Eam Sanctius, (aliàs Xanthus) Ceretici regis filius, (Enniani qui patri ſucceſſit, & Carantoci Patricium in Hyberniam ſecuti frater,) vi conſtupraverat; quæ hoc ipſo de quo agimus anno, viz. poſt miſſum in Hyberniam Patricium triceſimo, Davidem peperit: cujus futuræ ſanctitati illud ſubitaneum Gildæ ſilentium ipſe Gildas Ælbeúſque tribuiſſe feruntur. Huic Ælbeo Davidem pater contradidit, ejúſque curæ educandum demandavit. Unde admodum probabile videatur, ab eo infantulum baptizatum; ac perperàm à Giraldo Cambrenſi, pro *Ælbeo Mumenenſium epiſcopo*, ſcriptum eſſe *Relveum Menevenſium epiſcopum, qui divinâ providentiâ eâdem horâ illuc de Hybernia venerat*; cùm ipſe David primus Menevenſium epiſcopus fuerit. Davidem hunc Arcturii avunculum vocat Galfridus, quem potiùs ejus conſobrinum vocâſſe debuerat. Quippe illius avum Cereticum, Cunedæ regis filium, ac Guennæ fratrem, quæ nupta Amblado Lambori filio Igernam ſive Igrenam Arcturii matrem

Caradoc. Lancarv. *in vita Gildæ.*

Vita Gildæ in bibliotheca Flariac.

Vita Ælbei. Caradoc. Lancarv. Girald. Cambr. *in vita David.* Ricemarc. Joann. Tinmuth.

Galfr. *lib. 7. cap. 5.*

Georg. Oct.

matrem peperit, exſtitiſſe, Cambrobritannici produnt genealogi. Et hoc quidem tempore (ut obiter id notemus) Samſonem, cujus antea meminimus, fuiſſe *epiſcopum civitatis quæ vocatur Dol-omhoir in extremis finibus Lethæ*, id eſt, Dolenſis civitatis in Britannia Armuric Lethana, in ejuſdem Ælbei vita legimus. Nam Armorica etiam *Letha* & *Letavia*, Britannicè *Lhydaw*, nuncupata eſt. At Britanni ſtragibus inteſtinis & Angloſaxonum graſſationibus fatigati, tandem conciliandæ inter principes paci ſtudere cœperunt; quam eâ demum conditione, ut Vortigernus Ambroſio occiduâ regni Britannici parte cederet, ſancitam eſſe, ex Nennio colligimus: apud quem Ambroſius ſciſcitanti de ejus genere Vortigerno reſpondit, *Ambroſius vocor, &, unus de conſulibus gentis Romanicæ eſt pater meus. Tunc*, inquit Nennius, *rex dedit illi arcem cum omnibus provinciis plagæ occidentalis Britanniæ, & ipſe cum magis ſuis ad ſiniſtralem plagam pervenit, & uſque ad regionem quæ vocatur Guenneſi aufugit, & urbem quæ vocatur à nomine ſuo Caer Guorthigirn ædificavit, Guaſmoric juxta Lugubalium, ibi ædificavit urbem ſcilicet quæ Anglicè Palmceaſter dicitur.* Hîc autem Nennius illuſtrem principem Conſtantini Romani filium cum Ambroſio Merlino mago, adjectâ de draconibus fabulâ, fœdiſſimè confundit; quaſi Vortigernus, ambitione notiſſimus, tantam imperii partem in vaticinii præmium ſponte & prodigè donâſſe præſtigiatori voluiſſet, aut ipſi Britanni tam ſtolidè prodigenti conſenſiſſent. Anno igitur quadringenteſimo ſexageſimo quinto, ſopitis pro præſenti civilibus diſcordiis, (unde regni Ambroſiani annos cum Florilego hinc ſupputandos duxi,) omnis Britannia,

Vita Ælbei.

Nenn.

465

Matth. Weſtm.

tannia, ut Henricus Huntingdonienſis narrat, viribus congregatis, duodecim phalanges nobiliter ordinatas Hengiſto ejúſque filio Eſco oppoſuit apud *Wippedesfleote*, id eſt, **Vippedi* fluentum aut æſtuarium. Pugnatum eſt diu & acriter, donec Hengiſtus duodecim principes cuneorum proſtravit, & vexillis eorum dejectis, & manipulis eorum proturbatis, in fugam coëgit. Ipſe autem multos principum ſuorum & gentis ſuæ amiſit, & quendam magnum principem qui vocabatur *Wipped*, ex cujus nomine locum belli illius prædicto nomine vocavit. Victoria igitur illis lacrymabilis fuit & odioſa, ità ut poſtea non parvo tempore nec ipſe intra Britannorum fines, nec Britanni in Cantium venire præſumerent. Tertium hoc Hengiſti quo juxta mare aut æſtuarium eſt depugnatum, haud aliud fuiſſe quàm tertium Vortimeri à Nennio aliiſque Cambrobritannicis ſcriptoribus memoratum prælium, non video cur dubitemus; quippe, quòd ipſi etiam juxta marinum littus, ſcilicet *in campo juxta Lapidem Tituli qui eſt ſuper ripam Gallici maris*, conſertum eſſe docent. Locum hunc quem Nennius *Campum juxta Lapidem Tituli* vocat, Camdenus eſſe campum juxta *Stonariam* in Thanato inſula, & *Wippedesfleete* eſſe *Ebsfletam* in eadem inſula opinatur. Verùm *Ebsfletam* olim non *Wippedesfleete*, ſed *Hypwinesfleet* appellatam eſſe, jam antè obſervavimus. Et poſt Craiſfordienſe ſeu Dartfordienſe prælium *Britannos nunquam in Cantium gratiâ pugnandi venire auſos* eſſe, teſtantur Huntingdonienſis & alii. Victos hoc conflictu à Vortimero Angloſaxones primò in Thanaton inſulam, atque indè in Germaniam refugiſſe, Nennius & Galfridus

Henr. Hunt. *lib.* 2. * *Gloſſar. Saxon.*

Nenn.

Henr. Hunt. *lib.* 2. Ranulph. Ceſtrenſ. *lib.* 5.

fridus eorúmque ſequaces ſcriptitant. Quanquam ſi *Stonarie* in Thanato profligati fuiſſent Angloſaxones, cur ad eandem, quod illi volunt, inſulam confugerent? Síque protinus in Germaniam territi abiiſſent, non ante Vortimeri mortem reverſuri, ut illi contendunt, quid opus erat quarto Vortimeri adverſus eoſdem prælio? Nos potiùs in parte Suffolciæ auſtrali pugnatum eſſe autumamus, juxta immane illud dorſum ſcopuloſum è regione Galliæ Belgicæ, quod ſummo mari non ſine magno navigantium periculo & terrore longè incumbit. Id nunc dierum *Langer-ſtone* Anglicè dicitur, & Nennii *Lapis Tituli* eſſe videatur: qua in Suffolciæ parte fluvium pridem *Gippingum* (nunc uſitatiùs Orvellum) dictum, vicúmque ejuſdem nominis, & *Ipſuicum* elegans forum, olim *Gipſuicum* nominatum, *Vippedi* ſive *Guippedi* memoriam aliquatenus conſervare facilè crediderim. Præſertim, quum circa hæc loca Vortimerum contra Saxones bella geſſiſſe Caxtonus teſtatur. Quòd ſi in ipſo Cantio hâc tertiâ etiam vice, ut nonnulli volunt, Hengiſtus cum Britonibus conflixerit; in campo potiùs inter vicina duo oppidula, milliaria circiter duo ab invicem diſtantia, *Stonam* & *Fletam Aquilonarem*, prope *Graveſendam*, conſertum eſſe hoc prælium omnino cenſuerim; ità ut *Stona*, quæ vox Anglis noſtris *Lapidem* denotat, ſit Nennii Britanni *Lapis Tituli*; & *Fleta Aquilonaris* ſit *Vippedi Fleta*; & Tamiſis oſtium ſive æſtuarium villas prædictas alluens, ſéque in mare Gallicum mox effundens, à Nennio *Maris Gallici* nomine inſigniatur; eodem planè ſenſu quo Colnus, amniculus Hertfordienſis, Gildæ Britanno Sancti Albani

Caxt. *Chron.*

Nenn. *Hiſt. Brit.*

Gil'd. *Epiſt.*

Albani martyrium enarranti, quia in Tamiſim influit, Tamiſis nuncupatur, quod in noſtro *Antiquitatum Albionenſium* Elencho pridem eſt oſtenſum. Neque enim Camdeni *Stonariam* Nennii *Lapidem Tituli*, nec *Ebiſletam* eſſe *Vippedi Fletam*, nec in Thanato inſula nunc temporis decertatum eſſe, rationes paulò antea exhibitæ ſatis ſupérque evincunt.

Nunc ad Arcturii tempora accedimus: de quo Principe mira eſt authorum diſcrepantia; dum illum alii ſupra auguſtiſſimos gentium triumphatores evehere, alii è rerum natura explodere annituntur. Illum illiúſque duodecim victorias Herculi ejúſque duodecim laboribus æquiparant Britanni; eadémque de Arcturio naſcente, quæ de Hercule in comœdia Plautus, Hiſtoriæ Britannicæ author commentus eſt, regem Utherum Pendraconem ejúſque ſatellitem Ulfinum Jovi ac Mercurio, Igernam Alcmenæ, Gorloëm & ejus ſatellitem Jordanem Amphitryoni Soſiæque aſſimilans, nec ſolum interpretem ſuum ac interpolatorem Galfridum, ſed etiam abbreviatorem Henricum fallens. Narrat enim, Ambroſio defuncto, Utherum (quem ipſius fratrem Galfridus, filium Henricus facit) ſucceſſiſſe; ipſúmque, Merlini arte, Gorlois ſpeciem induiſſe, Ulfino in Jordanem transmutato, adeóque Igernæ concubitu potitum, genuiſſe Arcturium. Et noſtris quidem inſulanis nimio olim in uſu fuit, Græcorum Romanorúmque fabulas in Britanniam traducere. Sic Danai Belidas in Diocletiani Syri filias, ſic Perſea & Andromedam in Georgium & Sabram commutárunt. Ambroſium verò, quum contra Saxones dimicaret, nullos habuiſſe fratres clarè indicat Gildas, *ſolum* ipſum *Romanæ gentis*

Gildas *in Epiſt.*

sis in Britannia tunc temporis *superfuisse* ſcribens. Ejúſque filium ac ſucceſſorem haud fuiſſe Utherum, tum ex Gilda, *Ambroſii ſobolem magnopere ab avita bonitate degenerâſſe* teſtante, quod de Arcturio, cujus avus hâc ratione exſtitiſſet Ambroſius, neutiquam dici poterat; tum ex Guilielmo Malmsburienſe colligo, qui ſtrenuam Ambroſio contra Saxones operam navâſſe Arcturium refert; & ex ipſo Galfrido, qui Lothum ipſius Arcturii ſororem Aurelii Ambroſii tempore duxiſſe ſcribit. Tantum abeſt ut inter Ambroſii & Arcturii tempora cujuſpiam Pendraconis regimen interveniret. Immo verò hunc Utherum non alium fuiſſe quàm ipſum Arcturium, Nennius haud obſcurè his verbis ſubinnuit; *Artur pugnabat contra illos in diebus illis, viz. Saxones, cum regibus Britonum. Sed ipſe dux erat bellorum, & in omnibus bellis victor exſtitit. Artur Latinè tranſlatum ſonat Urſum horribilem,* (nam ut Græcis ἄρκτος, ità Britannis *Arth* urſum denotat,) *vel malleum ferreum quo confringuntur malæ leonum. Mab Uther Britannicè, Filius horribilis Latinè, quoniam à pueritia ſua crudelis fuit.* Hinc ubi Arcturium *Mab Uther* nuncupatum hiſtoriæ Britannicæ conſarcinator animadverteret, ut fabulis altiùs ejus famam attolleret, *Uther* in proprium nomen convertit, adjecto etiam grandiſono turgidóque Pendraconis agnomine, quod ipſum à Miltono pridem eſt obſervatum; veterémque, ut antè dictum eſt, Plauti de Jove Herculem gignente comœdiam, ſuo Arcturio ejúſque patri imaginario applicuit. Hiſtoricorum verò neminem ante hunc ſcriptorem Utheri Pendraconis meminiſſe conſtat: quanquam ſuccedentibus temporibus caſtrum,

Guil. Malm. *lib.* 1.
Galfr. *lib.* 7. *cap.* 3.
Nenn. *hiſt.*
Milt. *hiſt. Angl. lib* 3.

in

in agro Cambrenſi ab aliquo iſtiuſmodi figmentis delectato exſtructum, Pendraconis nomine donatum fuerit. Si quis autem rex Britannicus appellatus fuerit *Pendraco*, ſive *Caput draconis*, nemini meliùs quàm ipſi Arcturio hoc etiam nomen competeret, quippe cujus in galea, teſtibus Galfrido & Matthæo Florilego, inſculptum fuit draconis ſimulacrum. De regni Arcturiani tempore magnopere variant ſcriptores. Henricus Marleburgenſis & Georgius Buchananus initium ejus ad annum quingenteſimum viceſimum octavum referunt, Guilielmi Malmesburienſis, Ranulphi Ceſtrenſis, & Joannis Tinmuthenſis verba, qui, decimo Cerdici anno *cæpiſſe regnare*, aut *ſurrexiſſe*, Arcturium tradunt, malè, ut videtur, interpretantes. Anno quingenteſimo viceſimo ſecundo Hector Boëtius; anno quingenteſimo decimo ſexto Matthæus Veſtmonaſterienſis & David Poëlus; anno præcedente Radulphus Baldocenſis & Thomas Rudburnus; anno quingenteſimo octavo Uſſerius Armachanus archiepiſcopus; anno quadringenteſimo nonageſimo primo Ricardus *Diviſienſis* ſive *Diviſionenſis* (perperàm Lelando *Divionenſis* appellatus) & Ricardus Vitus Baſingſtochius, eum cœpiſſe ſcribunt: à quibus haud multùm diſcedunt Radulphus Niger, Valerius Anſelmus Ryd, & Huldericus Mutius, illum Zenone imperante (qui ſcilicet illo anno obiit) regnâſſe prodentes. Anno quadringenteſimo quinquageſimo octavo floruiſſe regnum Arcturii in Britannia Jacobus Meyerus aſſerit. Quindecim annorum juvenem Guilielmus Malmesburienſis, Galfridus Monumethenſis, Matthæus Veſtmonaſterienſis & Eulogii Author; decimum octavum ætatis

Galfr. *lib.* 7. *cap.* 2. & Matt. Veſtm.

Guil. Malm. *de Glaſt. antiqu. Polychr. lib.* 5. *cap.* 6. Tinm. *Hiſtor. Aurea.*

Annal. Flandr. lib. 1. Malm. *Antiq. Glaſton. Eulog. lib.* 5.

ætatis annum agentem Ranulphus Ceſtrenſis, Joannes Tinmuthenſis & Georgius Buchananus regem factum fuiſſe narrant. Martinus Polonus, qui ſub Rodolpho Hasburgenſi floruit, in Hilarii papæ tempora; & ante illum Vincentius Bellovacenſis, qui ſub Friderico ſecundo imperatore *Speculum Hiſtoriale* exaravit; nec non Antoninus Florentinus & Monachus Nuſſienſis, qui ſub Friderico tertio vixerunt, in undecimum Leonis imperatoris annum, qui fuit ejuſdem Hilarii poſtremus, Arcturiani regni initium conjiciunt. Nos itaque, concordi horum quatuor ſcriptorum minimè contemnendorum authoritate nixi, Arcturium anno quadringenteſimo ſexageſimo ſeptimo, quindecim annos natum, in Danmonienſi (Cornubiam & Devoniam complectente) principatu Gorloï patri ſucceſſiſſe opinamur; cujus nimirum ille re verâ, ut Amphitryonis Hercules, exſtitit filius, quicquid fabulatores de Jove & Uthero finxerint. Atque hâc demum ratione optimè conſiſtere poterunt, tum Galfridi omnitúmque authorum Cambrobritannicorum de ejus cum Leone imperatore & Simplicio papa ſynchroniſmo, tum Guilielmi Malmesburienſis de ejus ſub Ambroſio victoriis teſtimonia. Ille igitur, ſeſe protinus militiæ aſſuefaciens, egregiam ſibi famam brevi comparavit, dum contra Saxones in Aquilonari Britanniæ parte ſub Ambroſii auſpiciis depugnaret. Sed ut plerumque virtutem gloriámque comitari adſolet invidia, ità è Britannicis principibus nonnulli pullulantem illius celebritatem iniquo ferre animo cœperunt. Horum coryphæus fuit Hoëlus, Gildæ Albanii frater, Areclutæ, hoc eſt, vallis ad Cludam fluvium, ſive Cludſdaliæ, & Lenoxiæ,

Vincent. *lib.* 20. *cap.* 56. Antonin. *Chronic. tit.* 11. *cap.* 2. § 2. Mon. Nuſſ. *Chronic. Belgic. à Pithœo editum.*

467.

Guil. Malm. *lib.* 1. *cap.* 1.

Lenoxiæ, in qua civitas *Arcluda*, ſive *Alcluda*, regulus, aliàs *Cuillus* & *Huelinus* dictus. Hic patriæ charitati propriam ambitionem ac malignitatem anteponens, Saxones Northumbriam incolentes ad efferatæ quam animo conceperat vindictæ participationem vocavit. Et hoc civile bellum reſpexiſſe videtur Huntingdonienſis, poſt recitatum prælium ad Vippedi fluentum, iſta ſubjiciens; *Britanniæ igitur dum ceſſarent externa bella, non ceſſabant civilia; ſed inter exterminia civitatum ab hoſte dirutarum pugnabant invicem qui hoſtem evaſerant cives.* Cæterùm Arcturius Hoëlo & Saxonibus audacter obviàm progreſſus, inito in Venedotia ſive Boreali Vallia cruento certamine, ipſos ſuperavit. De quo bello ità Joannes Priſæus; *Exſtat adhuc*, inquit, *locus in Venedotia qui cædis hujus memoriam adhuc retinet, lapidémque ingentem nomen hujus Huelini præferentem habet erectum, ut mos erat antiquis ad hujuſmodi rerum memoriam perpetuandam.* Hanc primam de hoſtibus victoriam reportavit Arcturius juxta oſtium Cludæ in Venedotia fluvii, quem Nennius *Gledy* vocat; ſicut alii mediæ ætatis Hiſtorici ejuſdem fluvii accolas *Streatgledwallanos*, pro *Stratcludwallanis*, appellitant. Annum quadringenteſimum ſeptuageſimum huic conflictui aſſignandum eſſe; ac proinde eos qui octodecim annos natum Arcturium regnare cœpiſſe volunt, à prima victoria ipſius annos dinumerare, exiſtimo. Hoëlum in Angleſiam inſulam fugientem victor inſecutus, illic obtruncavit. Caunum ille ſive Navum, Cludſdaliæ, Arcludæ aliarúmque regionum vicinarum regulum, qui filios viginti quatuor genuit, patrem habuit; eíque, fratribus quatuor natu majori-

Henr. Hunt. *lib.* 2.

Priſ. *hiſtor. Britan. defenſ.* Carad. Lancarv. *in vita Gildæ.* Girald. Cambr. Joann. Capgr. *Glaſton. regeſt.*

470.

majoribus, Gildâ ſcilicet, Mailoco, Egreâ & Allæco, cum ſorore Peteona, ſeculo renuntiantibus, in regno ſucceſſerat. Porrò, ejus cædes ab Arcturio patrata, nè ultra præfatum annum regni Arcturiani initium differamus, efficit; cùm illum, quo tempore periit, eorum certè qui Arcturio reſiſtebant fratrum natu maximum, ſed *juvenem* tamen *magnanimum ac victoriosiſſimum*, Caradocus Lancarvanenſis appellat; qui, ſi aliorum computationes (quas repudiavimus) ſequeremur, juventutis terminos procul dubio excederet. Illum recentiores (*Areclutam* tunc Scotici juris factam cernentes) Scotiæ regem fuiſſe ſomniârunt; ut & Anguſellum, qui, adjuvante Arcturio, poſtea *Marco* ibidem ſucceſſit. At Gildas in Hybernia (ubi *ſtudium* in civitate Armachana *rexit, ac prædicavit*, &c, ut Caradocus ſcribit, *innumerabiles convertit ad fidem catholicam*, quamobrem in Merlini vaticiniis *Prædicator Hybernia* nominatus eſt,) auditâ fratris nece, in Britanniam rediit, Arcturióque reconciliatus, factus eſt ipſius capellanus. Eodem anno nobilis Romanus, nomine Arvandus, Anthemii imperatoris juſſu, ſupplicio capitali eſt affectus, quòd, ſcriptis ad regem Gothorum literis, pacem cum Leone Auguſto diſſuaſiſſet, ac Britannos ſuper Ligerim ſitos oppugnari oportere affirmaverat. Horum Britannorum rex Riothimus, qui illam Armoricæ partem Severo Cæſari ademerat, pace cum illius ſucceſſore Anthemio compoſitâ, Romanis adverſus Ericum Gothorum regem ſuppetias tulit; qui, ut Jornandes docet, *innumerum ductans exercitum ocyùs advolavit, diùque pugnans, Riothimum regem, antequam Romani in ejus ſocietate conjungerentur, ſuperavit.*

Caradoc. Lancarv. *in vita Gildæ.*

Caradoc. Lancarv. *in vita Gildæ.*

Sidon. Apoll. Caſſiod. Jornand. *de rebus ſucceſſ.*

Sigon. *de imp. occid.*

vit. Ille igitur, amplâ parte exercitûs amiſsâ, cum quibus potuit fugiens, ad Burgundionum gentem vicinam, & Romanis eo tempore fœderatam, advenit. Quo etiam tempore *Britannos de Biturica à Gothis expulſos fuiſſe, multis apud Doleuſem vicum peremptis*, narrat Gregorius Turonenſis. Nihilominus reverſo rege, ac inſtauratis, ope congentilium in altera Armoricæ parte degentium, viribus, ingenti fuêre obici Britanni, quò minùs Gothi univerſam Galliam ſubigerent. Gregor. Turon. lib. 2. cap. 18.

Anno quadringenteſimo ſeptuageſimo tertio Rex Hengiſtus ejúſque filius Eſcus, ut Florentius ſcribit, *quartâ vice cum Britonibus pugnavêre, & potiti victoriâ, innumerabilia ſpolia tulêre: in qua pugna Britones Anglos ſicut ignem fugerunt.* In ericeto juxta Colceſtriam conſertum eſſe hoc prælium nonnulli tradunt. De tribus hiſce poſtremis Hengitti & Vortimeri conflictibus, Guilielmus Malmesburienſis, ubi quater inter ipſos depugnatum eſſe ſcripſerat, & Ailsfordienſem pugnam ejuſdémque ſucceſſum breviter attigerat, ita ſubjicit; *In cæteris cùm Angli ſuperiorem ſemper manum referrent, pax convenit, incentore belli Vortimero fatali ſorte ſublato, qui multùm à facilitate patris abhorrens, egregiè regnum moderaretur*, ſi Deus ſiviſſet. Sed & ipſe Galfridus Malmesburienſi de Anglorum victoriis loquenti ſuffragari videtur, priori ſuæ de Vortimeri ſucceſſibus narrationi quodammodo reclamans, ubi Hengiſtum cum Ambroſio congreſſurum, *Inſulanos Britones pro nihilo reputâſſe, cùm toties eos in prælio deviciſſet*, libere fatetur. Anno igitur quadringenteſimo ſeptuageſimo quinto, cùm jam viginti annos bellum perduráſſet, obiit Vortimerus; 473. Florent. Vigorn. *Annal. Angloſax. Æthelv. lib. 1.* Guil. Malm. *lib. 1.* Galfr. *lib. 5. cap. 3.* 475.

merus; quem à Ronixa noverca veneno extinctum, contra Malmesburienſem, in Angloſaxonicæ gentis odium Galfridus confinxit, eâdem fide, quâ Romanam de Scipionis Africani ſepultura narrationem huic principi ipſe pariter ac Nennius accommodârunt. Eo autem mortuo, de pace inter Hengiſtum & Vortigernum agi cœptum eſt, cujus ſanciendæ gratiâ, convenire Ambresburiæ placuit; ibíque inter alios proceres, Vodinus epiſcopus Londinenſis, qui Guitelino ſucceſſerat, & Vortigernum, quòd Ethnicam fœminam Ronixam, Hengiſti filiam, (ſpretâ juſtâ conjuge) ſibi matrimonio junxiſſet, ſæpius inſtigante Vortimero, increpaverat, à Saxonibus fuiſſe interfectus videtur: (non autem ante primum ejuſdem Vortimeri prælium, ut Hector Boëtius putat, cùm illi pugnæ ſuperſtitem fuiſſe anteceſſorem ejus Guitelinum ex præmiſſis liquet.) Nam illic *Hengiſtus, vitio quodam humani ingenii, inquit Malmesburienſis, ut quò plus habeat plus ambiat, fraude ſubornatâ, generum ad convivium cum trecentis ſuorum invitat: cúmque frequentioribus poculis invitatos ad tumultum animâſſet, & unumquemque, ex induſtria, ſalsâ dicacitate perſtringeret, primò ad jurgia, mox ad arma ventum eſt. Ità Britones ad unum jugulati animas inter vina evomuêre; rex ipſe captus datis tribus provinciis libertatem redemit, ſervitutem exuit.* Tres illas provincias fuiſſe Eſſexiam, Middleſexiam & Suſſexiam, novis iſtis nominibus à Saxonibus qui occupârunt inſignitas, docet Nennius: quanquam munita aliquot oppida in iiſdem Britanni retinerent. Cæſorum in hoc colloquio numerum ultra quadringentos Galfridus aliíque multiplicârunt: pro Malmeſ-

burienſi

Hect. Boët. *lib.* 8.

burienſi tamen facit Nennius, ac trecentos inermes illic fuiſſe jugulatos à Saxonibus, *Saxas*, id eſt, breves gladiolos, contra pacta conventa ſub ſagis eò afferentibus, teſtatur. Totidem quoque habent Joannes Gerbrandus Leidenſis, Vorperus Thaborita, & Cornelius Kempius. Eldolum quendam, Gloceſtriæ conſulem, palo quem fortè invenerat arrepto, ſolum ſeptuaginta Saxones armatos interfeciſſe, ejúſque fratrem Eldadum, ejuſdem Gloceſtriæ epiſcopum, cæſos Britannos humo mandâſſe, Galfridus fabulatur; de quibus tamen fratribus, tam apud Nennium Cambrobritannum, quàm apud Guilielmum Malmesburienſem Anglum, planè altiſſimum eſt ſilentium. Veruntamen Abenum, nobilis Britanni qui ibidem occubuit filium, ex hac clade vix evadentem, in loco qui ex ejus nomine Abendunum vocatur eremiticam duxiſſe vitam, atque indè confluentium hominum frequentiâ turbatum latenter receſſiſſe, & in Hybernia vitam finiiſſe, narrat Simon quidam in Abendonienſium Abbatum hiſtoria. Ut hunc Simonis Abenum, Ibari Begerinenſis (quem Hybernienſes celebrant) nepotem Abbanum eſſe credam, & oppidi præfati, quod à veteribus Angloſaxonibus Abbandunum dicebatur, nomen, & ipſa temporis ratio, perſuadent. At Vortigerno pepercit Hengiſtus, tum quoniam ei filiam connubio pridem locaverat, tum quia rebus ſuis vitam ejus conducere exiſtimaret. Priuſquam verò illum percuſſo fœdere Angli dimitterent, vaſtatâ longè latéque inſulâ, civitates Eboracum, Lincolniam, Londinum & Vintoniam occupârunt. Poſt turpem itaque pacem inter ſocerum generúmque ſancitam, quâ bello vi-

Joann. Leidenſ. *Chronic. Belgic. lib.* 1. *cap.* 9. Vorper. *Hiſt. Friſ. lib.* 1. *cap.* 8. Kemp. *rer. Friſ. lib.* 1. *cap.* 8.

Galfr. *lib.* 3. *cap.* 3.

cennali finis aliqualis pro præſenti eſt impoſitus, Britanni, Vortigernum deteſtati, ſolum exinde Ambroſium coluerunt; qui, cùm imperium occidentale, poſt multiplices Auguſtorum cædes, imperatore legitimo deſtitutum titubare atque ad interitum ruere, ac ipſum orientale graviter laborare, cerneret, hoc ipſo anno, quo Julium Nepotem Oreſtes, Zenonem Baſiliſcus ejecerunt, purpuram, ſi Onuphrio Panvinio & Octavio de Strada credimus, ſumpſit: quod etiam ante eos Paulus Varnefridus ità expreſsè retulit; *Apud Britanniam Ambroſius Aurelianus, qui ſolus fertè Romanæ gentis Saxonum cædi ſuperfuerat, purpuram induit, victoréſque Saxones, Britonum ducens exercitum, ſuperavit ſæpe.* Eadem quoque habet Ranulphus Ceſtrenſis. Nempe, quod paterno ſibi jure competere videbatur, adhortante jam opportunâ occaſione, in ſe recepit. Unde quàm minimè opus ſit, ut Paulum in mendoſa aut Gildæ aut Bedæ de Conſtantino Ambroſii patre loquentium exemplaria, *indutus* pro *indutis* exhibentia, incidiſſe, cum nonnullis ſentiamus, cuipiam facilè eſt perſpicere. Porrò, Aſturium factum fuiſſe patricium, ſigillum ipſius comprobat; qui honos à quo ipſi, niſi ab Ambroſio jus Auguſtale iſthîc exercente, conferretur, nullus video. Ambroſium quendam exſulantem Odobogar, ſive Odoacer, Italiæ rex, Severini precibus exoratus, abſolverat: quem utique Baronius eundem eſſe cum Ambroſio noſtro, inſulámque iſtam mox adiiſſe, ut opinetur multa perſuadere aſſerit; cùm nihil tamen omnino profert quod prudenti cuipiam hoc perſuadeat, præter unum Ambroſii nomen, quod illi cum multis aliis commune fuiſſe

Paul. Diacon. *in contin. Eutrop. fin. lib.* Ranulph. Ceſtrenſ. *in Polychr. lib. 5. cap. 3.*

Eugyp. *vit. Sever. cap. 32.*

fuiſſe liquet. Immo verò diu ante annum quadringenteſimum ſeptuageſimum ſextum, quo exſul ille abſolutus eſt, ex Armorica in Britanniam trajeciſſe regem Ambroſium, antea ex antiquo Chronographo oſtendimus; & Vortigerno jampridem terrori fuiſſe, Nennius indicat. 476.

Protinus Hengiſtus Eſſexiam ac Middleſexiam Angloſaxonibus replet, dato etiam præſide qui ſub ipſo provincias illas adminiſtraret; alióſque è Germania accerſit, quibus Suſſexiam tradat habitandam. Anno itaque quadringenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo Ella cum tribus filiis, Cimenio, Plentingo & Ciſſa, ac trium navigiorum claſſe militaribus copiis inſtructiſſima, in Britanniam, ad locum qui indè *Cimenii ora* vocabatur, appulerunt. Locum illum prope Vitteringam villam (in occidentali Suſſexiæ parte ſitam) fuiſſe, conceſſæ Seleſeienſi eccleſiæ à Cedovalla occidentalium Saxonum rege donationis charta teſtatur. Egredientibus autem Saxonibus de mari, Britanni clamorem excitârunt, & à circumjacentibus locis innumeri convolârunt, (proprios lares tueri ſtatuentes, quamvis ab improbo rege deſerti ac quaſi divenditi,) & ſtatim bellum initum eſt. Saxones verò, ſtaturâ & vigore maximi, impudenter (ut Huntingdonienſis verbis utar) eos recipiebant, illi verò imprudenter veniebant. Nam ſparſim & per intervalla venientes à conglomeratis interficiebantur; & ut quique attoniti veniebant, rumores ſiniſtros ex improviſo ſentiebant. Fugati ſunt igitur Britanni in proximum nemus, quod vocatur *Andredslega*. Saxones autem occupârunt littora maris in Suſſexia, magis magiſque ſibi regionis ſpatia capeſſentes, uſque ad nonum

477. Æthelv. *lib.* 1. Florent. Vigorn. Henr. Hunt. *lib.* 2.

num annum adventûs eorum. Prædictum nemus etiam *Andredswald* appellabatur, magnámque Cantii & Suſſexiæ partem, viz. 120 mill. paſſ. longitudine, 30 latitudine, occupavit. Quid Angloſaxones per novennium proximum geſſerint, authores reticent: nonnullæ autem Britannorum res in illo temporis ſpatio tranſactæ occurrunt, memoratu neutiquam indignæ. Cadocus Demetiæ rex, Staterio (ut videtur, filio) regno cedens, Abbas Lancarvanenſis in Glamorgania monaſterii effectus eſt, patrémque Gundleum *ſæpe viſitans confortabat, aſſerens, non inchoantibus coronam eſſe promiſſam, ſed perſeverantibus in bonum: paſcebátque centum quotidie clericos, totidem pauperes, & totidem viduas, præter advenas & hoſpites ad illum crebrò venientes. Licèt enim Abbas multos ſub ſe monachos regeret, portionem tamen regni patris ſui poſſidens, indigentibus neceſſaria diſtribuit.* Gildæ Albanio perſuaſit, ut in ejus Gymnaſio ſtudium ſcholarium per anni ſpatium regeret; quo finito, ad duas inſulas, *Ronecham* & *Echniam*, Cambriæ adjacentes, ambo communi conſilio ſeceſſerunt. At Gildas ab Orcadenſibus piratis famulos ipſius & ſupellectilem per vim abducentibus vexatus, indè Glaſtoniam profectus eſt. Cadoci (quem magnâ veneratione proſecutus eſt Arcturius) hortatu Iltutus, qui Germani Altiliodorenſis fuerat diſcipulus, clericalem habitum induit, poſtquam à conſobrino ſuo rege Arcturio *cum honore receptus, tandem ad regem Glamorganenſium veniens, curiam ejus ſub ipſo rexiſſet, ſecundus à rege factus.* Ille à Dubricio, Landavenſi epiſcopo, monaſterii in Glamorgania in loco qui ab eo *Lhan Iltuit*, id eſt, eccleſia

Joann. Tinmuth. & Capgr. *in vita Cadoci.*

Caradoc. Lancarv. *in vita Gildæ.*

Vincent. *Specul. hiſtor. lib. 21. cap. 105.* *Regeſt. Landav. in vita Samſ.* Joann. Tinmuth. *in vita Iltuti.*

eccleſia Iltuti, dicebatur, hodie *Lhantwit*, Abbas conſtitutus eſt; ubi Samſonem juniorem baptizavit, qui circa annum quadringenteſimum octogeſimum natus, ab eodem Dubricio poſtea epiſcopali honore decoratus, eccleſiam Dolenſem in Armorica rexit. Circa poſtrema Simplicii papæ tempora, quem *Sulpicium* Galfridus perperàm nominat, Arcturius ad ipſum tranſmiſit Galvanum duodecim annos natum, quem ex ejus ſorore Anna Lothus Laudoniæ regulus, Anguſelli & Uriani frater, genuit. Interea Melvaſius Somerſetenſis provinciæ regulus, Arcturii conjugem rapuit, eámque aliquantiſper, ſcilicet per anni ſpatium, clàm detinuit; donec Arcturius Glaſtoniam, ubi cuſtodiri illam compererat, cum Cornubienſibus ac Devonienſibus copiis obſidione cingeret: dúmque hic oppidum expugnare, ille verò propugnare ſatageret, diſcordiæque inteſtinæ cruentus metueretur progreſſus, Abbas Glaſtonienſis & Gildas Albanius, comitante clero, medias acies intrârunt; quorum interventu motus Arcturius, cum Melvaſio, receptâ uxore, in gratiam rediit; ac deinde ambo reges Abbati monachíſque Glaſtonienſibus complura territoria largiti ſunt. Cùm autem Glaſtoniam, ſive Avaloniam, ſpecialiùs & κατ' ἐξοχὴν Inſulam (ſcilicet fluvialem ſive interamnam) Galfridus nuncupatam obſervaret, hunc *Inſulæ regem*, ut longinquiora ſuo Arcturio trophæa aſtrueret, in *Iſlandiæ* regem tranſmutavit, quam ab illo fuiſſe ſubactam fabulatur. 480.

Galfr. *lib.* 7. *cap.* 3.

Caradoc. Lancarv. *in vita Gildæ.*

Galfr. *lib.* 7. *cap.* 3. & *cap.* 4.

In Aquilone Octa & Ebuſa ſæpenumerò cum provincialibus congreſſi, profligatíſque qui reſiſtendum putaverant, reliquos in fidem acceptos placidæ quietis gratiâ mulcebant.

Guil. Malm. *lib.* 3.

Adeóque jam Hengiſtus, ſe rebus ſuis ſatis proſpexiſſe arbitratus, magnam exercitûs Saxonici partem in Germaniam redire cupientem dimiſit. De qua remigratione ità Eginhardus: *Saxonum gens*, inquit, *ſicut tradit antiquitas, ab Anglis Britanniæ incolis egreſſa, per Oceanum navigans Germaniæ littoribus, ſtudio & neceſſitate quærendarum ſedium, appulſa eſt in loco qui vocatur Haduloa; eo tempore quo Theodericus rex Francorum, contra Hirminfridum ducem Thuringorum generum ſuum dimicans, terram eorum crudeliter vaſtavit ferro & igne.* Hunc Saxonum reditum ad primum eorum in Germaniam adventum aliqui ineptiſſimè traducunt. Reverſos, arcem ſive Pyrgum Lugduni conſtruxiſſe, Joannes Gerbrandus Leidenſis, & vulgata Hollandiæ Chronica ſecuti Meurſius, Hegenitius & Adrianus Junius referunt. De quo Burgo Janus Douſa, nobilis poëta, ipſi, quod ab ejus militibus factum eſt, Hengiſto tribuens, ità cecinit;

Eginh. *in vita Caroli magni.*

Meurſ. *Athen. Batav.* Hegen. *Itin. Friſ.*

Quem circinato mœnium ut ambitu,
Sic arcuatis fornicibus novum
Putatur Hengiſtus Britanno
Orbe redux poſuiſſe victor.

Iſti nimirum circa Lugdunum per annos aliquot commorati, indè Haduloam, ut Eginhardus habet, profecti ſunt, & congentilibus ſuis illuc ſub Hattugato accedentibus ſeſe adjungentes, prædictum Theodericum poſtea in bello Turingico adjuverunt. Horum diſceſſu animati Britanni, apud Regem Ambroſium, ſe inhoneſtâ Vortigerni pace, nimiâque ejus in Saxones propenſitate, hæreditariis laribus ejectos ac ſpoliatos eſſe conqueruntur; proinde orant ut, miniſtratâ jam idoneâ rei bene gerendæ

dæ ansâ, patriæ afflictæ ſubveniat. Ille igitur primùm è medio tollendum eſſe tantæ ruinæ authorem ſtatuens, infeſtos concitè in Vortigernum ducit; quem ſubditis exoſum, & ab omnibus ferè derelictum, in Cambria demum intra oppidum Genorium arctâ obſidione concluſit, obſeſſúmque anno quadringenteſimo octogeſimo quinto, qui fuit regni Vortigerni quadrageſimus, incendio abſumpſit. Tot quippe annos (ſcilicet incluſivè ſupputatos) eum regnâſſe Nennius his verbis ſubinnuit: Nenn. *Factum eſt autem poſt ſuprà dictum bellum quod fuit inter Britones & Romanos, quum duces illorum occiſi ſunt, & poſt occiſionem Maximiani* (ſive *Maximi*) *tyranni, tranſactóque Romanorum in Britannia imperio, pòſt, quadraginta annos Britanni ſub metu fuerunt, Guorthigirnus regnavit in Britannia, & dum ipſe regnabat, urgebatur à metu Pictorum Scottorúmque, nec non & à timore Ambroſii.* Et aliquandiu Vortimero filio ſuperſtitem fuiſſe, atque immediatè quidem ac proximè ante reportatam ab Ambroſio de Saxonibus victoriam, quod hoc anno factum, periiſſe Vortigernum, Britannica confirmat hiſtoria; quæ etiam illius fraude patrem fratrémque Ambroſii occubuiſſe, ipſúmque Ambroſium recèns natum à nutritiis tyrannum metuentibus in Armoricam eſſe deportatum, narrat. Cujus mater, ut Nennius loquitur, *timebat nè occideretur puer à rege iniquo, ideóque patrem fateri noluit.* Unde forſan illum in prima juventute militantem in Gallia, adverſus Conſtantinum & Conſtantem cum Gerontio perduelle ſenſiſſe ac conjurâſſe, & indè in Britanniam reverſum infanti ſtruxiſſe inſidias, admodum credibile videatur. Ex

485. Galfr. *lib.* 5. *cap.* 1. *Idem lib.* 2. *cap.* 6.

Matth. Veſtm. prima uxore, (aut, ut Galfridus habet, *pellice*,) cujus nomen haud memoratur, tres filios, Vortimerum, Catigernum, & Paſcentium, inceſtámque filiam ſuſcepit, ex qua Fauſtum, à Germano Altiſiodorenſi baptizatum, genuit; Nenn. qui *locum magnum*, ut Nennius ſcribit, *ſuper ripam fluminis Remnii*, (comitatus Monumethenſem & Glamorganenſem diſterminantis,) condidit, ibíque piè ſanctéque vitam exegit. Ronixa nullos ei liberos peperiſſe legitur. Poſt Vortimeri obitum *nihil contra* Saxones *vivente Vortigerno novatum* eſſe prodit Malmesburienſis: illo autem extincto, augeſcentem indies exercitum Ambroſius eodem anno in eos rapit, prælióque cum iis conſerit, quod ſic Florilegus deſcribit; Matth. Veſtm. *Anno gratiæ quadringenteſimo octogeſimo quinto, Britones, duce Aurelio Ambroſio, convenerunt ad pugnam apud Mercredesburne contra Ellam & filios ſuos; & cùm diu & acriter pugnam commiſiſſent, Ella cum filiis, non ſine diſpendio Britonum, campum deſeruit: miſit igitur Ella in patriam ſuam, majorem quærens copiam armatorum.* Hanc eſſe inſignem illam à Gilda & Beda celebratam victoriam Ambroſianam exiſtimo, quoniam de iſtius pugnæ ſucceſſu Fabius Æthelvardus & cuncti ferè Angloſaxonum Annales tacent, ſuorum triumphos ſupprimere haudquaquam ſoliti. Henr. Hunt. *lib.* 2. Henricus Huntingdonienſis, quamvis *ferè dubiam fuiſſe victoriam, & utrumque exercitum valde læſum & minoratum, alterius congreſſum devoventem, ad propria remeáſſe*, tradit; *miſſſe* tamen *Ellam* fatetur *ad compatriotas ſuos auxilium flagitantem.* Florent. Vigorn. Milt. *Hiſt. Angl.* Nec eſt quòd unicum Florentii, Saxonibus victoriam tribuentis, cum Miltono, teſtimonium cæteris omnibus anteponamus,

ponamus. In anteriora tempora victoriam Ambroſii conjicit Huntingdonienſis, Ailsfordienſi prælio ſuperatos ab illo fuiſſe Angloſaxones narrans; quum tamen Gildas non ſtatim poſt cœptam inſulæ per advenas vaſtationem, ſed *aliquanto* poſt illam *tempore interveniente* illud contigiſſe teſtatur, poſt victos ſcilicet aliquot præliis à Saxonibus Britannos. Sed ipſum Gildam audiamus. *Tempore* igitur *interveniente aliquanto*, cùm receſſiſſent domum crudeliſſimi prædones, roboratæ à Deo reliquiæ, (quibus confugiunt undique de diverſis locis miſerrimi cives tam avidè quàm apes alveario procellâ imminente,) ſimul deprecantes eum toto corde, & (ut dicitur) innumeris onerantes æthera votis, nè ad internecionem uſque delerentur, duce Ambroſio Aureliano, viro modeſto, (qui ſolus fortè Romanæ gentis tantæ tempeſtatis colliſioni, occiſis in eadem parentibus, purpurâ nimirum indutis, ſuperfuerat, cujus nunc temporibus noſtris ſoboles magnopere avitâ bonitate degeneravit,) vires capeſſunt, *victores* provocantes ad prælium: queîs victoria Domino annuente ceſſit. Beda quoque id ipſum ad Zenonis imperatoris tempora referens, Britones, inquit, duce Ambroſio Aureliano, viro modeſto, qui ſolus fortè Romanæ gentis Saxonum cædi ſuperfuerat, occiſis in eadem parentibus purpurâ indutis, *victricem* eorum gentem provocantes ad prælium, vincunt: & ex eo tempore nunc hi, nunc illi palmam habuêre, donec advena potentior totâ per longum potirêtur inſulâ. Et Guilielmus Malmesburienſis Ambroſium Saxones poſt Vortimeri obitum, atque etiam Vortigerni, (quo *vivente nihil* poſt initam pacem

Henr. Hunt. *lib.* 2.

Gildas *in Epiſt.*

Beda *de rat. temp.*

Guil. Malm. *lib.* 1.

contra

contra eos novatum,) intumeſcentes preſſiſſe teſtatur. Ac tum primùm fuſos fuiſſe Anglos præfati authores conſentiunt, nequicquam antea fortiter agente Vortimero; quicquid contrà de illius laureis Scriptores Cambrobritannici prædicaverint.

488. Florent. Vigorn. Guil. Malm. *lib.* 1. *cap.* 1. Henr. Hunt. *lib.* 2. Galfr. *lib.* 5. *cap.* 3, 4. Gild. *epiſt.*

Hengiſtus, cùm jam triginta novem annos completos & paulò amplius in Britannia exegiſſet, anno quadringenteſimo octogeſimo octavo, qui fuit adventûs ſui quadrageſimus, ſcilicet inchoatus, vitam cum morte commutavit. Annos quatuor ſupra triginta regnavit. Quòd autem nonnulli ſolùm triginta duos illi tribuunt, notandum eſt, eos non ab inchoato, ſed à ſtabilito & confirmato poſt Craiſordienſem victoriam regno, annos ejus dinumerare. Hiſtoriæ Britannicæ conſarcinator, Britannis ſuis haud ſatis eſſe ducens, inſignem de hoſtibus victoriam reportâſſe, niſi ipſum Hengiſtum violentâ morte mulctarent, rurſus illa duo fraterna phantaſmata, Eldolum & Eldadum, in ſcenam introducit. Hengiſtum cum Britannis congreſſum in campo *Maesbell* dicto, juxta *Danum* vel *Donum* fluvium, prope oppidum quod illi *Caer Conan*, noſtri poſtea *Conisburgum* appellabant, ab Eldolo monomachiâ victum captúmque, & Eldadi (Samueli Prophetæ Agagum Amalecitam in fruſta concidenti ſeſe comparantis) hortatu capite truncatum fuiſſe, citato *Gildæ de Victoria Aurelii Ambroſii libro*, tradit: eâdem nimirum fide quâ Angloſaxonum exercitum ducentis armatorum millibus tunc temporis conſtare affirmaverat; quanquam eos majorem copiarum partem, ante initum cum Ambroſio certamen, domum remiſiſſe, verus ille & genuinus Gildas luculentè teſtatur, *exterminatis*

nimirum

nimirum *dispersisque insulæ indigenis*, ut Beda loquitur, post triplicem scilicet cladem, ac pacem probrosam. Hector Boëtius, Veremundi cujusdam sub Malcolumbo tertio viventis authoritate fretus, ab ipso Ambrosio lanceâ transfossum equóque dejectum occubuisse Hengistum scribit. At hîc mirari satis nequeo, præfatos hosce duos, Gildæ scilicet ac Veremundi libros, adeò per tot secula delituisse, & adhuc delitescere, ut Gildæ *de Victoria Ambrosii* librum solus ille scriptor Cambrobritannicus, Veremundi historiam solus Hector Boëtius uspiam conspiceret. *Mortuum*, non interfectum, Hengistum memorat Nennius, cujus verba hîc subjiciam. In illo tempore *Saxones invalescebant & crescebant non modicè in Britannia. Mortuo autem Hengisto, Octa filius ejus transivit de sinistrali parte Britanniæ ad regnum Cantuariorum, & de ipso orti sunt reges illius patriæ.* Beda, qui *Horsum bello occisum à Britonibus* expressè memorat, idem quoque procul dubio de Hengisto (cujus sanè duobus in locis nominatim meminit) prodidisset, si ità se res habuisset. Et naturali morte illum esse defunctum, Marianus Scotus, Florentius Vigornienſis, Guilielmus Malmesburienſis, Henricus Huntingdonienſis, Ranulphus Cestrenſis, & alii, unanimi consensu tradunt, Escúmque filium ei successisse, absque ulla omnino ullius prælii hoc anno conserti mentione, scribunt. Cùm autem *fluvius* Saxonicè *Bourn* dicitur, partam esse in campo *Maesbell* appellato victoriam Ambrosianam haud inficiamur; ità ut veterum Anglosaxonum *Mercredesburnam*, ubi Ella victus est, ipsissimum esse Donum fluvium qui Conisburgum alluit, prorsus credibile videatur, cùm unica

Bed. *lib.* 1. *cap.* 16.

Hect. *lib.* 8.

Nenn. *hist.*

Bed. *lib.* 1. *cap.* 15. *& lib.* 2. *cap.* 5.

Guil. Malm. *lib.* 1. *cap.* 1: Cestrens. *Polychr. lib.* 5. *cap.* 4. Hunt. *lib.* 2.

unica illa inter Anglos & Britannos pugna insignis, toto Zenonis Augusti tempore commissa, apud nostros scriptores occurrit. At Malmesburiensis de hujus principis obitu testimonium unà cum aspera ejusdem censura hîc attexam: *Post hæc Hengistus diem clausit, vir qui successus suos non minùs fraudibus quàm viribus urgens, multúmque sævitiæ genuinæ indulgens, omnia cruentiùs quàm civiliùs agere mallet.* Florentius verò mitiùs; *Hengistus*, inquit, *postquam regnum Cantuariorum triginta quatuor annis strenuissimè rexisset, vitæ finem fecit.* Ad senectutis annos eum attigisse haud dubium est, quippe qui primo adventu filiam nuptiis filiúmque bellis idoneos habuit. Tres liberos genuit, Audovachrium in Saxonia, Escum in Cantio, ipsi succedentes, & Ronixam Vortigerno nuptam. Floruerunt in Britannia, eo regnante, Tathæus Cadoci, Paulinus Davidis præceptores, & Cungarus, quem *Doccuinum* Angli, *Doccum* Hybernienses vocârunt. Sed de *Eldolo* & *Eldado*, quos adeò Britannicus author celebrat, nè gry quidem apud Nennium aut Malmesburiensem, aut alium quenquam, ante editam illam à Galfrido historiam, habetur; quamvis & Nennius & Guilielmus procerum Britannicorum cædem & Hengisti mortem memorant. Neque enim ullius Eldadi Acta Biographorum quispiam exarare dignatus est, nec ullus ejus natali dies in Calendario assignatus usquam invenitur, nec ullum in ecclesiis ejus memoriæ nuncupatum legi Officium ac celebrari solitum: unde illos in rerum natura nunquam extitisse jure suspicari possumus. Cum Hengisto vixerunt Childericus Francorum, Ericus Visigothorum, & Odoacer Herulorum, in Gallia, Hispania & Italia,

Italia, reges. Hæc autem illi laus debetur, quòd tribus advectus navibus, prima, ut dictum est, regni Anglicani fundamenta jecerit; quod ex tantilla origine, ut olim de imperio Romano observatum est, ad tantæ demum magnitudinis instar, Deo favente, emicuit.

II. E L

II. *ELLA.*

488 HENGISTO in regno Cantiano ſucceſſit Eſcus filius, qui prænominatus eſt Otricus, à quo Reges Cantiani dicti ſunt *Eſcingi*. Ille, ut Nennius ſcribit, *mortuo* patre *tranſivit de ſiniſtrali* (ſcilicet Boreali) *parte Britanniæ*, (quò ab Hengiſto poſt Ellæ cladem in auxilium Octæ & Ebuſæ ſubmiſſus fuerat,) *ad regnum Cantuariorum, & de ipſo orti ſunt reges illius patriæ.* Hic *magis tuendo quàm ampliando regno intentus*, inquit Malmesburienſis, *paternos limites nunquam exceſſit.* Quanquam Huntingdonienſis *illum patriâ virtute patriam contra Britannos potenter tenuiſſe, regnúmque ſuum regnis eorum ampliâſſe*, refert. At Britanni, poſt præfatam victoriam, Eboracum, Lincolniam, Londinum & Vintoniam recuperárunt: adeóque reſtaurato quadantenus patriæ ſtatu, circa hæc tempora Arturius Hieroſolyma peregrinus adiit. De qua ejus peregrinatione hæc habet Nennii interpolator *Samuel Beulani* diſcipulus: Artur Hieroſolyma perrexit, & ibi crucem ad quantitatem ſalutiferæ crucis fecit, & ibi conſecrata eſt; & per tres continuos dies jejunavit, vigilavit, & oravit coram cruce dominica, ut ei Dominus victoriam daret per hoc ſignum de Paganis, quod & factum eſt; atque ſecum imaginem Sanctæ Mariæ detulit, cujus fracturæ adhuc apud *Wedal* ſervantur in magna veneratione. *Wedal Anglicè, vallis doloris Latinè. Wedal* villa eſt in provincia Lodoneſia, (ſive Laudonia,) nunc verò juris Epiſcopi Sancti Andreæ Scotiæ,

Nenn. *hiſt. Brit.*

Malm. *lib.* 1. *cap.* 1. Hunt. *lib.* 2.

Nenn. *hiſt. Brit. &* Hunt. *lib.* 2.

Scotiæ, ſex milliaria (ab occidentali parte) ab illo quondam nobili & eximio monaſterio de *Meilros*. Hactenus Samuel. Erat autem Meilroſenſe monaſterium in regiunculæ Tuedaliæ, in Laudoniæ provincia poſitæ, viciniâ. Et hanc profectionem Hieroſolymitanam ſubindicare videtur Galfridus, dum in Aramo (aut potiùs Aramæo quodam, ſive Syriaco) monte ſublatum ab ipſo Rithonem quendam gigantem, ſive pugilem, (lepidâ intertextâ de regum barbis fabellâ,) memorat. Britannos certè antehac Romam, Hieroſolyma & Syriam inviſere ſolitos eſſe, docent Hieronymus, Rufinus, Theodoretus, & Palladius Galata. Deinde Ambroſium, Eldadi epiſcopi monitu, Ambresburiam in agro Viltonienſi ſitam petiiſſe; útque dignum principibus Britannicis ibi obtruncatis & conſepultis monumentum erigeret, ſuggerente *Tremorino*, ejuſdem cum *Eldado* farinæ imaginario urbis Legionum archiepiſcopo, Merlinum accerſiiſſe, cúmque cum exercitu quindecim millium armatorum in Hyberniam miſiſſe; qui, poſt cruentam inter *Utherum Pendraconem* & *Gillomanum* (ſive *Gillomarum*) principes *Chimæricos* pugnam, ingentes illos lapides, olim *Choreæ Gigantum* nuncupatione inſignitos, nunc *Stonheng* appellatos, ex agro *Cildarienſi* (ſive *Kildarienſi*) aſportaverit, & in Planitie Salisburienſi collocaverit, Britannicæ ſcriptor hiſtoriæ fabulatur. Verùm pugnantia loqui ſe non animadvertit ille hiſtoricus, dum *Choream Gigantum* ibi collocatam eſſe tradit ubi principes memorati jacuerunt, quos ipſe tamen priùs fuiſſe ſepultos Ambresburiæ ſcripſerat; Ambrohúmque regem, illius oppidi monaſterium ingreſſum, *circumſpexiſſe locum quo defuncti*

Galfr. *lib.* 7. *cap.* 5.

Galfr. *lib.* 5. *cap.* 5. Henr. Hunt. *epiſt. ad Warin. de Reg. Brit.*

defuncti jacebant, ac *præcepiſſe Merlino lapides* illos *circa ſepulturam erigere*, narrat, cùm hanc congeriem indè diſpici non poſſe communis docet experientia. Porrò Ambroſium, cujus modeſtiam ac bonitatem Gildas prædicat, Lapidum auferendorum causâ, alienæ, eíque Chriſtianæ, ditioni arma inferre voluiſſe, haudquaquam eſt veriſimile, quæ multò meliùs creſcentibus indies & augeſcentibus in patria ſua paganorum advenarum viribus opponenda forent. Præſertim cùm idoneam ejuſmodi ſaxorum copiam illi ſuppeditâſſe poterant duæ villæ, *Aiburia* & *Roecleia*, prope Marlæburgum, oppidum mercatorium in eodem comitatu Viltonienſi, ſitæ. Sed de hoc monumento plura cùm ad bella Danica pertingemus. Cæterùm miſſis hiſce næniis, de grandioris momenti negotiis magis ſollicitus, Eccleſiæ rebus ordinandis animum intendit Ambroſius. Revocatum ex Armorica Samſonem, ubi Dolenſem eccleſiam rexerat, aut potiùs archiepiſcopo Dolenſi coadjutor fuerat, ad archiepiſcopatum Eboracenſem evexit. Dubricium à Germano Altiſiodorenſi totius Cambriæ archiepiſcopum in eccleſia Landavenſi fuiſſe conſtitutum, (unde nullus Tremorino Galfridiano locus relinquitur,) omnes illius vitæ ſcriptores & Cambrobritannicorum Sanctorum Biographi teſtantur: quæ dignitas metropolitica, ipſo vivente & commigrante, à ſede Landavenſi nunc ab Ambroſio ad Legionenſem transfertur. Circa hoc temporis Angloſaxones Northumbrenſes juxta fluvium *Duglaſſium*, prope oppidum *Vigginum*, in comitatu Lancaſtrenſi, quem Nennius *Londiſi* aut *Lonviſi* vocat, ab Arcturio Hieroſolymis reverſo ſuperantur.

490

Anno

Anno quadringenteſimo nonageſimo primo, qui fuit Anaſtaſii imperatoris primus, & poſt Hengiſti mortem tertius, quo ſolus Romæ conſulatum Olybrius junior adminiſtravit, Ella, receptis è Germania quos, utì dictum eſt, acciverat auxiliaribus, urbem munitiſſimam *Andredceſtriam* (Romanis olim *Anderidam* nuncupatam, ac tunc ad Suſſexiam ſpectantem, & in Andredslega ſive Andredswald nemore ſitam) obſedit. Congregati ſunt igitur, ut Henricus Huntingdonienſis ſcribit, Britanni, quaſi apes, & die expugnabant obſidentes infidiis, & nocte incurſibus. Nullus dies erat, nulla nox erat, quibus ſiniſtri & recentes nuncii Saxonum animos non acerbarent; indè tamen ardentiores effecti, continuis inſultibus urbem infeſtabant; ſemper verò dum aſſilirent, inſtabant eis Britones à tergo cum viris ſagittariis & amentatis telorum miſſilibus. Dimiſſis igitur mœnibus, greſſus & arma Saxones in eos dirigebant: tunc Britones, eis celeritate præſtantiores, ſylvas curſu petebant; tendentibúſque ad mœnia rurſum à tergo aderant. Hâc arte Saxones diu fatigati ſunt, & innumera ſtrages eorum fiebat; donec in duas partes exercitum diviſerunt, ut dum una pars urbem expugnaret, eſſet eis à tergo contra Britonum excurſus bellatorum acies ordinata. Tunc verò cives, diuturnâ fame contriti, cùm jam pondus infeſtantium perferre nequirent, omnes ore gladii devorati ſunt cum mulieribus & parvulis, ità quòd nec unus ſolus evaſit. Et quia tot ibi damna toleraverant Saxones, ità urbem deſtruxerunt, quòd nunquam poſtea reædificata eſt; locus tantùm quaſi nobiliſſimæ urbis tranſeuntibus oſtenditur deſolatus. Hactenus

491.

Hunt. *lib.* 2.

Huntingdonienſis. Ab hujus urbis excidio initium regni Auſtralium Saxonum deducitur, quod primus Ella potentiſſimè rexit, & abhinc ſecundus Anglorum Monarcha emicuit. Ex Andredceſtriæ ruderibus, quum, regis Edovardi Longi tempore, Carmelitæ Fratres ibi monaſteriolum ex impenſis Thomæ Albugeri militis poſuiſſent, ſurrexit mox oppidulum, quod, ratione veteris urbis dirutæ, *Novandena*, Anglicè *Newenden*, appellari cœpit; & nunc ad Cantium pertinet. Anno quadringenteſimo nonageſimo tertio, qui fuit imperatoris Anaſtaſii tertius, obiit magnus ille Patricius Archiepiſcopus Armachanus. Fuit ille genere Britannus, *Bannavæ* in pago, qui *Tabernia* ſive Tabernaculorum campus (quia Romanus exercitus, ut Jocelinus Furneſius ſcribit, tabernacula ibidem fixerit) vocabatur, juxta oppidum *Empthor* ſive *Nempthor*, aut *Nemthur*, haud procul à caſtro Alcludenſi ſive Dunbritannico, natus. Locus ille nunc ab ipſo *Fanum Patricii*, linguâ vernaculâ *Kirk Patrick* & *Kil Patrick*, dicitur. Patrem habuit Calpurnium diaconum, Potiti presbyteri filium; matrem *Conceſſam*, Martini Turonenſis ſororem, aut è ſorore neptem. Bis à piratis captus in ſervitutem abductus eſt. Galliam atque Italiam, & inſulas in mari Tyrrheno poſitas, toto ſeptennio (poſt obitum Martini) ſacra diſcendi ſtudio perluſtravit: deinde per quinquennium in Tamarenſi, ſeu potiùs Camarenſi, non procul ab Arelato ad oſtium Rhodani poſita inſula commorabatur. Sub avunculi Martini, Amatoris Altiſiodorenſis ejúſque ſucceſſoris Germani diſciplina inſtitutus eſt. Amatorem prædictum Joannes Tinmuthenſis *Amotum*, Maccuthenus *Amathum*,

Camd. *in Cant.*

493.

Uſſer. *de Primord. cap.* 17.

mathæum, Nennius *Amatheum*, Rogerius Vendoverius & Matthæus Florilegus *Mathæum* appellant. Cùm verò Amatori immediatè succederet Germanus, à cujus ordinatione ad miſſionem Patricii in Hyberniam non plures quàm quatuordecim anni interceſſerint; Biographos illos falli neceſſe eſt, qui illum ſub Germani magiſterio octodecim annos emenſum, ab eodem deinde ad Amatorem in propinquo habitantem fuiſſe tranſmiſſum ſcribunt, ut ab eo gradum epiſcopalem ſuſciperet. Quatuor itaque annos ſub Amatore, reliquos verò quatuordecim ſub Germano, (quem in Britanniam proficiſcentem ac indè redeuntem comitatus eſt,) ipſum tranſegiſſe, vero magis eſt conſentaneum. Neque enim alius quiſquam Amator vel Amathæus, Gallicanæ ullius eccleſiæ epiſcopus, circa illa tempora floruiſſe legitur. Primò *Succatus* appellabatur, deinde à Germano novum *Magonii* nomen accepit, pro quo, *Maun* apud Nennium, & depravatè *Nonnus* apud Florilegum, reperitur. Mortuo Palladio, Germanus eum, unà cum Segero presbytero, quem Probus Regirum vocat, ad Celeſtinum Papam amandavit, à quo (non ab Amatore) ordinatus eſt Epiſcopus; nepoti ejus Auxilio preſbyteri & Iſſernino diaconi ordine, eodem tempore, collato; qui poſt ſeptem annos, unà cum Secundino, in illius adjutorium ſubmiſſi ſunt. Magonii nomen in Patricium commutavit, eúmque in Hyberniam ultimo pontificatûs ſui anno legavit Celeſtinus, quò, poſt exiguam cum Germano præceptore moram, per occiduam Britanniæ partem tranſiens, pervenit jam ſexagenarius; ibíque per reliquos ſexaginta annos aſſiduæ prædicationi & frequenti conciliorum

Prob. *in vita Patr.* Guil. Malm. *de pontif. lib.* 2. Jocelin. *in vita Patr. cap.* 25. Marian. Scot. *& alii.*

rum celebrationi incumbens, universam insulam ad Christianam fidem convertit. Ecclesias trecentas sexaginta quinque condidisse, totidémque episcopos cum tribus presbyterorum millibus ordinâsse perhibetur; meritóque Hybernienſium Apostolus celebratur: ac demum, ubi centum viginti annos completos, & paucos insuper menses, vixisset, hoc anno, die Martii decimo septimo, feriâ quartâ, regnante, ut Jocelinus & alii docent, apud Britannos Ambrosio, rebus humanis excessit. Ad quam ætatem Britanniæ senes pervenire solitos, auctor est Asclepiades, in fine operis *De Philosophorum Placitis*, Galeno & Plutarcho attributi. Et in dialogo qui dicitur Cornelii Taciti, De Oratoribus sui seculi, Marcus Aper, sexto Vespasiani anno, profitetur, sese in Britannia senem vidisse, qui se pugnæ interfuisse affirmaret, quâ Julium Cæsarem, insulanis arma inferentem, arcere littoribus ac pellere aggressi sunt: quod aliquantò longius humanæ vitæ spatium complectitur. Si quibus autem Patricii, aut aliorum, quorum subindè occurret mentio, longævitas miranda videatur; Valerii Maximi de Senectute memorabili, aliorúmque Romanorum de Censu Vespasiani narrationes, consulant.

494. Circa annum quadringentesimum nonagesimum quartum Angli Northumbrenses Eboracum, pulso Samsone episcopo, occupârunt: quo successu freti, rursus cum Arcturio juxta fluvium Duglassium confligunt, sed ab eodem iteratò superantur.

Nenn. & Hunt. *lib.* 2.

495. Anno quadringentesimo nonagesimo quinto Cerdicus ejúsque filius Chenricus quinque navibus in Britanniam sunt advecti, inquit Florentius, & in loco qui *Cerdices-ore* (sive *Cerdici*

Florent. Vigorn.

dici ora) nominatur appellentes, *eodem die cum Britonibus dimicaverunt, illósque victos fugere compulerunt.* Locum ubi appulerunt, hodie *Cerdickſtand* vicinis dictum, juxta *Jarmutham*, celeberrimum Norfolciæ portum, eſſe, docent Ranulphus Ceſtrenſis & Guilielmus Camdenus, Porrò, Guilielmi Malmesburienſis de horum principum adventu verba hîc ſubjiciam. Cerdicus, gente Germanus, amplis majoribus, quippe à Wodeno decimus, quum domeſticis conflictationibus ingentes ſpiritus aluiſſet, ſtatuit patriâ diſcedere, & armis famam dilatare. Id, animo communicato cum filio Chenrico, meditari auſus, conſentiente adoleſcente, qui proximis gloriæ paſſibus patrem urgeret, in Britanniam cum quinque *Ceolis* (ſive *Cyulis*) copias trajecit. Actum anno Dominicæ incarnationis quadringenteſimo nonageſimo quinto, poſt mortem Hengiſti octavo, (ſcilicet incluſivè ſupputato.) Ipſóque die à Britonibus bello exceptus, vir veteris militiæ non difficulter arietantem multitudinem contudit, & fugere compulit. Quo ſucceſſu & ſibi profundam in reliquum ſecuritatem, & provincialibus quietem peperit: nam nunquam poſt illum diem laceſſendum arbitrati, in ejus jura volentes conceſsêre. Colgrino ejúſque fratri Baldulpho *Deiram* Octa & Ebuſa regendam demandaverant, dum ipſi Britannos Aquilonares in *Bernicia* premerent. Poſt iteratam cladem Duglaſſianam Colgrinus Eboraco ſe includit; Baldulphus per agrum Lincolnienſem ad littora Norfolcienſia ſe confert, ibíque Cerdici exſcenſionem præſtolatur. Arcturius, Eboracum obſidione cingens, redeunti Baldulpho Cadorum ire obviàm jubet; à quo accerrimè nocturno in-

Polych. lib. 5. cap. 4. & Cambd. in Icenis.

Guil. Malm. lib. 1. cap. 2.

ſultu exceptus Saxo, ſuis omnibus ferè amiſſis, vix ipſe fugâ ſolus evaſit, ſumptóque citharœdi habitu, Britannorum agmina pertranſiens, urbem petiit, ac funè demiſſo intra muros tractus, affutura brevi auxilia fidenter aſſerit. Cujus etiam dictis fidem faciunt ſupervenientes nuncii, adventum victoriámque Cerdici propalantes. Quibus rebus cognitis, ab oppugnatione recedit Arcturius. Verùm Colgrinus imminenti periculo liberatus, convocatis undique militibus, & aſſumpto fratre Baldulpho, rurſus in agrum Lancaſtrenſem irrumpit. Paſcentius quoque, Vortigerni filius, jam opportunum paternæ cædis vindicandæ tempus adeſſe arbitratus, ægrotante etiam rege Ambroſio, ſeſe Angloſaxonibus adjungit. Quibus Arcturius, reparato auctóque exercitu, anno quadringentesimo nonageſimo ſexto juxta fluvium Duglaſſium animoſus occurrit, eóſque in fugam compulit. Annóque ſequenti bellum redintegrantes, juxta eundem fluvium Duglaſſium, toties Saxonibus infauſtum, ſolitâ virtute ac fortunâ uſus, ſtrenuiſſimè profligavit. Victor deinde Paſcentium, utpote inteſtinum hoſtem ac perduellem, infeſtiùs proſequendum ratus, eò demum anguſtiarum redegit, ut ſe Ambroſio regi dedere neceſſum haberet. Qui non ſolùm ei clementer ignovit, ſed etiam in Brechinia & Radnoria, Cambricè *Buelth* & *Guorthigirniaun*, regnare permiſit. Ità enim Nennius de hoc Paſcentio; *Regnavit*, inquit, *in duabus regionibus, id eſt, Buelt & Guortigirniaun, poſt mortem patris ſui, largiente Ambroſio, qui fuerat rex in omnes regiones Britanniæ.* Ejúſque poſteros illic ad ſuam uſque ætatem regnáſſe idem teſtatur, Galfridus Paſcentium è Germania mil-

496. Matth. Weſtm.

497.

Nenn. *hiſt. Brit.*

Galfr. *lib.* 5. *cap.* 6.

tes,

tes, ac deinde ex Hybernia regem Gillomarum cum exercitu adduxiſſe, ac tum Paſcentium tum Gillomarum prælio corruiſſe, ſomniat. Cæterùm quid opus fuit ut Paſcentius in Germaniam auxilia petiturus navigaret, cùm ipſa tantam indies confluentium Germanorum multitudinem tunc temporis inſula ſuſpiraret? Et iſte Gillomarus ipſis Hybernienſibus penitùs eſt incognitus: & ſanè Vandalum fuiſſe, atque ex Africa, forſan ad defendendos lapides Africanos, à Galfrido tranſportatum, ex Ranulpho Ceſtrenſi diſcimus, qui Gilimerem, ultimum Vandalorum regem, *Hyberniæ invaſorem Britanniæque expugnatorem* appellat. Quod ad exitum belli Paſcentiani ſpectat, procul dubio Nennii, qui ſuam anno octingenteſimo quinquageſimo octavo hiſtoriolam edidit, quàm Galfridi, qui ſub Henrico ſecundo floruit, longè potior eſt authoritas. Ab antedicta Paſcentii ſubmiſſione, fabulandi anſam Britannicæ conſarcinator hiſtoriæ arripuiſſe videtur, Octam & Ebuſam (quem *Eoſam* vocat) Ambroſio ſupplices factos ac deditios, ab eo *regionem juxta Scotiam* impetrâſſe; quod de *Galvediæ terra* Joannes Caxtonus & Joannes Major accipiunt. At Guilielmus Malmesburienſis, ſcriptor eximius, non ſeſe ſubmittentibus & in fidem receptis conceſſam fuiſſe Gallovidiam; ſed vi & armis, pulſo Galvano Arcturii nepote, qui exinde avunculo ſemper adhæſit, ab iis fuiſſe ſubactam, diſertè prodit, ità de Galvano loquens: *Regnavit in ea parte Britanniæ quæ adhuc Walwertha* (al. *Walwithia*) *vocatur, miles virtute nominatiſſimus, ſed à fratre & nepote Hengiſti regno expulſus, priùs multo eorum detrimento exſilium compenſans ſuum.* Guil. Malm. *lib.* 3.

501. Anno quingenteſimo primo venit Porta, ut
Henr. Hunt. *lib.* 2. Huntingdonienſis habet, & duo filii ejus Beda & Megla, cum duabus navibus maximis apud *Portiſmutham*; ſtatimque clamor maximus implevit omnem provinciam. Dux igitur provinciæ & omnis multitudo pugnam aggreſſi abſque ordine, ut quiſque adveniebat in ictu oculi deperiêre. Audacia namque agebat Britones in hoſtem; fortitudo verò hoſtis agebat imprudentiam eorum in confuſionem. Duce igitur & populo perempto vel fugato, victoriâ potiti ſunt Porta (de quo dicta eſt Portiſmutha) & duo filii ejus. Hactenus Huntingdonienſis.

Florent. Vigorn. & *Annal. Angloſax.* Ducem Britannicum præfatum Florentius Vigornienſis juvenem nobiliſſimum appellat, & iſthoc prælio cecidiſſe tradit; cui etiam conſentiunt Annales Angloſaxonici. Cùm igitur hoſtium viribus, novorum advenarum, Cerdici Portæque, acceſſione plurimùm auctis, imparem ſe animadverteret, Londinum retrocedere, atque indè, Ambroſii permiſſu, legatos ad nepotem Hoëlum Armoricæ regem, validam auxiliarium manum petituros, mittere conſultius duxit Arcturius. Cujus poſtulatis libenter annuit Hoëlus, & cum quindecim armatorum millibus in Britanniam tranſmiſit, atque ad portum Suthantonienſem applicans, ab avunculo gratanter exceptus eſt. Mox, adunatis copiis, in Aquilonem pergentes, Anglos Northumbrenſes juxta amniculum qui *Baſſas* olim vocabatur in fugam conjiciunt. Rivulus ille in ſeptentrionali comitatûs Eboracenſis parte eſſe videtur, ubi villam *Basbiam* dictam, Anglicè *Basby*, hoc eſt, juxta *Baſſam*, ab eo nomen mutuâſſe exiſtimaverim. Colgrinus & Baldulphus, poſt infelicem prælii exitum, ad

Cerdi-

Cerdicum, qui jam Lincolniam obſidebat, confugerunt, quos ocyùs inſecuti ſunt Arcturius & Hoëlus, civitati laboranti ſuppetias allaturi. Mox inito prælio cruentiſſimo, victores Britanni Cerdicum in vicinum nemus, quod tum *Sylva Celidonis*, Britannicè *Cat Coit Celidon*, appellabatur, compellunt. Sex Angloſaxonum millia hoc conflictu occubuerunt. Illi tamen ex fuga ſe recolligentes, & arborum denſitate adjuti, hoſtium tela vitabant, ac inſequentibus audacter obſtiterunt. Tandem, nè fame interirent veritos, eo pacto egreſſum impetrâſſe, ut, relictis ſpoliis univerſis, promiſsóque inſuper annuo ex patria tributo, datiſque obſidibus, *in Germaniam redire cum ſolis navibus ſinerentur*; peractæ autem pactionis Saxones puduiſſe, ac retortis velis Totoneſium eos portum ſubiiſſe, tradit Galfridus. Quanquam Guilielmus Malmesburienſis, tendentem in occiduam Britanniæ plagam ferro viam aperuiſſe Cerdicum, haud obſcurè ſubinnuit; ubi ipſum, *crebras circumquaque victorias extendentem, poſt adventum ſuum viceſimo quarto anno in occidentali inſulæ parte Monarchiam adeptum eſſe* ſcribit. Utut ſe res habet, haud diu illic conquievêre, ſed corrogatis undique congentilium certatim in Britanniam commeantium ſuppetiis, quò latiùs terrorem ſpargerent, agmina partierunt, ità ut Colgrinus & Baldulphus Cornubiam, Dorſetiam verò Cerdicus & Chenricus peterent. Nam in Cerdici contra Nazaliodum bello, nemo hiſtoricorum Colgrini & Baldulphi meminit. Cerdico itaque & Chenrico Nazaliodus, cæteris Arcturius ſe oppoſuit. Hic hoſtes juxta *caſtellum Guinion* adortus, *ſanctæque Virginis Mariæ imaginem ſuper humeros* portans, ingenti ſtrage

Nenn. *hiſt. Brit.* & Henr. Hunt. *lib.* 2. & Polych. *lib.* 5. *cap.* 6.

Galfr. *lib.* 7. *cap.* 2.

Guil. Malm. *lib.* 1. *cap.* 2.

Nenn. *Hiſt. Brit.* Henr. Hunt. *lib.* 2.

ſtrage editâ eos profligavit. In Cornubia pugnatum eſſe, ex marginali Nennii nota diſcimus; unde locum hunc eandem eſſe villam quæ hodie *Guithion* dicitur, cui etiam propinquus eſt viculus *Tregenno* nuncupatus, in extrema ejuſdem comitatûs parte, exiſtimamus.

At Cerdicum blandior quàm ſocios fortuna excepit, quippe qui inſignem anno quingenteſimo octavo de Nazaliodo victoriam reportavit, quam ſic depinxit Huntingdonienſis: Congregatâ igitur, inquit, omni multitudine Britanniæ, auxilium petierunt in ſupremis negotiis Cerdicus & filius ejus ab Eſco rege Cantuariorum, & ab Ella magno rege Sudſexorum, & à Porta & filiis ejus qui nuper venerant. Et duas acies bello ſtatuerunt, unam regebat Cerdicus, aliam verò Chenricus filius ejus: Cerdicus regebat cornu dextrum, Chenricus verò ſiniſtrum. Inito ergò prælio, rex Nazaliodus dextrum cornu videns præſtantius, irruit ipſe, & omnes vires ejus, ut illud, quod fortiſſimum erat, priùs proſterneretur. Proſtratis ergò vexillis & acie perforatâ, Cerdicus in fugam verſus eſt, & facta eſt ſtrages maxima aciei ejus in momento. Videns autem ſiniſtrum cornu, ductum à filio, quòd dextrum cornu patris ſui deſtructum eſſet, irruit in terga proſequentium, & aggravata eſt pugna vehementer, & cecidit rex Nazaliodus, & verſi ſunt ſui in fugam, & interfecti ſunt ex eis ad quinque millia; cæteris verò celeritas fuit ſubſidium. Saxones igitur prærogativâ victoriæ potiti ſunt. Ità Huntingdonienſis. Cùm autem hunc Nazaliodum non modò *Regem* Fabius Æthelvardus, Florentius Vigornienſis & Anglo-

Henr. Hunt. *ibid.*

508.

ſaxonici

ſaxonici omnes Annales, ſed etiam *Regem maximum Britannorum* Henricus appellat, & *Magni nominis* fuiſſe aſſerit; quid obſtat, quò minùs illum haud alium fuiſſe quàm ipſum Ambroſium, cum Camdeno, ſentiamus? Cúmque à Nazaliodo regionem juxta Cerdicfordiam (in comitatu Surhantonienſi poſitam villam) *Nazaliodiam* olim eſſe dictam veteres rerum Anglicarum ſcriptores narrant, & Ambroſio conceſſam à Vortigerno fuiſſe Occidentalem plagam, cujus pars ille comitatus eſt, ex Nennio didicimus, ejúſque fratrem Conſtantem ex monaſterio Vintonienſi ad Cæſarianam dignitatem fuiſſe raptum, ac patrem Conſtantinum Segontii, quod nunc Silceſtria dicitur, & in eodem comitatu ſitum eſt, purpuram induiſſe legimus; ab ipſo ſanè, qui Britannorum plebi & Saxonibus *Nazaliodus* forſan nominatus, Romano autem nomine *Ambroſius*, appellationem traxiſſe illud territorium, quidni credibile videatur? Cúmque illum hiſtoriæ Britannicæ ſcriptor ejúſque ſequaces *Aurelium Ambroſium*, Gildas verò & Beda ac Paulus Diaconus *Ambroſium Aurelianum* nuncupant; viderint hiſtoricæ rei ſtudioſi, an non ille, proprio nomine *Aurelius*, utpote Aurelii Conſtantini filius, poſt patris cædem in Ambroſiorum familiam coöptatus, indè *Ambroſius Aurelianus* diceretur, ſicut olim Æmylius & Octavius, in Scipionum & Cæſarum familias aſciti, exinde *Scipio Æmylianus* & *Cæſar Octavianus* appellati ſunt. Vegetus profectò ſenex, qui ferè centenarius in pugnam prodiit, quum annos quadraginta tres regnâſſet; quémque bello contra Saxones corruiſſe, Flavius Blondus, Huldericus Mutius, Polydorus

Idem ibid.

Camd. in Belg.

Blond. Mutius *German. Chron. lib.* 5.

Polyd. Virgil. lib. 3. rus Virgilius, Octavius Strada & Onuphrius Panvinius teſtantur. Sepultus eſt in cœmeterio Ambresburiæ, quæ ab ipſo, juxta Camdenum, (qui antiquos quoſdam reges ibi ſitos eſſe adjicit,) nuncupationem ſortita eſt: quamvis Galfridus ab *Ambrio* quodam Abbate, qui trecentorum monachorum cœnobium ibi fundaverat, dictam mavult. Ejus nepotes, quos *magnopere ab avita bonitate degenerâſſe* Gildas ſcribit, fuiſſe Conſtantinum Cornubienſem & Aurelium Conanum ut opinemur, ipſa eorum quodammodo ſuadent nomina, hoc avum, illo proavum referente. Eo igitur perempto, Britanni Arcturium, tot tantíſque victoriis inſignem, eodem anno, in urbe *Legionis*, ſuper *Iſcam* fluvium juxta Sabrinæ æſtuarium poſita, quam nuper, victis ejectíſque qui eam occupaverant Saxonibus, recuperaverat, quæ nona ejus eſt victoria, communi conſenſu, ſupremum ſibi Monarcham conſtituerunt; qui à Dubricio archiepiſcopo coronatus, mox Anglos Northumbrenſes adiit, eóſque in *littore fluminis*, ut Nennius ſcribit, *quod vocatur Ribroit*, iteratò profligavit. Henricus Huntingdonienſis, & ille qui Nennio notas appoſuit marginales, hunc fluvium *Tracktheuroit*, pro *Traith Ribroit*, id eſt, *Ribroiti ſabuloſum æſtuarium*, nuncupant: quem fluvium *Ribroit*, ſi conjecturæ detur venia, *Ribellum* eſſe, qui *Ribodunum* oppidum (nunc Ribceſtriam) alluit in comitatu Lancaſtrenſi, autumarem. Circa hæc tempora David Menevenſis, Theliaus & Paternus Hieroſolyma profecti, ab illo Patriarcha epiſcopalem ordinationem, ſed ſine titulis, accepiſſe perhibentur. Colgrinus verò & Baldulphus, haudquaquam adverſus ſucceſſibus

Uſſer. Primord. cap. 13.

Nenn. hiſt. Brit. & Hunt. lib. 2. 509.

territi,

territi, provinciæ Someſetenſi manus injiciunt: adverſus quos Arcturius, relicto in ſeptentrionali plaga Hoëlo, exercitum incunctanter reducit, & in monte qui Nennio *Cathregonion* dicitur, (*quem nos*, ut notularum marginalium aſſutor & Henricus Huntingdonienſis inquiunt, *Cathbregion* appellamus,) cum iis confligens fundit fugátque. Locum pugnæ hodie *Cadburiam* vocari, ſcilicet viculum prope *Camaletum*, olim non ignobile Arcturii, ut fertur, palatium, Camdenus arbitratur. 510. Camd. in Belg.

Hinc graviori ſe certamini accingere neceſſum habuit rex Britannicus: nam Cerdicus ad Sabrinum mare populabundus proceſſit, atque indè reflexis ad urbem *Badonis*, quæ nunc *Bathonia* dicitur, copiis eam obſedit; ad quem etiam Colgrinus & Baldulphus ſe receperunt. Conveniunt undiquaque ad ſigna Britanni, de rei ſumma decertare jam parati, regíſque ac Dubricii archiepiſcopi adhortationibus confirmati, prælium cum Angloſaxonibus conſerunt longè cruentiſſimum. Totâ die conſtanter æquo ferè Marte pugnatur, & ingens utrinque ſtrages editur: nocte autem appropinquante, Saxones vicinum montem Badonicum, qui nunc *Banniſdunum* appellatur, occupant, ibíque eos Britanni obſederunt. Manè autem facto redintegratur pugna, dum hi montem conſcendere, illi verò deturbare ſcandentes, ſatagunt: cúmque in hunc modum dimicando multum diei tranſegiſſent, Arcturius tandem Beatæ Virginis imaginem, ut antè in *Guinionenſi* prælio, geſtans, validiſſimo impetu irruens, cacumen adipiſcitur; Saxonibúſque (fortiſſimè nequicquam reſiſtentibus) primùm loco motis, deinde in præcipitem fugam

gam conjectis, multísque millibus contrucidatis, victoriam reportavit illustrissimam. Cecidêre hoc prælio Colgrinus & Baldulphus, evasit autem Cerdicus ad meliora fata reservatus; quem tamen historiæ Britannicæ scriptor à Cadoro Cornubiensi in Thanato insula peremptum fabulatur: quasi ille, cum decem militum millibus, potentissimi regis Ellæ dominia, totúmque regnum Cantianum jam diu stabilitum, nemine obstante pertransire, exercitúmque illæsum atque intactum reducere
511. potuisset. Bellum hoc Badonicum nè ultra annum quingentesimum undecimum differamus, efficiunt conventus Eboracensis ac Legionensis mox secuti, & Dubricii archiepiscopi præsentia; nè citiùs verò ponamus, rerum præcedentium varietas ac multiplicitas. De
Gild. *epist.* hoc prælio ità Gildas, ubi victoriam Ambrosianam memoraverat: Ex eo, inquit, tempore nunc cives, nunc hostes vincebant, ut in ista gente experiretur Dominus solito more præsentem Israëlem, utrùm diligat eum an non; usque ad annum obsessionis Badonici montis, novissimæque ferme de furciferis non minimæ stragis; quíque quadragesimus quartus (ut novi) orditur annus, mense jam uno emenso, qui & meæ nativitatis est. Hinc illam Saxo-
Bed. *lib.* 1. *cap.* 16. num stragem Beda aliíque nonnulli factam notant *quadragesimo circiter & quarto* anno adventûs eorum in Britanniam; annorum illum numerum à Gilda editum ad anteriora referen-
Usser. *Primord. cap.* 13. tes: quum, ut optimè observavit Usserius, tempus quo scripta ab eo ista sunt spectâsse potiùs videatur. Perinde ac si dixisset, à clade Badonica quadragesimum quartum tunc numerari cœpisse annum, unico quippe anni illius mense

menſe adhuc elapſo; ídque ex ſua ipſius ætate ſe noviſſe, quandoquidem & ſuæ nativitatis & illius victoriæ eundem fuiſſe annum à parentibus ipſe didicerit. Quo poſito, & Gildam anno illo quingenteſimo undecimo in lucem editum, ac proinde, ut à Gilda Albanio diſtingueretur, *Badonicum* fuiſſe nominatum, & anno quingenteſimo quinquageſimo quinto ſcriptam ab eo fuiſſe hanc quam illius habemus epiſtolam, pariter erit conſectarium. In hoc prælio biduano Arcturium propriâ manu quadringentos quadraginta viros confodiſſe narrat Henricus Huntingdonienſis, quadringentos ſeptuaginta Galfridus Monumethenſis. Interea Picti Scotíque, proſperis Arcturii rebus invidentes, percuſſo cum Anglis fœdere, Hoëlum in Alcluda (quæ nunc Britannodunum vocatur) ægrotantem obſident; adverſus quos exercitum victorem hoc ipſo anno Britannus duxit, victóſque longiùs ſubmovit. Ipſe demum, & Hoëlus, qui jàm convaluerat, abeuntes inſecuti atrocibus affecêre cladibus, atque intra inſulas in lacu magno poſitas concluſos ad internecionem uſque deleviſſent, ut Galfridus refert, ni gentis utriuſque epiſcopi omnes cum univerſo clero veniam pacémque obteſtatione ſupplici impetráſſent, eâ lege, ut deinceps Picti ac Scoti imperio Britannico ſubjecti agerent. In hac expeditione, non procul à Taoduno ſive Deidono in Anguſia, conjugi fato functæ justa perſolvit Arcturius, quam Hector Boëtius pro *Gueneveria Guanoram* nuncupat; & *conſtantem in ea regione perſeverare famam* tradit, *mulieres ſi id ſepulchrum calcaverint, exinde ut erat Guanora ſteriles permanere*; ideóque *fœminas id monumentum ut peſti-*

Hunt. *lib.* 2. Galſr. *lib.* 7. *cap.* 2.

Idem lib. 7. *cap.* 3.

Hect. Boët. *lib.* 9.

peſtilentem locum abhorrere, uſque adeò ut nè videant quidem libenter, idémque ſuos docere filios. Datâ igitur veniâ Scotorum & Pictorum *populis, petivit rex* Arcturius *Eboracum*, inquit Galfridus, *inſtantis Natalis Domini feſtum celebraturus. Cúmque urbem intréſſet, visâ ſacrarum eccleſiarum deſolatione condoluit.* Expulſo namque beato Samſone, cunctiſque ſanctæ religionis viris, templa ſemiuſta ab officio Dei ceſſabant; tanta etenim Paganorum inſania prævaluerat. Exinde convocato clero & populo, *Piranum* capellanum ſuum Metropolitanæ ſedi deſtinavit; eccleſias uſque ad ſolum deſtructas renovat, atque religioſis cœtibus virorum ac mulierum exornat; proceres autem, inquietudine Saxonum expulſos, patriis honoribus reſtituit. Hactenus Galfridus. Cùm verò ſolennitas Pentecoſtes adveniret, anno duodecimo ſupra quingenteſimum, Arcturius, qui jam alteram uxorem, itidem *Gueneveriam* dictam, eximiæ pulchritudinis fœminam, duxerat, illuſtrem in urbe Legionis ſuper Iſcam conventum magna cum pompa celebravit. Ibi Dubricius, in Eremiticam vitam anhelans, ſeſe ab archiepiſcopali ſede depoſuit; in cujus locum ſacratur David, regis conſobrinus, cujus vita exemplum totius bonitatis erat his quos doctrinâ imbuerat. In Landavenſi verò ſede ſucceſſit ei Theliaus, quem Galfridus *illuſtrem presbyterum* vocat; quanquam jam antea epiſcopum à Patriarcha Hieroſolymitano conſecratum alii eum retulerunt. Samſon junior, epiſcopus ſine titulo nuper à Dubricio ordinatus, Dolenſis archipræſul conſtituitur, (quam quidem eccleſiam Samſon ille ſenior priùs rexiſſe fertur,) annuente Hoëlo

Galfr. *lib.* 7. *cap.* 3.

512.

Idem lib. 7. *cap.* 4, 5.

rege

rege Armoricanorum Britonum, cui vita & boni mores virum commendaverant. Episcopatus verò Silcestriæ Maugantio decernitur, Vintoniæ Duviano, Alcludæ Eledanio. Mox *Brevia* in Ceretica, quæ nunc Cardiganensis appellatur, universalis contra Pelagianos recrudescentes coacta est Britannorum synodus; ubi quum disputando ac prædicando haud satis proficerent atque prævalerent catholici, tandem Paulini suasu David accersitur; qui totus contemplationi deditus, de temporalibus rebus & secularibus, nisi necessitate urgentiore compulsus, aut nihil aut parùm curans, accedere distulit, quousque Dubricius archiepiscopus, & Daniel, (qui sacrum in Arvonia collegium instituens, non procul à trajectu in Anglisciam, cui *Portûs* dedit nomen, à Dubricio primus circa hæc tempora ejusdem ordinatus est episcopus,) ipsum adeuntes, illuc tandem adduxerunt. Ille igitur adveniens, egregio sermone habito, vesanam hæresin profligavit, ac deinde communi omnium consensu totius Cambriæ archiepiscopus est constitutus; *cùm* ipse *Dubricius*, ut Giraldus loquitur, *in memorata urbe Legionum curia, eidem paulò antè suâ tam destinatione quàm nuncupatione cessisset honorem.* Hinc synodi locus *Fanum* Davidis *Brevience*, Cambricè *Lhan Dewy Brevy*, dici cœpit. Ex citatis Giraldi verbis falli Balæum liquet, ubi Brevicnsem synodum ante conventum Legionensem collocat. Eodem anno Dubricius in insula *Enlia*, sive *Birdseia*, quò recesserat, decimâ octavâ calendarum Decembris obiit, ibidémque sepultus est; cujus successore Davide procurante, Arcturióque rege annuente, ab urbe Legionis

Giral. Cambr. *in vita Davidis.*

Idem in Itiner. Cambr. *lib. 2. c. 4.*

Bal. *script. Brit. cent. 1.*

ad Menevíam, quæ indè Fanum Davidis, Cambricè *Twy Dewy*, appellabatur, tranſlata eſt metropolitana dignitas. Dubricii mortem in annum quingenteſimum viceſimum ſecundum differunt Joannes Balæus & David Poëlus: verùm enimvero non eſt quòd eorum, utpote recentiorum, & abſque ullo locuplete teſte loquentium, fidem, vetuſtioribus quos hac in re ſequimur authoribus, Joanni Tinmuthenſi & Joanni Capgravio, anteponamus. Hoc etiam anno Gildas Albanius, qui ſolitariam aliquandiu vitam egerat, ſpiritum efflavit, & in eccleſia Glaſtonienſi ſepultus eſt. Eodem quoque anno defunctus eſt *Eſcus* rex Cantianus, quum annos viginti quatuor regnâſſet, cui ſucceſſit *Octa* filius.

Joann. Tinm. *in Sanctilog.* & Joann. Capgrav. Malm. *antiq. Glaſton.* Uſſer. *Primord. cap.* 13. Malm. *lib.* 1. Florent. Vigorn.

514. Matth. Veſtm. Bed. *lib.* 2. *cap.* 5. Hunt. *lib.* 2.

Anno quingenteſimo decimo quarto, ubi annos viginti tres regnâſſet, fatis conceſſit Ella, ſecundus Anglorum Monarcha, qui potentiſſimorum regum primus à Beda numeratur; quippe qui, ut Huntingdonienſis docet, omnia jura regni Anglorum, reges ſcilicet & proceres & tribunos, in ditione ſua tenebat. Florentius Vigornienſis, qui cæterorum omnium Heptarchiæ Angloſaxonicæ Fundatorum ſtemmata recenſuit, ſolius hujus genealogiam prætermiſit: at Joannes Spedæus, quâ nixus authoritate neſcio, hunc *Eſe* filium facit, cujus ex *Eoppa* filio nepos fuit *Ida* rex Berniciæ primus. Tres filios habuit rex Ella, *Cimenium*, *Plentingum*, & *Ciſſam*; è quibus, *Cimenius* & *Plentingus* ante patrem occubuêre. Scriptores Angloſaxonici *Cimenium* & *Plentingum*, nuſquam verò *Colgrinum* & *Baldulphum*; Scriptores autem Cambrobritannici *Colgrinum* & *Baldulphum* fratres, nuſquam verò *Cimenium* & *Plentingum*

Sped. *in tabula Genealog.*

tingum memorant. Unde Angloſaxonum *Cimenium* & *Plentingum*, Cambrobritannorum *Colgrinum* & *Baldulphum*, in *Oſæ* & *Ebuſæ* auxilium ab *Ella* rege ſubmiſſos, diverſiſque nominibus à diverſarum gentium Hiſtoricis, quod haud inuſitatum, appellatos eſſe; nullámque ideo duorum horum fratrum poſt captam Andredceſtriam apud Angloſaxonicos Scriptores, ſuorum gloriæ conſulentes, occurrere mentionem, propterea quòd minùs proſperè ipſis contra invictiſſimum bellatorem Arthurium dimicantibus res ceſſiſſent, autumaverim. Quòd autem *Ciſſam* cum *Colgrino* Ricardus Vitus Baſingſtochius confundit, erroris haud immeritò coargui poterit, quum illum diu prælio Badonico ſuperſtitem fuiſſe conſtat. Solus igitur ex Ellæ filiis patri ſuperſtes *Ciſſa*, ei in Auſtralium Saxonum regno ſucceſſit, ac urbem à ſuo nomine *Ciſſanceſtriam*, nunc contractiùs *Ciceſtriam*, nuncupatam, & oppidum *Ciſſanburiam* in Suſſexia exſtruxit: quæ *Ciſſanburia* temporis injuriâ collapſa eſt; ſolummodo vallum militare agreſti aggere incinctum oſtendunt accolæ, quod hodie *Cisburia* dicitur. Cum Ella vixerunt Clodovæus Francorum, Alaricus & Genſalaricus Viſigothorum, & Theodericus Oſtrogothorum, in Gallia, Hiſpania & Italia, reges.

Ricard. Vit. Baſingſt. *lib.* 8.

Camd. *in Regnis.*

III. *CERDICUS.*

Annal. Angloſax. & Florent. Vigorn.

ELLÆ in ſuprema Anglorum Monarchia ſucceſſit Cerdicus, *Elſii* filius, *Eſlæ* nepos, *Geviſſi* pronepos; à quo Geviſſo Britanni Occiduos Saxones appellârunt *Geviſſæos*. Fuit ille *Viggæ* filius, *Frevini* nepos, *Fredegarii* pronepos, *Brandonis* abnepos, qui *Brando Moguntiam* cepiſſe, ac *Brandenburgum* condidiſſe perhibetur, & filio Odini *Begdego* ſive *Beldego* oriundus exſtitit. Poſt cladem Badonicam Cerdicus Britannos ultrà laceſſere deſtitit, quouſque accerſitæ è Germa-

514. nia ſuppetiæ advenirent, quæ hoc eodem anno (quo rex Ella è vivis exceſſit) ab ipſius nepotibus *Stuffo* & *Vitgaro* adductæ ſunt. Qui ad *Cerdici oram*, ità ab avunculo priùs illic appellente denominatam, advecti, Britannos, qui poſt Cerdici diſceſſum partes illas rurſum occupaverant, ingenti cæde editâ profligârunt. Indè in occidentem tranſeuntes, properante in eorum occurſum Cerdico, ſe ei adjunxerunt, ejúſque vires ac potentiam adunatis copiis plurimùm auxerunt atque confirmârunt. Unde

Hunt. *lib.* 2. *per eos*, inquit Henricus, *fortitudo Cerdici facta eſt terribilis, pertranſiitque terram in fortitudine gravi.* Recrudeſcente igitur bello, poſt aliquot velitationes ac leviora certamina,

519. tandem anno quingenteſimo decimo nono Occidui Saxones *Cerdicfordiæ*, ſive ad *Cerdici vadum*, acerrimè cum Britannis conflixêre. Locus Anglicè *Cheardford* dicitur. Ex utraque parte conſtanter pugnatum eſt, donec declinante jam die, fatigati Britanni, multis ſuorum

rum deſideratis, fugâ ſibi conſuluêre, victoriámque Cerdico & Chenrico non incruentam reliquêre. Arcturius hoc ſucceſſu motus, nè parvam Britannici exercitûs manum aſſiduè bellando detereret, fœdus cum Cerdico percuſſit, datis ei provinciis Hantonienſi & Somerſetenſi; quum *Porta* filiíque, & *Melvaſius* regulus pridem memoratus, aut bellis abſumpti, aut naturali morte defuncti, jam oppetiiſſent. Thomas Rudburnus, in majore Chronico, hujuſce fœderis ità meminit: *Cerdicus, ſive Cerdicius,* inquit, *ſuper Britones plures exercens victorias, poſt adventum ſuum anno XIV°, monarchiam Occidentalium Saxonum adeptus, regni diadema ſuſcepit, coronatus more gentili apud Wintoniam, in loco quem de Chriſti eccleſia,* i. *Wintonienſi, monachis interfectis, Pagani templum fecerant Dagon, anno Dominicæ Incarnationis DXVI°, anno ſecundo regni Arthuri regis Britonum. Porrò, Cerdicum ſæpius cum Arthuro conflixiſſe* refert: *pertæſum* verò *Arthurum cum Cerdico deinceps prælia inire,* eodem anno *fœdus cum illo pepigiſſe; & conceſſiſſe Cerdicum Cornubienſibus, ut ſub annuo tributo ritum Chriſtianæ religionis obſervarent.* Enimvero quoad tempus ſibimet adverſatur, quum annum quingenteſimum decimum ſextum cum anno adventûs Cerdici decimo quarto minimè convenire liquidò conſtat. Ranulphus Ceſtrenſis, *In quibuſdam,* inquit, *Chronicis legitur, quòd Cerdicus ſæpius cum Arthuro confligens, ſi ſemel vinceretur, aliâ vice acrior ſurrexit ad pugnam: tandem Arthurus extæditatus, poſt viceſimum ſextum annum adventûs Cerdici, fidelitate ſibi juratâ, dedit ei Hamteſcbiram & Somerſetam, quam partem vocavit Weſtſexam.* Factum hoc,

Rudb. *lib.* 2. *cap.* 1.

Polychr. *lib.* 5. *cap.* 6.

ex Ricardi Diviſionenſis Chronico *poſt duodecimum annum adventùs Cerdici*, Joannes Lelandus prodit: ſed exemplar M. S. *Diviſionenſis*, ſive *Diviſienſis*, in Coll. Corp. Chriſti Cantabr. adſervatum, de Cerdico & Arcturio loquens, rem ità exhibet. *Diu & ſæpe decertatum eſt inter eos; omni altero menſe Cerdicius de inſula expellebatur, & omni altero menſe acrior revertebatur. Ad poſtremum Arturus tædio victus, conſiderans quòd, dimicando cum illo quotidie, nihil proficeret, in gratiam recepto, & fidelitate juratâ, dedit in poſſeſſionem Hanteſciram & Somerſetam; qui aliquid tamen quod deſiderabat adeptus, datam ſibi provinciam, quia in occidentali parte erat Britanniæ, appellavit Weſtſexam, & commilitones ſuos Weſtſaxones: caput autem ducatùs ſui habuit Wintoniam.* Ità Diviſienſis, cui hanc notulam manu ſatis antiquâ in margine reperi appoſitam, *Tandem poſt viginti quatuor annos ex quo Britanniam venerat.* Qui certè annorum numerus ab ipſo Thoma Rudburno confirmatur, ubi fœdus iſtud & regni Cerdici initium in eundem annum conjicit, quantumlibèt circa annum Chriſti & regni Arcturii hallucinatur. Hoc enim anno Cerdicum nomen ſibi regium ſumpſiſſe cuncti ferè rerum Angloſaxonicarum ſcriptores conſentiunt, qui ſcilicet Imperatoris Juſtini ſecundus fuit; adeóque ille primus Occidentalium Saxonum Rex, tertiúſque Anglorum Monarcha evaſit.

Leland. *Aſſert. Artur.*

Ricard. Diviſ.

Sancito igitur prædicto fœdere, altâ per octennium proximum pace fruebatur Inſula, quo temporis ſpatio Britanni ordinandis Eccleſiæ rebus præcipuè incubuerunt. Circa hæc tempora Paternus eccleſiæ in Ceretica, à

ſuo

ſuo nomine *Paternenſis*, Cambricè *Llan Padern Vaur*, appellatæ, primus factus eſt epiſcopus. David Menevenſis Archiepiſcopus provincialem totius Cambriæ ſynodum coëgit, cui nomen *Victoriæ*, in qua Brevienſis concilii ante decennium habiti Acta contra Pelagianos confirmata ſunt, & addita alia quæ ad commodum eccleſiæ regimen videbantur neceſſaria. Utriuſque ſynodi tum Brevienſis tum Victoriane decreta ipſe David ſuâ manu literis mandavit, ſuæque & aliis per Cambriam eccleſiis ſervanda commendavit; quæ ſub eo deinceps ſtatum habuerunt florentiſſimum. *Heſit enim*, inquit Gildas, (ubi victorias Ambroſianam & Badonicam enarrâſſet,) *tam deſperati inſula vxcidii, inſperatique mentio auxilii, memoria eorum qui utriuſque miraculi teſtes exſtitêre; & ob hoc, reges, publici, privati, ſacerdotes, eccleſiaſtici, ſuum quique ordinem ſervârunt.* Petrocus, Cumbriæ regis filius, qui, mortuo patre, regno hæreditario renuncians, viginti annos in Hybernia bonis ſtudiis impenderat, indè Cornubiam venit, exſtructóque cœnobio in loco qui antea *Lodericum* & *Laſſenacum*, ab illo autem *Petrocſtoa*, & contractiùs *Padſtoa*, dicebatur, vitam ibi diu monaſticam exegit. Hoc etiam tempore, Nennio ſeu Nennius, ſedis quæ *Magnum Monaſterium* vocabatur epiſcopus, Juſtinianus, Honorius & Cenedus eremitæ, in Britannia claruerunt. At luctuoſus erat Chriſtianorum Vintonienſium ſtatus; nam Sancti Amphibali templum, interfectis à Cerdico monachis, idololatrico cultui ritibúſque dæmoniacis aſſignatum eſt. Iſtam monachorum cædem, eccleſiæque violationem, ad decimum ſupra ducenteſimum à Diocletiani morte annum,

Girald. Cambr. *in vita Davidis.*

Gild. *epiſt.*

Joann. Tinm.

523. num, qui Chriſti nati fuit quingenteſimus viceſimus tertius, refert eccleſiæ Vintonienſis Antiquitatum concinnator. Quòd autem ille, & ejuſdem eccleſiæ hiſtoriolæ alius exarator, annis ducentum quadraginta duobus ante Birini adventum id contigiſſe ſcribant, neutiquam conſiſtere poterit, quum eo tempore necdum è Germania in Britanniam Cerdicus tranſiiſſet.

Hactenus ſub Regum Cantianorum Præfectis vixerant Saxones Orientales; ſed nunc demum, anno quingenteſimo viceſimo ſeptimo, Regium

527. ſibi nomen illic ſumpſit *Erccnovinus*, *Offæ* filius, *Bedicani* nepos, *Sigefugeli* pronepos, *Sueppæ* abnepos, *Andèſci* atnepos, *Geſaci* (*Exanetâ* ſive *Saxonetâ* Odini filio oriundi) trinepos. *Eodémque ferè tempore quo regnum ſurrexit Orientalium Saxonum, cæpiſſe regnum Orientalium Anglorum*, docet Guilielmus Malmesburienſis. Ranulphus verò Ceſtrenſis, ejuſdem Guilielmi, *Priùs regno Weſtſaxonum pullulâſſe regnum Orientalium Anglorum* narrantis, mente haud ſatis perſpectâ, hujuſce regni ſub Uffa initium, in annum ſecundum ſupra quadringenteſimum nonageſimum conjicit. Quanquam Malmesburienſem eo loco non *Uffam*, ſed *Cerdicum* in iis partibus aliquantiſper primitus conſidentem, ac *Stuffi* & *Vitgari* ad eaſdem appulſum, reſpexiſſe, ut arbitremur, omnino eſt neceſſe, ſi ipſum ſibimet conſtare voluerimus. Pro nobis etiam facit Matthæus Florilegus, ad hunc annum, qui Juſtiniani imperatoris primus fuit, ità ſcribens: *Eodem anno venerunt de Germania pagani, & occupaverunt Eſtangliam, id eſt, regionem illam quæ Orientalium Anglorum regio dicitur; quorum quidam*

Hunc lib. 2. Matth. Veſtm. Florent. Vigorn. Guil. Malm. lib. 1. cap. 6. Polychr. lib. 5. cap. 4. Malm. lib. 1. cap. 5.

Matth. Veſtm.

dam Merciam invadentes, bella cum Britonibus plurima peregerunt: ſed quoniam proceres eorum erant multi, nomine carent. Hinc, Orientales Anglos tum primùm adveniſſe liquet, nec ab uno, in initio, ſed à pluribus ſimul regibus adminiſtratos, quos inter Uffa præcipuè eminuit, *à quo reges Orientalium Anglorum Uffingi ſunt appellati.* Fuit ille *Quicelmi* filius, *Hirpi* nepos, *Rothimundi* pronepos, *Trigiſili* abnepos, *Tilmonis* (*Caſerâ* Odini filio prognati) atnepos. Illorum adventu fretus accenſúſque rex Cerdicus, cum filio Chenrico, rupto fœdere, Britannos adoritur, quibuſcum acriter eodem anno conflixit, *& falla eſt*, inquit Henricus, *ſtrages magna ex utraque parte.* Pugnæ locus exinde *Cerdicslega* (Anglicè *Cheardsley*) dicebatur, éſtque in comitatu Bucchinghamienſi. Miltonus iſtud prælium, quod diu poſt Dubricii mortem conſertum eſſe conſtat, cum Badonico, cui eundem interfuiſſe Dubricium omnes uno ore conſentiunt, perperàm confundit. Picti Hybernici (etiam *Cruithnii*, *Cruthinii* & *Crutheni* dicti) è Clanboiana in Monam inſulam, ſive Angliſeiam, cum rege ſuo *Sirigi* trajicientes, in loco *Yn Hericy Gwydhyl* ab ipſis (qui Britannicè *Y Gwydhyl Phiciiaid* vocabantur) denominato, Britannos fuderunt: ſed à Venedotiæ rege Cadovallone Longimano, qui ſuâ manu *Sirigim* obtruncavit, apud *Lhan Y Gwydhyl* (Hybernorum in Promontorio ſacro quod *Holy Head* Anglicè nuncupatur eccleſiam) victi expulſíque ſunt. Horum memoriam conſervant tumuli foſsâ circundati, quos *Hybernorum caſulas* appellant Inſulani. Iſte igitur Sirigis Hiſtorico Britanno, ſuas de Gillomaro ſive Gillomano, prioris Gillomari ſucceſſore

Bed. *lib.* 2. *cap.* 15.

Hunt. *lib.* 2.

Milton. *Hiſt. Angl.*

Liber Triadum.

Galfr. *lib.* 7. *cap.* 3.

ceſſore & Hyberniæ rege, bella adverſus Britannos gerente, fabulas contexendi, anſam fortaſſe miniſtraverit. Centigernus Glaſconienſis ſive Glaſcuenſis epiſcopus, Galvani & Modredi è ſorore *Thamete* nepos, Servani Orcadenſis epiſcopi diſcipulus, poſt *Marci* regis Cumbrenſis, qui plurimùm ipſi faverat, mortem, à populariſbus ſede ſuâ ejectus, Meneviam ſeſe ad Davidem contulerat, & cum eo moram aliquantiſper traxerat. Huic victor Cadovallo locum in territorio Flintenſi ad conſtruendum monaſterium donavit, qui ſedem ibi epiſcopalem, *Elguenſem* ſive *Elvienſem* à fluviolo præterlabente nominatam, conſtituit. Centigerni expulſionem, cæteráſque turbas antè memoratas, occupato in prima ſua expeditione Gallicana Arcturio, contigiſſe putaverim; qui ille, præſtiti à nepote auxilii gratam rependens vicem, Flollonem, ſive Frollonem, (non Romæ tribunum Gallias ſub imperatore Leone, ut habet hiſtoria Britannica, regentem, ſed) Gallum Armoricanum, regi Britannorum tranſmarinorum Hoëlo rebellem, profligavit, & duello proſtratum extinxit.

Joann. Tinm. *in Sanctilog.*

528. Anno igitur proximè ſequente in Britanniam ovans remeavit Arcturius, cunctóſque hoſtium motus ſuâ præſentiâ ſedavit; unde quieſcentibus ad tempus Angloſaxonibus, Britanniæ pax reſtitui viſa eſt: quo factum eſt, ut ab hoc ipſo anno, qui Cerdici decimus fuit, Guilielmus Malmeſburienſis, Ranulphus Ceſtrenſis & Joannes Tinmuthenſis regni ejus initium arceſſerent; quaſi jam nunc auguſtiore cum ſplendore regium ornare apicem inciperet. Porrò, ſi genuinum adeóque antiquum ſit illud ſigillum, quod Veſtmonaſterii Lelandus

Malm. *antiq. Glaſton.* Tinm. *Aurea hiſtor. Polychr. lib. 5. cap. 6.*

dus ſibi roganti videndum & contingendum exhibuiſſe Myſtagogum tradit, imperiale etiam Arcturius nomen aſſumpſerit. Ejus verba hîc ſubjiciam. *Materia* quæ Ipſiſſimam ſigilli formam accepit, & adhuc fideliter retinet, cera coloris rubri eſt, quæ violentiâ aliquâ, vel temporis injuriâ longi, comminuta, in partes hinc indè diffinditur, ità tamen ut nulla prorſus deſideretur. Nam fragmenta caſu aliquo priùs concuſſa ſic argenteâ laminâ, quæ orbicularis figuræ, qualis & ſigilli facies, eſt, undique concluduntur, ut eorum pars recidat nulla. Inſcribitur enim his titulis, in ſpeciem brevibus, ſed re ipsâ ſplendidiſſimis, ampliſſimis, magnificentiſſimis; *Patricius Arturius Britanniæ, Galliæ, Germaniæ, Daciæ, Imperator.* Atque hæc quidem inſcriptio ſigilli orbem extimum circinat. Anterior ejus pars per circulum cryſtallinum pellucida eſt, quo remoto, tangi ſe patitur cera, jam præ antiquitate duriſſima. Effigies verò Arturii impreſſa refert neſcio quam heroicam majeſtatem. Purpurâ enim regaliter indutus Princeps ſedet ſuper hemicirculum, qualem videmus pluvium arcum; capite coronato fulget. In dextera conſurgit ſceptrum ipſo liliatum vertice; ſiniſtrâ verò orbem cruce inſignitum complectitur. Barba quoque prominet, & illud etiam majeſtatis eſt. Pars altera orbiculari laminâ argenti tota obducitur, unde & incertum cujus formæ ſit. Appendet catenulæ ex argento intortæ. Hactenus Lelandus; qui etiam hoc antiquitatis monumentum illuc Glaſtoniâ olim fuiſſe tranſlatum opinatur. Hinc illum, pridem ab Ambroſio Patricium factum, purpuram hoc anno ſumpſiſſe veri haud abſimile videatur: quod & Gal-

Leland. *Aſſert. Arturi.*

Galfr. lib. 7. cap. 5.

& Galfridus ſubinnuit, ubi ipſum, ſibi cognationis jure competere quicquid Conſtantinus atque Maximus obtinuerant, aſſerentem introducit. Unde triplex Arcturianæ poteſtatis atque dignitatis initium fuerit ſtatuendum. Primum, anno quadringenteſimo ſexageſimo ſeptimo, quo patri in Danmonia; ſecundum, anno quingenteſimo octavo, quo in monarchia Britannica Ambroſio, ſucceſſit; tertium, hoc anno, quo, victor ex Armorica rediens, imperatorio titulo uti cœpit, ut Sigilli inſcriptio ſuadet, aut ſuâ ſaltem præſentiâ effecit, ut turbatum nuper regnum quaſi refloreſceret auguſtiúſque emicaret. Neque enim aliter intelligi poterunt tres præfati authores, decimo Cerdici anno cœpiſſe aut ſurrexiſſe Arcturium ſcribentes, niſi eos ſibimet adverſari pronunciaverimus, cùm ipſi victoriam Badonicam, quam diu antehac, ſcilicet Dubricio ſuperſtite atque adhortante, partam eſſe conſtat, unanimi conſenſu huic principi tribuant. Sed neque eſt quòd quiſquam miretur, nos, de primo ejus regni initio, Martini Poloni, Vincentii Bellovacenſis, Antonini Florentini, & Monachi Nuſſienſis, (quibus etiam favent Sigebertus Gemblacenſis, Philippus Bergomas, & Abbas Trithemius,) authoritatem, (utinámque illi nulla Hiſtorici Britanni figmenta vetuſtiorum tranſmarinorum narrationibus miſcuiſſent) Radulpho Baldocenſi, Thomæ Rudburno, Matthæo Florilego, Davidi Poëlo, aliiſque quibuſdam noſtratibus, antepoſuiſſe; cùm ipſe Gildas, ante annos mille ſcribens, extraneis magis quàm indigenis innotuiſſe priſcas res Britannicas; ſéque quæ tradiderat *non*

Gild. epiſt. *tam ex ſcriptis patriæ ſcriptorúmve monumentis,*

(*quippe*

quippe quæ, ſiqua fuerint, aut ignibus hoſtium exuſta, aut civium exſulum claſſe longiùs deportata, non compareant,) quàm tranſmarinâ relatione, quæ crebris irrupta intercapedinibus non ſatis claret, hauſiſſe, profitetur. Hoc enim pacto conſiſtere poterunt, Arcturii ſub Ambroſio militia, ejúſque gemellæ ſororis Annæ cum Lotho nuptiæ, ejuſdem Ambroſii tempore celebratæ; Hoëli Albanii adhuc juvenis patrata ab Arcturio cædes; Galvani ad Simplicium papam miſſio, & per Octam atque Ebuſam expulſio; Arcturii cum Leone imperatore & Cadoco Lancarvanenſi ſynchroniſmus; & cum Melvaſio Somerſetenſi pax, Gildæ Albanii interventu conciliata; honorifica *Iltuti*, priuſquam ſeculo renunciaret, per Arcturium ſuſceptio; & reportata de Saxonibus in monte Badonico ante Dubricii mortem victoria: quæ omnia ab antiquis Hiſtoricis prodita jam antea recenſuimus atque obſervavimus. Enimvero ad ſigillum quod attinet, hîc Galliæ titulum, propter Gallos quos in Armorica rebellantes domuerat; Germaniæ, propter Anglos & Saxones, gentes Germanicas, Daciæ, propter Pictos, Scotos Jutáſque, gentes Dacicas, ſive (quod idem valet) Danicas, in Britannia ſuperatos, illum aſciviſſe, Lelandus ſentit. Quanquam in tanto temporis ſpatio nonnullas exedi, aut ſaltem vitiari, poſſe literas crediderim: adeóque Inſcriptionem, more Romanis uſitatiore, qui non regionum nomina, ſed gentium ſubactarum agnomina ſibi arceſſere ſolebant, ità potiùs impreſſam atque legendam eſſe autumaverim; *Patricius Arturius Britannus Gallicus Germanicus Dacicus Imperator*; ſcilicet Arcturius hâc inſcriptione ſe patriâ Britannum, nec non digni-

dignitate Patricium, Gallos, Germanos & Dacos profligâſſe, ac proinde ob illas victorias à militibus, ſicut veteres Romanorum duces, Imperatorem fuiſſe appellatum, oſtendere voluerit. Niſi illum in prædictas regiones hoſtiles ultricem expeditionem, victis toties qui huc indè tranſmiſerant invaſoribus, inſtituentem, forſan, in benignioris fortunæ auſpicium, ſeſe earum quaſi jam deditarum inſcripſiſſe dominum, malimus opinari.

530. *Annal. Angloſax.* Anno quingenteſimo triceſimo rex Cerdicus ejúſque filius Chenricus Vectam trajectis copiis aggreſſi, cæſis (in loco quem à *Vitgari* nomine *Vitgariburgum* Saxones vocârunt) qui reſiſtendum putaverant, inſulam ſui juris fecerunt. Circa hæc etiam tempora obiit Cadovallo Longimanus Venedotiæ rex, relicto impubere filio Malgone, quem, unà cum regno, Arcturii tutelæ commendavit. Britannis Armoricanis cum Viſigothis inimicitiæ perpetuæ interceſſerant, unde prædo quidam immanis ac truculentus, ex Hiſpania in Armoricam irrumpens, bellum atrox Hoëlo intulit, ejúſque neptim Helenam captam abduxit; cujus ubi pudicitiæ vim nefandus raptor intentaret, illa, tanti flagitii horrore exanimata, ſpiritum efflavit. Non tulit Arcturius tam inſignem Hoëlo Helenæque factam contumeliam, ſed regno & uxore Modredi nepotis curæ concreditis, alteram, eandémque ſibi exitialem, in Gallias expeditionem ſuſcepit; ubi dum fidelem ſtrenuúmque amico & cognato regi operam impendit, haud parem in Modredo gratitudinem ndémque éſt expertus. Ille, initâ cum Saxonibus conjuratione, regiam ſibi poteſtatem arrogavit, avunculique conjugem incerto connubio ſibi ſociavit. Prædictus igitur

igitur & ſceleratiſſimus proditor ille Modredus, ut Galfridus ſcribit, ducem Saxonum *Cheldricum* (ità ille regem Occidentalium Saxonum vocat, quem ipſi *Cerdicum* & *Cherdicum* appellabant, quémque ille paulò poſt prælium Badonicum à Cadoro Cornubienſi in Thanato inſula trucidatum ſomniaverat,) in Germaniam direxerat, ut in illa quoſcunque poſſet aſſociaret ſibi, & aſſociatis quibuſcunque, iterum citiſſimis velis rediret. Spoponderat etiam ſe ipſi hoc pacto daturum partem illam inſulæ quæ à flumine Humbro uſque ad Scotiam porrigebatur, & quicquid in Cantia tempore Vortigerni Horſus & Hengiſtus poſſederant. At ille, peracto ipſius præcepto, octingentis navibus armatis Paganis plenis applicuerat, & fœdere dato, huic proditori quaſi ſuo regi parebat. Ità Galfridus. At Guilielmus Malmesburienſis, Ricardus Diviſienſis, & Ranulphus Ceſtrenſis, non transhumbranas Cerdico, ſed occiduas, à Modredo contraditas fuiſſe regiones docent. Modredus, inquit Guilielmus, regnare appetens, ſed ſolum Cerdicum timens, dedit Cerdico, ut ſibi faveret, ſeptem provincias, ſcilicet Suſſexiam, Surreiam, Bercheriam, Viltoniam, Dorſetiam, Devoniam, & Cornubiam. Cerdicus verò his conſentiens, ſuas provincias novis Anglis inſtauravit, & coronatus eſt more gentili apud Wintoniam; Modredus verò ſuper Britones apud Londoniam. Hactenus Malmeſburienſis. Atque eadem ferè habet de hoc fœdere Ranulphus Ceſtrenſis. Nec abs re fuerit Ricardi Diviſienſis hac de re verba hîc inſerere. Modredus, nepos Arturi, cui regnum & reginam Arturus commiſerat, volebat uſurpare coronam Britanniæ; ſed timebat ſolum Cerdi-

Galfr. *lib.* 7. *cap.* 7.

Malm. *Antiqu. Glaſton.*

Polychr. lib. 5. *cap.* 6.

Ricard. Diviſ.

Cerdicium, nè ſibi foret impedimento, propter fidelitatem quam Arturo promiſerat. Communicato demum illi ſecreto, præter duos pagos quos ab Arturo perceperat, dedit illi alios ſeptem, viz. Suſſexiam, Surreiam, Bercheriam, Viltoniam, Dorſetiam, Devoniam, & Cornubiam, & omnia munita eorum tradidit: tali inter eos conditione firmatâ, ut uterque eorum coronaretur in regem, unus ſuper Britones, alter ſuper Weſtſaxones; & Britones qui in prædictis pagis manebant, ſi vivere vellent imbelles, non expellerentur. Conſenſit Cerdicius, & recepit oblatum Modredi, miſsíſque in Germaniam nunciis, reduxit indè octingentas naves plenas Saxonibus, quibus diſtribuit in datis ſibi provinciis poſſeſſiones. Cerdicius coram omni gente ſua coronatus eſt in regem gentili more ſuper Weſtſaxones apud Wintoniam, & Modredus conſecratus eſt in regem Chriſtiano more apud Lundoniam. Toto tempore quo Arturus occupatus erat in Galliis, Saxones faciebant ſibi munitiones ſuper omnes colles & montes excelſos, quorum veſtigia remanent uſque hodie. Cerdicius mortuus eſt ante reditum Arturi in Britanniam, & ſepultus in Wintonia; & poſt illum regnavit Cenricus filius ejus. Hactenus Diviſienſis. Ex hoc authore Lelandus iſta tertio ante Cerdici mortem anno eveniſſe prodit; quanquam in eo quod ſequor Diviſienſis exemplari illud nequaquam pateat. Neque enim poſt adeò ſceleſtam nepotis conjurationem Arcturium in Armorica tam diuturnam voluiſſe moram trahere eſt credibile. Ideóque potiùs ad ultimum Cerdici annum referenda hæc eſſe cenſui. Quod autem de ejus in Germaniam profectione Galfridus, quódque alii de

Leland. *Aſſert. Artur.*

de ejus coronatione iſthîc memorant, niſi bis diademate inſignitus fuerit, primò quum duas ab Arcturio provincias, deinde quum reliquas à Modredo conceſſas acceperit, à vero prorſus alienum eſſe videatur. Neque quod hîc de Suſſexia traditur admitti poterit; quam non à Modredo, ſed à Vortigerno advenis conceſſam, & ab *Ella* magno Auſtralium Saxonum rege, debellatis qui pactionem illam parvi facientes repugnare auſi ſunt, poſſeſſam eſſe, jam antè oſtendimus. Anno igitur quingenteſimo tricesimo quarto rex Cerdicus, anno regni decimo ſexto, acceptis regionibus prædictis, ac datâ *Stuffo* & *Vitgaro* nepotibus *Veclâ* inſulâ, defunctus eſt. Sororem habuit, eorundem nepotum matrem, ut ex Aſſerio Menevenſi colligimus, à quo eorum *avunculus* appellatur. Filium unicum reliquit Chenricum, qui ipſi tum in Occidentalium Saxonum regno, tum in ſuprema Anglorum Monarchia ſucceſſit. Eodem quoque anno obiit Octa rex Cantianorum, quum annos viginti duos regnâſſet, cui ſucceſſit filius Herminericus. Cum Cerdico vixerunt Childebertus, Clotharius, Clodomirus & Theodericus Francorum, Amalaricus Viſigothorum, & Athalaricus cum Amalaſunta matre Oſtrogothorum, in Gallia, Hiſpania & Italia, reges.

534. Malm. *lib.* 1. *cap.* 6.

Aſſer. *in vita Alfredi.*

Polychr. lib. 5. *cap.* 4.

IV. *CHENRICUS.*

534. CHENRICUS regni gubernacula ſuſcipiens, omnia quæ bello impendenti forent neceſſaria, communicatis cum Modredo conſiliis, ſummo ſtudio comparare ſatagit. Quibus rebus dum ille gnaviter incumbit, Arcturius in Armorica *ferocem hoſtem* ſui manu in monte Michaëlis interimit, ac regionem periculo metúque ingenti fortiter eximit. Prædonem hunc Galfridus *Gigantem inhumanum* vocat; unde Vitus Baſingſtochius ipſi proprium nomen fuiſſe *Inhumanum*, errore prorſus joculari, autumavit. At Hoëlus, ob caſum neptis ſuæ triſtis, præcepit ædificare Baſilicam ſuper corpus ipſius in monte quo jacebat, qui nomen ex tumulo puellæ nactus, *Tumba Helenæ* exinde nuncupatus eſt. Pacatâ tandem Armoricâ, victor Britanniam repetens ad portum Milfordienſem vela dirigit. Ibi Modredus, qui Pictos etiam Scotóſque, Arcturii famæ invidentes, in partes ſuas traduxerat, ingentibus copiis tam navalibus quàm terreſtribus ſtipatus, avunculi furentis adventum præſtolabatur. Fit atrox prælium, quo ex Arcturianis militibus cecidêre Galvanus & Anguſellus: quorum cæde irritatus rex magnanimus, urgere conjuratos ac premere acriùs inſtitit; donec, iis tantum ejus impetum ulteriùs ferre non valentibus, in terram exſcendens, nepotem perfidum fugâ indè ſe proripere coëgerit. Scribunt nonnulli, reverſum Arcturium, ad portum Rhutupinum appuliſſe, cæſúmque Galvanum Dubri ſepultum fuiſſe. At iſti non perpendunt,

Galfr. *lib.* 7. *cap.* 5. *&* Vit. Baſingſt. *in not. ad lib.* 8.

535.

pendunt, quanta eſt Armoricani littoris, unde ſolvit Arcturius, à Cantiano diſtantia; nedum quamdiu regnum Cantianum, ſub quatuor regibus ibi ſucceſſivè regnantibus, in Angloſaxonum poteſtate fuerit. Galvanum verò in illa Penbrochienſis comitatûs parte quæ *Roſſa* dicitur humo mandatum eſſe, diſertè tradunt Guilielmus Malmesburienſis & Matthæus Pariſienſis: unde ad portum antè memoratum, Armoricæ multò propinquiorem, ubi aliquos qui adhuc in fide perſtiterant ſibi affuturos jure ſperare poterat, applicuiſſe potiùs Arcturium colligimus. Inventum ejus ſepulchrum anno milleſimo octogeſimo ſeptimo, qui fuit Guilielmi primi poſtremus, ità refert Malmesburienſis. Tunc in provincia Walliarum quæ *Ros* vocatur inventum eſt ſepulchrum *Walwani*, qui fuit haud degener Arturii ex ſorore nepos, regnavítque in ea parte Britanniæ quæ adhuc *Walwertha* (a). *Walwithia*) vocatur; miles virtute nominatiſſimus, ſed à fratre & nepote Hengiſti regno expulſus, priùs multo eorum detrimento exſilium compenſans ſuum. Communicans meritò laudi avunculi, quòd ruentis patriæ caſum in plures annos diſtulerit. Sed Arturii ſepulchrum nuſquam viſitur, unde antiquitas næniarum adhuc eum venturum fabulatur. Cæterùm alterius buſtum, ut præmiſi, tempore Willielmi regis repertum eſt, ſuper oram maris, quatuordecim pedes longum; ubi à quibuſdam aſſeritur ab hoſtibus vulneratus & naufragio ejectus, à quibuſdam dicitur à civibus in publico epulo interfectus. Veritatis ergò notitia labat in dubio, licèt neuter eorum defuerit famæ ſuæ patrocinio. Hæc autem ante reperta Arcturii & Gueneveriæ ab Henrico Soliacenſi

Malm. lib. 3.

corpora ſcripſerat Malmesburienſis, qui etiam ibidem aliorum quorundam de Galvani poſt prælium antedictum cæde ſententiam recenſet. Guilielmo ità ad eundem annum ſuffragatur Pariſienſis: Hoc tempore in provincia Walliarum quæ *Ros* vocatur inventum eſt apud ripam maris *Walweii* ſepulchrum, qui fuit Arturi magni regis Britonum ex ſorore nepos, longitudinem habens quatuordecim pedum. Regnavit autem Walweius in ea parte Britanniæ quæ hucuſque *Walwethai* vocitata eſt; vir militiâ & omni civilitate nobiliſſimus, ſicut ſuperiùs (ubi de geſtis Britonum tractatum eſt) luculenter expreſſum eſt. Ità Matthæus. Sed in Malmesburienſem Lelandus ſic inſurgit; Non eſt veriſimile, homines giganteæ altitudinis, ut ex ſepulchro quatuordecim pedes longo colligo, fuiſſe ſeculo Galloviniano. Quare meâ quidem ſententiâ, credibile magis, ſepulchrum alicujus gigantis indigenæ fuiſſe. Namque tales Albionem primùm incoluiſſe, & externorum & noſtrorum Scriptorum authoritate conſtat. Verùm contra hanc Lelandi opinionem, *Homines Giganteæ altitudinis* diu poſt ſeculum Galvanianum exſtitiſſe complures, abunde probant univerſi rerum Borealium Scriptores: & ipſe Lelandus, qui tantam Galvano in Roſſia jacenti proceritatem tribuere haud ſuſtinet, Dubrenſes tamen caſtellanos, apud quos ſepultum eſſe hunc heroëm ille contendit, ejus oſſa penè gigantea miraculi loco oſtentare ſolitos fatetur; antiqui cujuſdam, ut videtur, ignoti pugilis oſſa pro Galvano jactitantes.

Matth. Pariſ. *ad ann.* 1087.

Leland. *Aſſert. Artur.*

Saxo Gramm. *lib.* 9. Arngr. Jonas *in Republ. Iſland. cap.* 4.

537. Poſt hæc Arcturius hoſtes intra civitatem Vintoniam concluſſos obſidet, qui novis tamen ſuppetiis undique confluentibus aucti, rurſus belli

belli aleam tentare ſe paratos oſtenderunt. Ingens hâc pugnâ utrinque cædes edita, diúque anceps victoria tandem ad Arcturianos inclinavit. Interea verò regina Gueneveria, conjurationis & adulterii malè ſibi conſcia, ut Galfridus docet, confeſtim deſperans, ab Eboraco ad urbem Legionum diffugit, atque in templo Julii martyris inter monachas ejuſdem caſtè vivere propoſuit, & vitam monachalem ſuſcepit. Circa hæc tempora Malgo, Cadovallonis filius, ingenii petulantis adoleſcens, ſubreguli duntaxat adhuc munere in Venedotiæ parte fungens, Centigernum epiſcopum Elguenſem, eccleſiæ ſuæ exornandæ intentum, primò impediſſe, mox autem, piis ejus ac prudentibus alloquiis paulatim lenitus, ſedulò adjuviſſe perhibetur. Duas hîc memorant Eclipſes cuncti rerum Angloſaxonicarum Scriptores: priorem anno quingenteſimo triceſimo octavo, qui fuit regis Chenrici quintus, decimâ quartâ calendarum Martii, ab hora matutina prima uſque ad tertiam pomeridianam; alteram anno abhinc altero, qui fuit ejuſdem regis ſeptimus, decimâ calendarum Julii, à tertia penè uſque ad nonam, ità ut ſtellæ apparerent horâ ferè dimidiâ ab hora tertia. Utrùm iſtæ Eclipſes Arcturii magni, cæterorúmque principum & magnatum, qui prælio Cambalaunico cecidêre, mortem portenderent, Aſtrologi viderint. Anno enim quingenteſimo quadrageſimo ſecundo, in Cornubia, juxta fluvium olim *Alaunum*, tunc verò *Cambalaunum* nuncupatum, qui Camelfordiam alluit, conſertum eſt prælium longè cruentiſſimum, quod ſic Galfridus deſcriptum exhibet. Ipſis itaque (ſcilicet ducibus) commilitones ſuos hinc & indè cohortantibus, ſubito

Galfr. *lib.* 7. *cap.* 7.

Joan. Tinm. *in vita Kentig.* & Godwin. *in Epiſc.* *Aſaph.*

538.

540.

542.

Galfr. *lib.* 7. *cap.* 7.

bito impetu concurrunt acies, & commisso prælio crebros ictus innectere elaborabant. Fiunt illico in utrisque partibus tantæ strages, tanti morientium gemitus, tanti invadentium furores, quantos & dolorosum & laboriosum esset describere. Undique enim vulnerabant & vulnerabantur, perimebant & perimebantur. Postquam autem multum diei in hunc modum consumpserunt, irruit tandem Arthurus (seu potiùs Arcturius) cum agmine uno, quo sex millia sexcentos sexaginta sex posuerat, in turmam illam ubi Modredum sciebat esse, & viam gladiis aperiendo eam penetravit, atque tristissimam cædem ingessit. Concidit namque proditor ille nefandus, & multa millia cum eo. Nec tamen ob casum ejus diffugiunt cæteri, sed ex omni campo confluentes, quantum audaciæ dabatur, resistere conantur. Committitur ergò dirissima pugna inter eos, quâ omnes ferè duces, qui in ambabus partibus affuerant, cum suis catervis corruerunt. Corruerunt etenim in parte Modredi, Cheldricus, Elaphius, Egbertus, Bruningus, Saxones; Gilpatricius, Gillomarus, Gillaserus, Gillarion, Hybernienses; Scoti etiam & Picti, cum omnibus ferè quibus dominabantur. In parte autem Arthuri, Olbrictus rex Norvegiæ, Achilles rex Daciæ, Cador Domeniæ, Cassibelanus, cum multis millibus suorum, tam Britonum, quàm cæterarum gentium quas secum adduxerat. Sed inclytus ille Arthurus rex lethaliter vulneratus est, qui illinc ad sananda vulnera sua in insulam Avallonis advectus, cognato suo Constantino, filio Cadori ducis Cornubiæ, diadema Britanniæ concessit, anno ab Incarnatione Dominica quingentesimo quadragesimo secundo.

Quod

Quod de Cheldrico iſthîc cæſo, quem antehac à Cadoro peremptum ſomniaverat, Galfridus narrat, ſive ille Cerdicum, ſive Chenricum intelligit, neutro modo conſiſtere poterit; quum ille ante octennium deceſſiſſet, hic verò per annos octodecim huic prælio ſupereſſet. Nec minùs futile eſt quod de Olbricto & Achille Arcturio ſubjectis prodit, quum tales certè reges hiſtoriæ Danicæ Norvegicæque nuſpiam agnoſcunt. Enimvero Galfridum, regis congentilis famæ nimio ſtudentem affectu, quædam fefellit nominum ſimilitudo; cùm non Arcturius, ſive (ut eum Galfridus vocat) Arthurus, bellis Angloſaxonicis plùs ſatis occupatus, ſed Arthus rex Suecorum potentiſſimus, Norvegiæ Danîæque circa hæc tempora latè imperaret. Idem quoque *Domeniam* vitioſè habet pro *Domnania*, ſive *Danmonia*, cui rex Arcturius, in monarchia Ambroſio ſuccedens, Cadorum patruelem præfecerat. Cæterùm quis ille demum Caſſibelanus fuerit, nuſquam alibi invenio. Quum verò Joannes Priſæus antiqua inter Thalieſſini odulas ſe reperiſſe carmina profitetur, de *Cindelano Cendroini* filio & *Vriano* cognomento *Rhegeto* compoſita, qui milites Arcturiani prædicantur, quæ authorem iis viris contemporaneum planè atteſtantur; hîc ego ſanè pro *Caſſibelano Cindelanum* lubentiùs reponerem. Sed miſſo hiſtoriæ Britannicæ Interpolatore Galfrido, ejuſdem Abbreviatorem Henricum Huntingdonienſem audiamus ità de bello Cambalaunico verba facientem. Dixit ei (ſcilicet Arcturio) nuncius, Modredus nepos tuus diadema tuum ſibi impoſuit auxilio Keldrici regis Anglorum, & ſponſam tuam duxit. Arturus igitur mirabili ebulliens irâ,

Priſ. *Hiſt. Britan. de ſenſ.*

Hunt. *epiſt. ad Warin.*

reverſus in Angliam, vicit Modredum prælio: cúmque inſequeretur eum uſque in Cornubiam, cum paucis incidit ſuper eum inter multos: cúmque ſe non poſſe reverti videret, dixit, Vendamus, ſocii, mortes noſtras, ego enim jam caput nepotis ac proditoris mei gladio auferam; poſt quod mori delicioſum eſſe dixit. Et gladio per aciem viam ſibi parans, in medio ſuorum Modredum galeâ abripuit, & collum loricatum velut ſtipulam gladio reſecavit. Inter eundum tamen, & in ipſo actu, tot vulnera recepit, quòd & ipſe procubuit: licèt ſui Britones mortuum fore denegent, & venturum adhuc ſolenniter exſpectent. Fuit equidem vir temporibus ſuis omnium ſummus militiâ, largitate, facetiâ. Sed Huntingdonienſi ac Monumethenſi cunctíſque Cambrobritannicis ſcriptoribus adverſari Hector Boëtius non dubitat, & more ſuo, quo rerum Britannicarum ſeriem locóſque invertere & turbare conſuevit, extremis Arcturium depugnâſſe ſignis juxta Humbrum fluvium, audacter pronunciat. At rex Arcturius lethaliter ſauciatus Glaſtoniam ſanandus deportatur: quod utique oppidum, in pago Somerſetenſi poſitum, tamen aut ſanctitatis loci reſpectu Cerdico non conceſſerat, aut ejus filio Chenrico redux ademerat. Ibi dum irritam curandis ejus vulneribus operam medici impendunt, fato defungitur, & in eccleſia Glaſtonienſi ſepelitur.

Hector Boët. *lib.* 9.

Lib. Triad. In *libro Triadum*, unà cum Caractaco & Galgaco præſtantiſſimorum Britanniæ Heröum (ut & Modredus unà cum Androgeo & Vortigerno turpiſſimorum proditorum) Triada conſtituit. Magnificum eſt Guilielmi Malmesburienſis de Arcturio præconium. Sed eo (ſcilicet

Malm. *lib.* 1. *cap.* 1.

licet Vortimero) extincto, Britonum robur emarcuit, ſpes imminutæ retro fluxerunt; & jam tunc profectò peſsùm iſſent, niſi Ambroſius, ſolus Romanorum ſuperſtes, qui poſt Vortigernum Monarcha regni fuit, intumeſcentes Barbaros eximiâ bellicoſi Arthuri operâ preſſiſſet. Hic eſt Arthurus de quo Britonum nugæ hodiéque delirant; dignus planè quem non fallaces ſomniarent fabulæ, ſed veraces prædicarent hiſtoriæ; quippe qui labantem patriam diu ſuſtinuerit, infractáſque civium mentes ad bellum acuerit. Poſtremò, in obſidione Badonici montis, fretus imagine Dominicæ matris, quam armis ſuis inſuerat, nongentos hoſtium ſolus adorſus, incredibili cæde profligaverit. Ex quibus Guilielmi verbis obiter annotavero, duriuſculè à nonnullis tractari Galfridum Monumethenſem, quaſi ipſemet omnia quæ in ejus hiſtoria deprehenduntur de Arcturio mendacia confinxiſſet; quum ante ipſius tempora, jamdiu de hoc principe *Britonum nugas deliráſſe*, nec non *fallaces ſomniáſſe fabulas*, luculentum Guilielmi ipſo antiquioris teſtimonium evincit. Occubuit anno Domini, utì dictum eſt, quingenteſimo quadrageſimo ſecundo, anno monarchiæ triceſimo quinto, nonagenarius, utpote anno quadringenteſimo quinquageſimo ſecundo in caſtro Tindagello natus. Tres habuit, juxta antiqua Britannorum monumenta, uxores cognomines, viz. omnes Gueneverias dictas. Quarum prima fuit *Goryti* cujuſdam filia, quam à Melvaſio raptam, ac tandem in Albania mortuam ac ſepultam, retulimus. Secunda, *Crediolo* quodam nata, paulò poſt Badonicam victoriam ipſi nupſit: hanc unicè dilexit, ac juxta ipſam conſepeliri

Prif. Defenſ. hiſt. Brit.

peliri voluit. Tertia patrem habuit *Goguranum* cognomine giganteum, qui idem eſſe cum Giguruno, Durſti & Garnardi regum Picticorum Arcturio contemporaneorum patre, forſan videatur. Illa, abſente marito, in nepotis proditoris amplexus proruit, ac Ambresburiæ tumulata eſt. Ex illa filium genuit nomine *Noem*; quem Lhandavenſi eccleſiæ terram vocatam *Penalun*, & *Lhan Teilo Vaur*, ſive *Fanum Theliai magni*, *ſuper Tivii*, *aut potiùs Tovii*, *fluminis ripam*, donâſſe, ex vetuſto libro de primaria fundatione Landavenſis eccleſiæ cathedralis docet Joannes Priſæus: quod ipſum quoque à Franciſco Godovino epiſcopo Landavenſi memoratur. Hunc verò *Noëm* ante patrem obiiſſe crediderim; quem, ſi quis ſibi filius ſuperfuiſſet, hæreditarium ſuum Danmoniæ regnum Conſtantino Cadori filio haud fuiſſe conceſſurum eſt veriſimile. Tres etiam ſorores habuit Arcturius: primam *Annam* dictam, eodem partu in lucem cum ipſo editam, Lothi uxorem, & Galvani ac Modredi matrem, qui in ſcriptis Cambrobritannicis *Llew*, *Gualchmay* & *Medrod* nominantur; ſecundam Budico Armoricæ regi nuptam, quæ magnum Hoëlum peperit, anno quadringenteſimo octogeſimo ſeptimo, juxta Fauchetum, regnare orſum; tertiam Cadovalloni Venedotiæ regi ſociatam, quæ Malgonem enixa eſt. Namque Malgonem Arcturii ex ſorore nepotem exſtitiſſe, eundémque ambitione præcoci furentem, ac proinde regnum paternum præripere quàm pauliſper exſpectare malentem, Modredi conſobrini partibus contra avunculum acceſſiſſe, ex iſtis Gildæ ipſum alloquentis verbis colligo: *Nonne in primis adoleſcentiæ tuæ annis avunculum Regem, cum fortiſſimis*

Godwin. *in catal. epiſcop. Land.*

Gild. *epiſt.*

mis propemodum Militibus, (quorum vultus non catulorum leonis in acie magnoperè dispares visebantur,) acerrimè ense, hastâ, igni oppressisti? Utrùm per hosce *milites leoninos* celebratissimi illi *Mensæ Rotundæ milites* intelligi possint, alii judicent. Certè non usque adeò à veritate abhorret, Regem Britannicum tam antiquitus *Ordini Militari* sive *Equestri* studuisse; quum idem quoque à Theoderico Italiæ rege, qui seculo Arcturiano claruit, factum esse, quædam ipsius apud Cassiodorum ostendunt epistolæ. *Hunc Britones*, inquit Alanus Insulensis, *tantæ famæ tantæque gloriæ virum nullâ ratione adduci possunt ut mortuum credant, præsertim cùm in nullis Annalibus inveniri possit scriptum, ubinam vel mortuus fuerit vel sepultus; sed omnis, aut penè omnis, illa natio adhuc eum in insula Avallonis, quò curatum deportatus est, delitere ac vivere opinantur.* Alan. *in Merlin. lib.* 3.

Sed anno millesimo octogesimo nono, qui fuit Henrici secundi postremus, dispulsus est error iste crassissimus, inventis Arcturii & Gueneveriæ corporibus: quorum inventionem Giraldus Cambrensis in Speculo Ecclesiastico sic describit oculatus testis. Usser. *in Primord. cap.* 6. & 14.

Regnante, inquit, nostris in Anglia diebus Henrico secundo, contigit ut apud Glastoniense cœnobium, quondam nobile, sepulchrum Arthuri regis Britanniæ, dicto Rege monente, & Abbate loci ejusdem Henrico de Soilie, (sive Soliacensi) qui ad cathedram Wigorniæ translatus postea fuit, procurante, diligenter quæsitum, in cœmeterio sacro à sancto Dunstano dedicato, inter duas Pyramides altas & literatas, in Arthuri memoriam olim erectas, multis laboribus effoderetur; & corpus ejusdem, in pulverem & ossa redactum, ab imis ad auream & sta- Girald. Cambrenſ. *in Speculo eccleſiaſt. diſtinct. ſecundâ, cap.* 11.

& ſtatum digniorem transferretur. Inventa eſt in eodem ſepulchro tricha muliebris, flava & formoſa, miróque artificio conſerta & contricata, uxoris Arthuri viro ibidem conſepultæ. Porrò, quoniam de Rege Arthuro & ejus exitu dubio multa referri ſolent & fabulosè confingi à Britonum populis, ipſum adhuc vivere fatuè contendentibus; ut fabulosis exſufflatis, & veris ac certis aſſeveratis, veritas ipſa de cætero circa hæc liquidò pateat, quædam hîc adjicere curavimus indubitatâ veritate comperta. Poſt bellum de Kamlan apud Cornubiam, interfecto ibidem Modredo proditore nequiſſimo, & regni Britanniæ, cuſtodiæ ſuæ deputati, contra avunculum ſuum Arthurum occupatore, ipsóque Arthuro ibi lethaliter vulnerato, corpus ejuſdem in inſulam Avaloniam, quæ nunc Glaſtonia dicitur, à nobili matrona quadam, ejuſdem cognata, & *Morgani* vocata, eſt delatum; quod poſtea defunctum, in dicto cœmeterio ſacro, eâdem procurante, ſepultum fuit. Propter hoc enim fabuloſi Britones & eorum cantores fingere ſolebant, quòd dea quædam phantaſtica, ſcilicet *Morganis* dicta, corpus Arthuri in inſulam detulit Avaloniam, ad ejus vulnera ſananda: quæ quum ſanata fuerint, redibit Rex fortis & potens ad Britones regendum, (ut dicunt) ſicut ſolet: propter quod, ipſum exſpectant adhuc venturum, ſicut Judæi Meſſiam ſuum, majori etiam fatuitate & infelicitate ſimul ac infidelitate decepti. Notandum hic autem, quòd Glaſtonia dicta eſt *Inſula*, quoniam mariſco profundo undique eſt clauſa, quæ *Mediamnis* magis propriè diceretur, quaſi mediis ſcilicet amnibus ſita; ſicut meliùs inſulæ dicuntur quæ in ſalo, hoc eſt, in mari, ſitæ noſcuntur.

ſcuntur. Avalonia verò dicta eſt vel ab *Aval*, Britannico verbo, quod *pomum* ſonat, quia ſolet locus ille pomis & pomeriis abundare; vel ab *Avalone* quodam, territorii illius quondam dominatore. Item ſolet antiquitus locus ille Britannicè dici *Ynys Gwydrin*, hoc eſt, *Inſula vitrea*, propter amnem ſcilicet quaſi vitrei coloris in mariſco circumfluentem: & ob hoc dicta eſt poſtmodum à Saxonibus terram occupantibus, linguâ eorum, *Glaſtonia*; Glas enim Anglicè vel Saxonicè *Vitrum* ſonat. Patet ex his igitur, quare *Inſula*, & quare *Avalonia*, & quare *Glaſtonia* dicta; & hoc quoque, quo pacto dea phantaſtica *Morganis* à fabulatoribus nuncupata. Notandum hîc etiam, quòd licèt Abbas prænominatus aliquam habuerit ad corpus Arthuri quærendum ex ſcriptis antiquis & Chronicis notitiam, nonnullam quoque ex literis Pyramidum inſcriptis, quanquam antiquatis tamen, & ferè omnino vetuſtate deletis; maximam habuit per dictum regem Henricum ad hæc evidentiam: dixerat enim ei pluries, ſicut ex geſtis Britonum & eorum cantoribus hiſtoricis rex audierat, quòd inter Pyramides, quæ poſtmodum erectæ fuerant in ſacro cœmeterio, ſepultus fuit Arthurus valde profundè, propter metum Saxonum, quos ipſe ſæpe expugnaverat, & ab inſula Britannica prorſus ejecerat, & quos Modredus nepos ejus peſſimus contra ipſum pòſt revocaverat; nè in mortuum etiam, vindicis animi vitio, deſævirent, qui totam jam inſulam poſt mortem ipſius iterum occupare contenderant. Propter eundem etiam metum, in lapide quodam lato, tanquam ad ſepulchrum à fodientibus invento, quaſi ſeptem pedibus ſub terra, (quum tamen ſepulchrum

chrum Arthuri novem pedibus inferiùs inventum fuerit,) reperta fuit crux plumbea, non ſuperiori, ſed potiùs inferiori parti lapidis inſerta, literas has inſcriptas habens; *Hîc jacet ſepultus inclytus Rex Arthurus in inſula Avalonia cum Weneveria uxore ſua ſecunda.* Crucem autem hanc extractam à lapide, dicto Abbate Henrico oſtendente, perſpeximus, & literas has perlegimus. Sicut autem crux inferiùs lapidi inſerta fuit, ſic & crucis ejuſdem pars literata, ut occultior eſſet, verſus lapidem verſa fuit, mirâ quidem induſtriâ, & hominum tempeſtatis illius exquiſitâ prudentiâ; qui corpus viri, dominíque ſui, præcipuíque loci illius Patroni, ratione turbationis inſtantis, totis viribus tunc occultare volebant; & tum, ut aliquo in poſterum tempore, tribulatione ceſſante, per literarum ſaltem cruci inſertarum, & quandoque repertarum, indicia propalari poſſit, procurárunt. Sicut dictus itaque Rex totum Abbati prædixerat, ſic Arthuri corpus inventum fuit, non in ſepulchro marmoreo, ut Regem decebat eximium, non in ſaxeo, aut Pariis lapidibus exſecto, ſed potiùs in ligneo ex quercu ad hoc cavato, & ſexdecim pedibus aut pluribus in terra profundo, propter feſtinam potiùs quàm feſtivam tanti principis humationem, tempore nimirum turbationis id exigente. Dictus autem Abbas, corpore reperto, monitis quoque dicti Regis Henrici, marmoreum ei ſepulchrum fieri fecit egregium, tanquam Patrono loci illius præcipuo; qui ſcilicet eccleſiam illam præ cæteris regni cunctis plùs dilexerat, terríſque largis & amplis locupletaverat. Ideóque non immeritò, ſed juſto quoque Dei judicio, (qui bona proculdubio cuncta, non ſolùm in cœlis, verùm

verùm etiam in terris, ſive in vita, ſive poſt mortem, gloriam conferendo plerumque remunerat,) in cœnobiali demum eccleſia, antiqua præ cæteris regni totius & authentica, corpus Arthuri egregiè ſepultum fuit, & glorificè, ſicut debuit, & tantum virum decuit, collocatum. Hactenus Giraldus, qui & de ejus oſſibus hæc prodidit; Os tibiæ ipſius appoſitum tibiæ longiſſimi viri, quod & nobis Abbas oſtendit, & juxta pedem terræ illius adfixum, largè tribus digitis trans genu ipſius ſe porrexit. Os etiam capitis tanquam ad prodigium vel oſtentum capax erat & groſſum; adeò ut inter cilium & oculos palmalem amplitudinem largè contineret. Apparebant in hoc decem aut plura vulnera; quæ cuncta, præter unum majus cæteris, quod hiatum grandem fecerat, quódque ſolum lethale videretur, in ſolidam concreverant cicatricem.

Regem hunc Britannicum in novem illorum Heroüm, quos *Pares* vocant, collegium ſubſequentia aſcripſerunt tempora. Nullâque aliâ in re tam infelix fuit, quàm quòd fabulatores nonnulli, futilibus commentis næniiſque augere ejus famam atque promovere nimiùm contendentes, tantùm non ipſum Regem in fabulam converterunt; ídque effecerunt, ut viri aliquot non ineruditi magnum Arcturium nunquam exſtitiſſe pronunciaverint. Quorum utique temeritatem ut redarguerem, hæc ideo fuſiùs de illo ediſſerenda cenſui. Luculenta de eo Thalietſini, qui fuit ipſi contemporaneus, aliorúmque veterum Bardorum carmina, priſcorúmque Menevenſis, Carmaridunenſis & Cantuarienſis eccleſiarum Chronicorum teſtimonia, exhibet Joannes Priſæus, ad quem remitto lectorem. *Priſ. Hiſt. Brit. def.*

Interim

Interim verò non eſt ſilentio prætereundum, quòd rex Henricus ſecundus antè memoratus, in charta anno milleſimo centeſimo octogeſimo quinto novæ eccleſiæ Glaſtonienſi (poſt veteris incendium à ſe quadriennio ante præfati ſarcophagi effoſſionem fundatæ) conceſſa, donationis cujuſdam Arcturianæ tabulas, inter aliorum regum alias complures, ſibi exhibitas fuiſſe his verbis teſtatur: Quæcunque etiam à prædeceſſoribus meis, Gulielmo primo, Gulielmo ſecundo, & Henrico avo meo; ſed & ab antiquioribus, viz. Eadgaro patre S. Eadveardi, ab Eadmundo, & patre ipſius Eadveardo, & Ealfredo avo ejuſdem, Bringwalchio, Kentwino, Baldredo, Inâ, Cuthredo & Arthuro, & multis aliis regibus Chriſtianis; ſed & à Kenwalchio rege pagano, (quorum privilegia & chartas diligenter feci inquiri, & coram me præſentari) confirmata ſunt prædictæ eccleſiæ; ego quoque concedo, & hâc meâ chartâ confirmo. Diplôma, cujus partem hîc inſerui, *Magnum Privilegium* appellatur, & inter Archiva regia in arce Londinenſi aſſervatur. Prædictus verò Glaſtoniæ Abbas Henricus Soliacenſis, ſive, ut nonnulli eum vocant, Suineſius, regiis corporibus à ſe tranſlatis duo hæc appoſuit diſticha;

Hîc jacet Arthurus, flos regum, gloria regni,
Quem mores, probitas, commendant laude perenni.

Hîc jacet Arthuri conjunx tumulata ſecunda,
*Quæ meruit cœlos virtutum prole * ſecundâ.*

* al. *ſecundâ.*

Ex quo poſtremo hemiſtichio, Reginam illam virtutibus quàm liberis fœcundiorem atque ſecundio-

cundiorem exstitisse, Lelandus colligit. Arcturii memoriam tantâ veneratione prosecuti sunt Cambrobritanni, ut, toties Saxones vicisse non ei satis honorificum ducerent, nisi etiam insulâ prorsus ejecisse crederent; quod utique sibi ipsis perperàm & Giraldo persuaserunt. Ipsa Herois arma propriis nominibus insignierunt; ejus clypeum, in quo depicta erat Beatæ Virginis Mariæ imago, *Pridwen*; lanceam, *Ron*; gladium, *Caliburn* appellantes: quem gladium rex Ricardus primus, anno centesimo nonagesimo primo supra millesimum, Tancredo Siciliæ regi donavit. Riothimi gesta (qui Leone Orientis, Severo Occidentis, imperia tenentibus, Armoricæ partem Ligeri fluvio proximam, utì dictum est, Romanis ademit,) huic affingere videntur; ità ut *Severus* sit Historici Britanni *Lucius Hiberus*; quem tamen non Britannorum armis, sed Ricimeris scelere, extinctum constat. Edovardus Longus, Angliæ rex, Arcturii coronam, inter pretiosissimas Venedotorum principum res, anno ducentesimo octogesimo tertio supra millesimum, Carnarvoniæ, subactâ tum demum Cambriâ, invenit, atque indè plurimùm gavisus abstulit. Qui etiam ejusdem sepulchrum, ante paucos annos, Glastoniam adiens, sublatis indè & foris pro spectaculo servatis regis & reginæ craniis, ante majus altare collocari jusserat. Quæ autem de Arcturio inter Edovardi Confessoris leges inferta reperiuntur, nullam omnino fidem mereri dignoscuntur; quum ea omnia, aliáque ejusdem farinæ assumenta, *minoribus descripta characteribus*, apud Rogerum Hovedenum minimè compareant, atque à veteri earundem legum exemplari abesse, qui

Galfr. *lib.* 7. *cap.* 2.

Roger. Hoveden. Gualter. Conventr.

Walsing. *hypodigma Neustriæ, & Chronica Cantuar.*

Lambard. *Archæonomia.*

eas edidit Guilielmus Lambardus in procœmio ingenuè profitetur.

544. Anno quingentesimo quadragesimo quarto obiit Vitgarus, Vectæ insulæ regulus, & Vitgariburgi sepultus est, quod oppidum nunc contractiùs *Gariburgum* vocamus. Malgonem (qui post avunculi eædem paternum Venedotiæ regnum jam receperat, aliis *Mailconus*, *Mailgunus* & *Maglocunus* dictus,) novam in eo Portu, in quo pridem Daniel collegium instituerat, civitatem erexisse, (quæ à pulchro vel excelso Choro *Bancôr* sive Bangoria appellata est, cujus primus episcopus exstitit prædictus Daniel,) author est Joannes Rossus. Hoc etiam anno, qui juxta *Evangelii* supputationem (circiter annos viginti duos à Dionysiana sive vulgari discrepantem) est sexagesimus sextus supra quingentesimum, David Menevensis Archiepiscopus cum septem suffraganeis Cambriæ episcopis Glastoniam adiit, ecclesiámque Sanctæ Mariæ minorem ibi construxit; sique anonymo illius vitæ Scriptori credimus, illic quoque monasterium fundavit, & Bathoniæ alterum. Anno sequente obiit Daniel, primus Bangorienſis episcopus, & in *Berdseia* insula sepultus est; & Theonus episcopus Gloceſtrenſis ad Londinenſem archiepiscopatum translatus fuisse dicitur. Floruerunt hoc tempore in Armorica, ex nostratibus Britannis, Paternus, Paulus & Leonorius. Caradocus, eximiæ inter Heroas Arcturianos famæ princeps, qui prælio Cambalaunico superstes in Cambriæ parte regnavit, ab Armoricanis regi impubri Hoëlo magni Hoëli filio Adjutor delectus, (unde à Biographo, *ultra terminos Britannie regno propagato, minorem Britanniam regno ſuo ſubjugaſſe*

Chronogr. Glaſton.

Malm. in Antiq. Glaſton.

545. *Annal. Cambr.*

Vitæ Paterni ſcriptor.

ſubjugâſſe perhibetur,) Paterno evocato (cui in ſede Lampaternenſi ſucceſſit Cinocus, ſive Cenaucus) epiſcopatum Venetenſem contulerat. Subacto *Jona*, Riothami ſive Riovali filio, Vithurum comitem in provinciæ illius regimine adjunxerat rex Francorum Childebertus, cujus operâ Paulus, Iltuti diſcipulus, Oſſiſſimorum ſive Leonenſis eccleſiæ factus eſt epiſcopus. Vithuri ſucceſſor Commorus *Jonam* prædictum interfecit, ejúſque filium Induallum, cognomento *Candidum*, regi Childeberto & reginæ Ultrogothæ in captivitate cuſtodiendum tradidit; qui tamen, Samſonis Dolenſis & Leonorii epiſcopi Britanni (qui etiam fuit Iltuti diſcipulus) interventu, libertati debitæque ſibi hæreditati, deturbato Commoro, reſtitutus eſt. Anno quingenteſimo quadrageſimo ſexto, juxta Guilielmum Malmesburienſem & Joannem Tinmuthenſem, vel quingenteſimo quadrageſimo ſeptimo, juxta Annales Vaverleienſes & Vintonienſes, obiit David Archiepiſcopus Menevenſis & Legionenſis, quo tempore quartum aut quintum ſupra octogeſimum ætatis annum exegerat. Giraldus Cambrenſis annos centum quadraginta ſeptem ejus vitæ tribuit; qui etiam Calendas Martias, quibus David animam efflavit, in *tertiam feriam* incidiſſe innuit. Uſſerius, tametſi quoad annorum numerum ab eo diſcedit, ſolo tamen *Feriæ* reſpectu ductus, hujus Præſulis mortem in annum quingenteſimum quadrageſimum quartum conjicit; quaſi Giraldus haud æquè quoad *Feriam* ac quoad annorum numerum hallucinari poterat. Hîc non immeritò ſuſpicemur, pro anno Domini DXXXXVII°, apud vetuſtum aliquem Biographum in quem Giraldus

Bibliotheca Floriacenſis in vita Pauli.

Vita Leonorii apud Andr. Du Cheſne.

Vita Samſonis.

546.

Malm. *Antiq. Glaſton.* & Tinm. *in vita Patric.*

547.

Annal. Waverl. Annal. Winton.

raldus inciderit, exſcriptoris oſcitantiâ, annum vitæ Davidis CXXXXVII^um^ irrepſiſſe. Galfridus ea quæ non multò poſt Cambalaunicum prælium contigêre percurrens, Davidis mortem ità memorat; *Tunc obiit ſanctiſſimus urbis Legionum archiepiſcopus David in Menevia civitate, intra abbatiam ſuam, quam præ ceteris ſuæ diœceſis monaſteriis dilexerat, quia beatus Patricius, qui nativitatem ejus prophetaverat, ipſam fundavit. Dum enim ibi apud confratres ſuos moram faceret, ſubito languore gravatus, defunctus eſt, &, jubente Malgone Venedotorum rege, in eadem eccleſia ſepultus. Pro eo ponitur in metropolitana ſede Kinocus Lampaternenſis eccleſiæ antiſtes, & ad altiorem dignitatem promovetur.* Nimirum iſte Cinocus, ſive Cenaucus, ei in archiepiſcopatu Menevenſi, ſed Theliaus, epiſcopus Lhandavenſis, in archiepiſcopatu Legionenſi, ſucceſſit, qui ſedem quoque Lhandavenſem retinuit. Eodem quo ex hac vita David emigravit die, Centigernum epiſcopum *Elguenſem*, ſive *Elvienſem*, ſpiritu prophetico diſcipulis ſuis imminentem Reipublicæ Eccleſiæque Britannicæ diſſipationem prædixiſſe, narrat in ejus vita Joannes Tinmuthenſis. Et quidem anno quingenteſimo quadrageſimo ſeptimo *Idæ*, *Eoppæ* filius, *Eſæ* nepos, *Æthelberti* pronepos, *Inguii* ſive *Ingongetæ* abnepos, *Angongetæ* atnepos, *Aloci* ſive *Aluſæ* trinepos, (fuit autem *Alocus Ingebrandi* filius, *Vegbrandi* nepos, *Beornæ* pronepos, alterius *Beornæ* ſeu potiùs *Benoci* abnepos, cujus pater *Brando*, utì dictum eſt, *Beldego Odini* filio fuit oriundus,) ex Anglia veteri ad *Flamburgum* (in agro Eboracenſi poſitum) cum quadraginta navibus trajecit. Quem Northumbrenſes, qui

Galfr. *lib. 8. cap. 1.*

Tinm. *in Sanctilogio.*

Florent. Vigorn. *Annal. Saxon.* Henr. Hunt. Matth. Weſtm.

catenus

eatenus regibus Cantianis ſubjecti Ducibus paruerant, Regem protinus ſibi præfecerunt. Ille, ut habet Malmesburienſis, *ætate & viribus integer, puris & defæcatis moribus multum ſplendoris generoſis contulit natalibus; adeò bello invictus, domi ſeveritatem regiam genuinâ manſuetudine animi temperabat.* Sex filios ex regina ſuſtulit, *Addam, Baldricum, Theodericum, Athalaricum, Theofredum*, & *Oſmerum*; totidémque ex concubinis, *Ogam, Alaricum, Eccam, Osbaldum, Segorum*, & *Segotherum*. Urbem condidit, quam priùs ligneis palis, poſtea muro circuivit, & ab uxoris ſuæ *Bebbæ* nomine *Bebbamburgum* appellavit. Hodie contractiùs *Bamburgum* dicimus; éſtque amplum in comitatu Northumbriæ caſtrum; nam urbs jamdudum evanuit. Malm. *lib.* 1. *cap.* 3. Matth. Weſtm. Bed. *lib.* 3. *cap.* 16.

Anno quingenteſimo quinquageſimo ſecundo rex Chenricus, ut Huntingdonienſis ſcribit, *pugnavit contra Britannos, qui venerant cum maximo exercitu uſque ad Sarisburiam: ille autem, undique congregatis auxiliis, occurrit eis invictiſſimè, ingentibúſque copiis fuſis, utrinque diſperſit eos, & in fugam convertit.* Arcturio in hæreditario Danmoniæ regno ſucceſſerat Conſtantinus Cadori filius, adverſus quem duo *Nutritores* duorum Modredi filiorum, aſcitâ fœderatorum Saxonum ope, inſurrexerunt; quos ille prælio victos ad abbatiam quandam (quam ego Glaſtonienſem fuiſſe opinor) confugere coëgit. Ibi crudelis victor primò pueros in ipſo matris ſinu, ínque eccleſia juxta altare ſub venerandi Abbatis *amphibalo* ſive *amfibulo*, (id eſt, *Birro* vel *Dubio*,) deinde ipſos *Nutritores*, ſpreto quod abbati præſtiterat juramento, anno quingenteſimo quinquageſimo 552. 555.

Galfr. *lib.* 8. *cap.* 1. mo quinto trucidari juſſit. Galfridus puerorum alterum Vintoniæ, alterum verò Londini cæſum, ineptiſſimè tradit; quum tantæ haudquaquam eſſent Conſtantini vires ac potentia, ut univerſum Chenrici regnum pervaderet, regiámque ejus ſedem Vintoniam caperet, atque indè Londinum concederet, ac poſt hæc, nullâ exceptus pugnâ, incolumis ac ſecurus ad ſua remearet: præterquam quòd Vintoniæ, ex quo primùm à Cerdico poſſeſſa eſt, nullum, ante Birini adventum, ulli eccleſiæ abbatem præfuiſſe, Vintonienſium Antiquitatum ſcriptores teſtantur; *Puerósque* ac *Nutritores* uno eodémque loco ac tempore fuiſſe trucidatos Gildas expreſsè indicat. Eodémque anno, qui fuit à belli Badonici tempore quaGild. *epiſt.* drageſimus quartus, Gildas, ut ipſemet apertè teſtatur, querulam ſuam epiſtolam edidit, quâ Conſtantinum iſtum, quòd juramentum eccleſiámque violâſſet, quódque adulteriis ſe turpiter polluens, uxorem legitimam immeritò repudiâſſet, graviter reprehendit. Quum verò Gildas Conſtantinum *latera regiorum tenerrima puerorum vel præcordia crudeliter duûm, totidémque Nutritorum, lacerâſſe* narret; hinc liquidò erroris coarguitur Matthæus Florilegus, victoriam Badonicam in annum viceſimum ſupra quingenteſimum conjiciens; cùm duo Modredi filii, quo tempore Gildas ſecundùm illam ſupputationem ſcripſerit, nequaquam pueri, ſed annorum ſaltem viginti duorum adPriſ. *Hiſt. Brit. defenſ.* doleſcentes exſtitiſſent. Sed hîc Joannes Priſæus Gildæ iraſcitur, quòd hos Modredi filios, modò regios pueros, mox (ut ille autumat) ſingularis in re militari virtutis viros appellet, ſic inquiens, *Quorum brachia nequaquam armis protenta,*

protenta, quæ nullus penè hominum fortiùs hoc eis tempore tractabat, &c. quum tamen, ſiquis æquiore lance illa Gildæ verba perpenderit, ad nutritores duntaxat, neutiquam ad pueros, eſſe referenda facilè comperiet. Aurelium deinde, quem, pro *Conano*, per ſarcaſticam paronomaſiam *Caninum* vocat, Gildas increpat, quòd *parricidiorum, fornicationum & adulteriorum cœno* inquinatus, *pacem patriæ* interturbaret, *civiliáque bella & crebras injuſtè prædas ſitiret. Avunculum enim ſuum*, qui ante ipſum regnare debuit, *inquietavit, atque in carcerem poſuit, ejúſque duobus filiis peremptis, regnum obtinuit.* Poſt hunc, Gildas Vortiporium, Demetarum, id eſt, Auſtralium Britonum, regem caſtigat, quòd ille, *boni regis nequam filius*, ut *Ezechiæ Manaſſes*, *amotâ conjuge* propriâ & mox defunctâ, inceſtam cum impudente filia, quanquam ætate jam admodum provectus & grandævus, conſuetudinem haberet. Quòd autem ejus patrem Gildas Ezechiæ comparat, hinc Vortiporium Staterii fratrem ac ſucceſſorem, & Cadoci Britonum Auſtralium optimi regis antea memorati filium, fuiſſe autumaverim. Ricardus Vitus Baſingſtochius, qui priùs Arcturium cum Riothimo confuderat, nunc Vortiporium quoque, qui nunquam è Britannia exceſſiſſe legitur, cum *Sinduallo* confundit, quem Sigebertus Gemblacenſis *Britonum regem* vocat, & *ex amico factum* Narſeti *rebellem*, ab eo *victum captúmque*, & *ſuſpendio* abſumptum, refert. Alii verò non aſpernandi Scriptores hunc *Sinduallum* non *Britonum*, ſed *Brentorum*, quo nomine Herulos in Subalpinis degentes Itali nuncupârunt, regem fuiſſe produnt; qui tamen, ſi Britonum regulus exſti-

Gild. *epiſt.*

Galfr. *lib.* 8. *cap.* 1.

Gild. *epiſt.*

Ric. Vir. Baſingſt. *lib.* 8.

Sigeb. *chron.*

tiſſet, cum *Induallo* Armoricano, quem à Childeberto rege modò liberatum ac reſtitutum memoravimus, potiùs quàm cum Vortiporio inſulano, idem fuiſſe videretur. Deinde, Gildas in Cuneglaſum, alterum Britannorum regem, invehitur, quòd Numinis Divini majeſtatem contemneret, ac clerum deprimeret, pulsâque uxore legitimâ, impiam ejus ſororem, Deo perpetuam viduiratis caſtimoniam quondam pollicitam, deperiret. Cuneglaſum iſtum (inter Arcturii ſucceſſores à Gilda compellatum) nonnulli, ob nominum ſimilitudinem, haud abſque immani antichroniſmo, cum *Cuneda* Arcturii proavo confundunt. Denique, Maglocunum, ſive Malgonem, Gildas acriter corripit, quòd *avunculum regem* oppreſſiſſet, monaſticóque ordine, quem, perduellionis ac rebellionis aliorúmque ſcelerum pœnitentiâ ductus, ſuſceperat, repudiato, primas nuptias ſpreverit; uxorem filii (fratris ſui) viventis adamaverit, filium illum fratris, (natu ſcilicet majoris, & ante patrem Cadovallonem defuncti,) uxorémque aliquandiu à ſe habitam, occiderit; & adamatam illam filii fratris uxorem connubio adſciverit. Tales nimirum Principes, nihilóque meliores maxima ex parte Sacerdotes, nacta Britannia, dimanante in populum quoque tantorum exemplorum contagione, matura jam excidio videbatur. Proximo igitur anno, ſcilicet quingenteſimo quinquageſimo ſexto, rex Chenricus ejúſque filius Ceulinus, prope Banburiam in Oxonienſi comitatu, *Britonibus*, ut Florentius docet, *bellum intulerunt, & illos fugaverunt.* Anno autem quingenteſimo quinquageſimo nono obiit *Ida* Northumbriæ rex, quum annos duodecim regnâſſet; cui

Gild. epiſt. 556. Florent. Vigorn. 559.

cui ſucceſſerunt, in Bernicia *Adda* filius, in Deira *Alla Iffi* filius, *Buſcreæ* nepos, *Vilgiſili* pronepos, *Viſtrofalenæ* abnepos, *Someli* atnepos, *Suartæ* trinepos. Fuit verò *Suartæ Sefugeli* filius, *Sebaldi* nepos, *Siggoti* pronepos, *Suebdegi* abnepos, *Sigari Vegdego Odini* filio oriundi atnepos. Annóque proximo, qui fuit ſexageſimus ſupra quingenteſimum, rex Chenricus, ubi annos viginti ſex regnâſſet, defunctus eſt. 560. Filios quatuor reliquit, *Ceulinum* ſucceſſorem, *Cutbulphum* bellatorem ſtrenuiſſimum, *Ceolulphum Eſcuini* regis abavum, & *Quicelmum*. Cum Chenrico vixerunt Theodebertus ejúſque filius Theobaldus, unà cum patruis Childeberto & Clothario, Francorum, Theodis, Theodogiſilus & Agila, Viſigothorum, Theodatus, Vitiges, Ildobaldus, Araricus, Totilas & Teias, Oſtrogothorum, in Gallia, Hiſpania & Italia, reges.

V. *CEU-*

V. CEULINUS.

560. Bed. *lib.* 2. *cap.* 5. PATRI demortuo ſucceſſit, tum in Occidentalium Saxonum regno, tum in ſuprema Anglorum Monarchia, Ceulinus, quem Beda regum potentiſſimorum ſecundum numerat. Illum Scriptores Cambrobritanni, more ſuo uſitatiſſimo, Afros per Hyberniam in hanc inſulam transferre ſoliti, ex Africa illuc navigâſſe, &, debellatis incolis, huc à Saxonibus evocatum tranſmiſiſſe, ſomniant. *Gormundum* quoque eum vocant, quia paribus Britannos cladibus, qualibus poſtea Anglos Danicus illiuſce nominis rex, affecit, paribúſque ærumnis involvens, non minùs illis formidoloſus, quàm Danus his terribilis evaſit. Cujus ſpectatam Banburienſi prælio virtutem Britanni metuentes, bellum ſub uno principe ſupremo conſultius auſpicatiúſque junctis viribus geri poſſe arbitrati, eum Malgoni honoris apicem hoc anno detulêre. Nam, ut Humfredus Lhuydus *in antiquiſſimo libro de Legibus Britannorum ſcripto* ſe legiſſe teſtatur, *Poſtquam Saxones, devictis Britannis, ſceptrum regni & coronam Londinenſem adepti ſunt, omnes Cambriæ populi ad oſtium Devi fluminis ad regem eligendum congregati ſunt; & illuc venêre viri Guynedhiæ, & viri Powyſiæ, & viri Debeubarthiæ, (* ſive Demetiæ *) & Reynnuciæ, (* ſive Herefordiæ *) & Sylluciæ, (* ſive *Syluriæ) & Morganiæ, (* ſive Glamorganiæ, *) & Malgunum Guenedum in regem elegêre. Hæc circa annum Domini ſexageſimum ſupra quingenteſimum.* Ex quibus certè verbis, Anglo-

Lhuyd. *Fragment. Britan. deſcript.*

ſaxones

ſaxones Londinium jam recepiſſe, ac ſeſe per maximam *Lhoëgriæ* ſive Angliæ partem latè diffudiſſe, appareat. Malgo prædictus, ut ex Gilda intelligimus, primis adoleſcentiæ annis, ſcilicet poſtremo Cerdici anno, cum eo & Modredo conjuratus, in avunculum regem Arcturium inſurrexerat, eundémque bello diuturno fatigatum, adjuvante Chenrico, extinxerat. Adeóque Venedotorum regno potitus, alia quoque flagitia perpetraverat; quorum ubi pœniteret, regno *Enniano* filio natu majori commendato, monaſticum ſuſcepit ordinem. Sed eo mox defuncto, alteróque filio *Rhunone* Saxonica bella declinante, & ſeſe in Armoricam recipiente, quum ejus ex eodem *Enniano* filio nepos *Belinus* nondum rebus gerendis præ ætatula maturus eſſet, paſſus eſt ſibi à proceribus perſuaderi, ut, abjecto cucullo, ſceptrum reſumeret; quod ità tragicè eum alloquens Gildas deflet. *O quanta Eccleſiæ matri lætitia, ſi non te cunctorum mortalium hoſtis de ſinu quodammodo ejus lugubriter abſtraxiſſet, foret! O quàm profuſus ſpei cœleſtis fomes deſperatorum cordibus, te in bonis permanente, inardeſceret! O qualia quantáque animam tuam regni Chriſti præmia in die Judicii manerent, ſi non lupus callidus ille agnum ex lupo factum te ab ovili Dominico non vehementer invitum, facturus lupum ex agno ſibi ſimilem, rapuiſſet! O quantam exſultationem pio omnium patri Deo Sanctorum tua ſalus ſervanda præſtaret, ſi non te cunctorum perditorum infauſtus pater, veluti magnarum aquila alarum unguiúmque, dæmon infelici filiorum ſuorum agmini contra jus fáſque rapuiſſet!* Hunc idem Gildas *Draconem* vocat, quia *robuſtus armis, & major multis potentiâ, tyrannos multos* Gild. epiſt.

tos & vitâ & regno depulisset: adjecto *Insularis* epitheto, quia in Angliscia sive Mona insula, principatûs Venedotiæ provincia, regni sedem haberet. Ricardus Vitus Basingstochius illum cum *Maclovio* comite Armoricano, Conani fratre, confundit, qui fratrem fugiens ad Venetos transiit, ubi se clericum fecit, & electus est illius loci Episcopus. Sed mortuo Conano, ejus comitatum occupavit, uxorémque quam dimiserat revocavit. Malgonem verò neutiquam episcopum, sed monachum factum, *post irritum monachi votum* uxorem haud revocâsse, sed repudiâsse, Gildas expresè docet. Qualiscunque fuit quum Gildas scriberet, Britannis omnium maximè idoneus habebatur, qui jam Monarcha crearetur. Circa hæc etiam tempora Rodericus quidam, (à Patricii discipulis in Hybernia baptizatus,) regnum Cumbrense adeptus, Centigernum ab episcopatu *Elguensi* ad primam suam sedem *Glascuensem* revocat, quem Scoticum vulgus Sanctum *Mungo* appellat. Successit illi in episcopatu Elguensi discipulus suus Asaphus, à quo illa civitatula deinceps *Fanum Asaphi* dicebatur. Celeberrima ejus sententia passim hæc circumfertur, *Quicunque verbo Dei adversantur, saluti hominum invident.*

Ricard. Vit. Basingstoch. *in Not. ad lib. ottav.*

Joann. Tinm. *in Sanctilogio.*

Florent. Vigorn. 561. 563. Adamn. *in vita Columb.* 564.

Anno quingentesimo sexagesimo primo Herminericus rex Cantianus Æthelbertum filium, licèt impuberem, regni consortem fecit. Annóque abhinc altero Columbam, sive Columbanum, Presbyterum & Abbatem, Dermitii Hyberniæ regis insidias ac odium capitale declinantem, indè enavigâsse docet Adamnanus *Hyensis* Abbas. Anno sequente mortuus est Herminericus prædictus, quum annos triginta

ginta regnâſſet, adeóque hoc anno Æthelbertus in Cantio ſolus regnare cœpit. Etenim huc uſque vitam produxiſſe Herminericum, oſtendit Malmesburienſis, qui *Ottæ* (anno duodecimo ſupra quingenteſimum regnare exorſi) atque illius temporibus quinquaginta tres annos (ſcilicet incluſivè ſupputatos) deputari in Chronicis teſtatur. Eádémque ratione Beda, Æthelberti regno quinquaginta ſex annos aſſignans, cum iiſdem Chronicis, quinquaginta tres duntaxat annos (à patris morte numeratos) eidem tribuentibus, optimè conciliari poterit. A qua etiam ſententia unius tantùm anni metachroniſmo diſcrepat Huntingdonienſis, regni ejus initium in ſextum Ceulini regis annum conjiciens. Anno quingenteſimo ſexageſimo quinto Columba, tranſacto inter Hebridianos vel Scotos Albienſes biennio, progreſſus in Pictaviam, ibi diu prædicando Septentrionales Pictos ad Chriſtianam religionem convertit: nam Auſtrales pridem à Niniano Britanno converſi fuerant. Columbæ datam fuiſſe *Hyam* inſulam inter Hebridas poſitam, quæ nunc *Jona* dicitur, à Conallo, ſive Convallo, Dalriedæ rege, *Tigernacus* & Ultonienſes Annales produnt. Quanquam Beda à Pictis multò remotiùs habitantibus donatam ſcribat: unde Brudæum, quem ille *regem potentiſſimum* appellat, aliquid tunc temporis in Scotos juris exercuiſſe, eſt colligere. Hic celeberrimum ille monaſterium condidit, cujus Abbati non ſolùm *omnis provincia*, ſed *ipſi etiam epiſcopi ordine inuſitato paruerunt*: & ipſe primus indè Abbas illic ſedit. Anno quingenteſimo ſexageſimo ſexto defunctus eſt *Adda* Rex Deirorum, ubi ſeptem annos regnâſſet; cui

Guil. Malm. *lib.* 1. *cap.* 1.

565.

Bed. *lib.* 3. *cap.* 4.

Florent. Vigorn. 566.

Guil. Malm. *lib.* 1. *cap.* 2.

Glappa

568. *Glappa* quidam ſucceſſit. Anno autem quingenteſimo ſexageſimo octavo rex Ceulinus, ejúſque filius juxta Florentium, aut juxta alios frater, *Cutha*, Æthelbertum regem Cantianum, pro antiquitate familiæ primas partes ſibi vendicantem, ac per hoc avidiùs alienos fines incurſantem, probè aggreſſi, fuſis *Vibbanduni*, ſive *Vimbelduni*, in agro *Surreienſi* copiis, cæſíſque duobus ejus ducibus *Oſlaco* & *Cnebbano*, præcipiti ſe in Cantium fugâ proripere coëgerunt. Quod primum civile fuit atque inteſtinum in Britannia inter Angloſaxones bellum. Circa hæc etiam tempora Gildas Badonicus ab *Anmurecho* Hyberniæ rege accerſitus, plurima in illa inſula emendâſſe traditur; annóque ſeptuageſimo ſupra quingenteſimum, ut ex Ultonienſibus Annalibus intelligimus, annos ætatis quinquaginta novem emenſus, ſpiritum efflavit. Quem tamen Annales Inisfallenſes triennio antè deceſſiſſe produnt. Ex utriſque, Miltonum hallucinari liquet, qui bellum Cerdicsleganum cum Badonico temere confundens, exinde anno quingenteſimo ſeptuageſimo primo, Gildâ jam antè defuncto, editam fuiſſe querulam Gildæ Epiſtolam concludit. Sed illo quidem anno *Uffa*, cæteris abſumptis regni conſortibus, ſolus præeſſe Anglis Orientalibus cœpit. Eodémque anno *Glappæ* Berniciorum regi, poſt regimen quinquenne defuncto, ſucceſſit *Theodulphus*. Prædicti Gildæ, tanquam Britannis ſuis nimiùm infenſi, fidem atque autoritatem elevare conatur D. Joannes Priſæus, *quaſi tam anxiè probroſa omnia conquiſiſſet, tam diſſimulanter laudabilia quæque hujus inſulæ tranſiliſſet, ac, ut in his elevandis, ſic in illis modis omnibus*

Florent. Vigorn. Hunt. *lib.* 2. & Matt. Veſtm.

570. *Ulton. Annal.*

Milt. *Hiſt. Angl.*

Hunt. *lib.* 2. Florent. Vigorn.

571.

Priſ. *Def. Hiſt. Brit.*

omnibus exaggerandis, omnes ingenii & loquentiæ ſuæ (nam *eloquentiæ* dicere, haud dignatur) *nervos intendiſſet; ut nullam prorſus Hiſtoriæ ſpeciem, quin potiùs vituperationem gentis Britanniæ, ſtudio adhibito, inſtituiſſe videretur. Eundémque ob cædem fratris ſui Hoëli ab Arturio perpetratam, ei tam infeſtum fuiſſe, ut quæ priùs de illo laudanda ſcripſerat, poſt fratris cædem ſupprimeret, &, quoad maximè poterit, ejus famæ & gloriæ derogaret,* è Giraldo refert. Veruntamen è contrà, primitivam Britannorum ſanctitatem, martyrúmque Albani, Aaronis, Julii, in perſecutionibus conſtantiam, Ambroſii nobilitatem, modeſtiam, pietatem, ac fortitudinem, victorias Ambroſianam & Badonicam, atque ante has religioſum monticolarum, *non in homine, ſed in Deo fidentium*, triumphum, reges deinde ac ſacerdotes *ſuum ordinem ſervantes*, ipſum denique Arcturium *regem*, Malgonis *avunculum*, ejúſque *milites leoninos*, egregiis celebrat Gildas noſter præconiis. Neque enim Hoëlus prædictus Gildæ *Badonici*, ſed *Albanii* frater fuit, utì antea oſtenſum eſt. Tametſi enim nonnulli duos hoſce viros cognomines temere confundunt, neceſſariò tamen ratione temporis eſſe inter ſe diſtinguendos, luculentiſſimè docuit clariſſimus Uſſerius. Poſt bellum certè Badonicum, decedentibus tandem bonis regibus ac ſacerdotibus, *cùm ſucceſſiſſet ætas tempeſtatis illius neſcia, & præſentis tantùm ſerenitatis experta, cuncta veritatis ac juſtitiæ moderamina concuſſa ac ferè ſubverſa* fuiſſe, non tam narrat ac diſceptat, quàm deflet. Paucos verò etiam tunc temporis excipit: *Quorum nè quis me*, inquit, *egregiam vitam, omnibus admirabilem,*

Uſſer. *Primord.*

Gild. *epiſt.*

bilem, Deóque amabilem, carpere putet, quibus noſtra infirmitas in ſacris orationibus, ut non penitùs collabatur, quaſi columnis quibuſdam ac fulcris ſaluberrimis ſuſtentatur. Et alibi, *Sed mihi*, inquit, *quæſo ab his veniam impertiri, quorum vitam non ſolùm laudo, verùm etiam cunctis mundi opibus præfero, cujúſque me, ſi fieri poſſit, ante mortem eſſe aliquandiu participem opto & ſitio.* Præfata autem querela, de perduellibus cum Modredo adverſus Arcturium ſentientibus, haud incommodè inſtituta videatur, quorum veſanam proditionem & ipſe Priſæus & omnes alii Scriptores Cambrobritannici exſecrantur. Hâc verò digreſſione impræſentiarum uſus ſum, ut viri pientiſſimi famam memoriámque ab ingrata malevolæ acerbitatis nota & cenſurâ immunem prorſus aſſererem atque vindicarem, ipſúmque obtrectatoriam gentis Britannicæ ſugillationem nullatenus *inſtituiſſe* evincerem. De ejus autem religione & fide præclarum Giraldi Cambrenſis, in priore *Cambriæ* ſuæ *deſcriptioni prefixa* præfatione, teſtimonium hîc attexere non gravabor. *Præ aliis*, inquit ille, *Britanniæ Scriptoribus, ſolus mihi Gildas, quoties eundem materiæ curſus intulerit, imitabilis eſſe videtur; quia, ea quæ vidit & ipſe cognovit ſcripto commendans, excidiúmque gentis ſuæ declarans potiùs quàm deſcribens, veram magìs hiſtoriam texuit quàm ornatam. Gildam itaque Giraldus ſequitur, quem utinam moribus & vitâ ſequi poſſet, ſaltem ejuſdem plùs ſapientiâ quàm eloquentiâ, plùs animo quàm calamo, plùs zelo quàm ſtylo, plùs vitâ quàm verbis imitator.* Hactenus ille. *Cuthulphus* autem, ſive *Cuthbertus* Florent. Vigorn. regis Ceulini frater, conſerto Bedfordiæ cum Britanni

Britannis prælio, eos profligavit, quatuórque eodem anno quingenteſimo ſeptuageſimo primo oppida regia occupavit, Ailsburiam in agro Bucchinghamienſi, Benſoniam (olim Benſingtoniam) atque Einſhamiam in Oxonienſi, & Lugoburgum in Leiceſtrenſi: ſed ipſe victor inclytus eodem anno vitâ exceſſit. Annóque ſequenti *Theodulphus*, quum annum unicum in Bernicia regnâſſet, moriens, *Fridulphum* habuit ſucceſſorem. Intra proximum ſexennium, juxta Bedam, Guilielmum Malmeſburienſem, Joannem Diaconum, aliósque non aſpernandos authores, miniſtrata eſt Gregorio magno ſollicitam Anglis ad Chriſtianam fidem convertendis operam impendendi occaſio, de qua hæc habet Malmesburienſis, de *Alla* Deirorum rege loquens. Hujus, inquit, tempore, venales ex Northumbria pueri (familiari ſcilicet & penè ingenitâ illi nationi conſuetudine, adeò ut, ſicut noſtra quoque ſecula viderunt, non dubitarent arctiſſimas neceſſitudines, ſub prætextu minimorum commodorum, diſtrahere: venales ergò ex Anglia pueri) Romam deducti, ſaluti omnium compatriotarum occaſionem dederunt. Nam quum miraculo vultûs & lineamentorum gratiâ oculos civitatis invitâſſent, affuit ſortè cum aliis beatiſſimus Gregorius, tunc Apoſtolicæ ſedis archidiaconus; qui miratus tantam in mortalibus decoris compoſitionem, miſeratus tam abjectam in captivis conditionem, conſulit aſtantes, Qui genus? unde domo? Reſponſum eſt, eſſe genere Anglos, provinciâ Deiros, (eſt enim Deira provincia Northumbriæ,) *Allæ* regi ſubditos, paganiſmo deditos. Quorum extremum dolentibus ſuſpiriis proſecutus, reli-

572.

Bed. *lib.* 2. *cap.* 1. Malm. *lib.* 1. *cap.* 2. Joan. Diac. *in vita Gregor.*

quis eleganter applauſit; ut *Angli*, *angelis* ſimiles, *de Ira* eruerentur, & *Allele* cantare docerentur. Nec mora, impetratâ à Benedicto Papa licentiâ, ad prædicandum iter adoriri magnanima eximii viri ſpiravit induſtria: & profectò conceptum opus pietas explêſſet, niſi jam profectum factioſus amor civium revocâſſet. Erat enim vir ille cùm virtutibus clarus, tum civibus charus; quippe qui ſpem illorum, quam de eo à puero combiberant, incredibili virtute ſuperavit. Ità boni intentio tunc quidem fruſtrata, ſed poſtea ſub pontificatu ejus laudabilem finem accepit. Hactenus Guilielmus.

577. Florent. Vigorn. *Annal. Saxon.* Æthelv. & Hunt. *lib.* 2. Camd. *in Dobun.*

Anno quingenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo rex Ceulinus ejúſque filius *Cutha*, ſive *Cuthwinus*, *Derhamiæ* in agro Gloceſtrenſi cum Britannis conflixêre, quos, cæſis ibi tribus eorum regulis, *Conimaglo*, *Condidano*, ſive *Candidano*, & *Fernmelio*, graviſſimâ clade affecerunt. Ampliſſima valla, caſtrorum munimenta, & hinc indè tanti belli mónumenta expreſſiſſima etiamnum, inquit Camdenus, eò loci ſuperſunt. Victores indè Gloceſtriam obſident; quâ captâ, Cyrenceſtriam ſtrategemate per paſſeres, ut fertur, incenſam, fugato trans Sabrinam, qui ejus defenſionem in ſe ſuſceperat, ignobili rege *Ceretico*, in poteſtatem redigunt: & circumducto mox exercitu Bathoniam quoque expugnant. Quum verò poſt Malgonis mortem Hiſtoria Britannica ſubactam fuiſſe Cyrenceſtriam doceat, hinc illum Malgonem, ſive Maglocunum, eundem eſſe qui Angloſaxonicis Scriptoribus, per ſyllabarum inverſionem, *Conimaglus* dicitur; *Conanum* verò, ſive *Caninum*, (à Gilda caſtigatum) ab Angloſaxonibus

Galſr. *lib.* 8. *cap.* 2.

nibus *Condidanum* & *Candidanum* esse nuncupatum; postrò, Fernmelium Ventæ Silurum sive Guentæ regem exstitisse, quippe cujus nominis, paulò post ista tempora, alius quoque ejusdem provinciæ regulus in Lhandavensi Regesto occurrit; ut putem, animus facilè propendet. Idem verò Malgo etiam *Mailcunus* in illo Regesto dicitur; quæ quidem appellatio *Conmeaili* (uti trium Regum Britannicorum *primum* Florentius vocat) nomini, per eandem syllabarum inversionem, æquè est affinis. Florent. Vigorn. Anno quingentesimo septuagesimo octavo decedentem *Uffam* in Orientalium Anglorum regno excepit filius *Titillus*: annóque sequente defunctus est *Fridulphus* Berniciorum rex, quum annos septem regnâsset; cui successit *Ida* filius *Adda*que frater *Theodericus*. Simeon Dunelmensis & Rogerus Hovedenus, circa primorum regum Berniciorum nomina ac seriem miserrimè hallucinantes, pro Glappa, Theodulpho, & Fridulpho, (qui fratres *Idæ* fuisse videantur,) *Fridubuldum*, & *Huscum*, sive *Hussum*, exhibent. Circa hæc tempora Theliaus Archiepiscopus Legionensis, Ensici viri nobilis ex Davidis Menevensis sorore filius, ex Armorica, ubi pestem ictericiam in patria sævientem declinans annos septem exegerat, cum discipulis in Britanniam reversus est; & mortuo Cinoco Menevensi Archipræsule, eundem Archiepiscopatum Legionensi suo adjunxit, ac ordinato (sub ipsius primatu) ecclesiæ illi Episcopo *Ismaele*, factus est (ut priùs fuerant Dubricius & David) totius Cambriæ Archiepiscopus. Anno quingentesimo octogesimo quarto Ceulinus filiúsque Cuthovinus *Fethanleiæ* pugnârunt cum Britannis.

578. 579. Matt. Vesm. Simeon Dunelm. Roger. Hoved. 584.

Hunt. *lib.* 2. tannis. Pugnatum eſt autem, inquit Henricus, perniciosè & horribiliter utrinque : Cuthovinus, gravi multitudine oppreſſus, proſtratus & occiſus eſt. Victi ſunt igitur Angli, & fugæ dati. Rex tamen Ceulinus rurſus reparato exercitu, cùm fugam ſui abjurâſſent, tandem prælio victores vicit, perſequénſque Britannos, regiones multas & innumerabilia ſpolia cepit. Hactenus Huntingdonienſis. In hoc bello regem Scotorum Aidanum Britannis auxilia, cum Griffino filio, & Brendino Euboniæ, id eſt, Manniæ, regulo, ſubminiſtrâſſe, in eâque pugnâ duces Scoticos, qui per *Moram Lapideam*, ſive Stanmoriam, eò pervaſerant, cecidiſſe, narrant Joannes Fordonus & Georgius Buchananus. Eodem quoque anno regnum Merciorum ſub *Crida*, *Cnebba* ex filio *Cunevaldo* nepote, *Icelii* pronepote, *Eumeri* abnepote, *Angengetæ Offâ* ſive *Uffone* oriundi atnepote, initium ſumpſit. Fuit autem Offæ pater *Veremundus*, avus *Vitlegius*, proavus *Vaga*, abavus *Vitelgeta*, atavus *Odinus* ille magnus. Anno quingenteſimo octogeſimo ſexto Theonus Londinenſis & Thadiocus Eboracenſis Archiepiſcopi, quum omnes Eccleſias ſibi (olim) ſubditas uſque ad humum deſtructas vidiſſent, cum omnibus ordinatis, qui in tanto diſcrimine ſuperfuerant, in Cambriam diffugiunt : complures etiam Armoricanam Britanniam magno naviglo petierunt *Theoderico* Berniciorum regi, hoc anno poſt regimen ſeptennne morienti, ſucceſſit frater *Athalaricus*, *poſt detritam*, inquit Malmesburienſis, *in penuria ætatem*, *extremâ canitie provectus*, *miſerabilis princeps*, *& quem fama obſcura prorſus occuluerat*, *niſi filii conſpicuus vigor patrem*

Fordoni *Scoti chron.*

Buchanan. *lib.* 5.

Hunt. *lib.* 2. Florent. Vigorn.

586. Matth. Veſtm.

Galfr. *lib.* 8. *cap.* 2.

Malm. *lib.* 1. *cap.* 3.

patrem in ſpeculam extuliſſet. Ejus itaque filius Adelfridus cuncta regni negotia ſub patre adminiſtravit; qui etiam ſub patruo *Theoderico* rei militari præfuiſſe videatur, ſiqua Scoticis Scriptoribus adhibenda ſit fides, qui ipſum ſub Ceulino rege prælio Fethanleiano interfuiſſe produnt. Anglorum igitur reges, ejectis è Loëgria Britannis, communi, ut habet Matthæus Florilegus, decreto ſtatuerunt, *quatenus Inſula non à Bruto Britannia, ſed ab Anglis Anglia vocaretur.* Ranulphus Ceſtrenſis Egberto regi hoc decretum aſtruit: ſed pro Florilego facit Joannes Sarisburienſis in *Policratico*, qui paulò poſt Anglorum introitum impoſitum fuiſſe Angliæ nomen teſtatur. Anno quingenteſimo octogeſimo ſeptimo rex Orientalium Saxonum *Erconovinus*, ubi ſexaginta annos regnâſſet, defunctus eſt; cui ſucceſſit filius *Sledda.* 587.

Matth. Veſtm.

Polychron. lib. 5. cap. 28. Policrat. lib. 5. cap. 17.

Ad annum quingenteſimum octogeſimum octavum *converſio Conſtantini ad Dominum*, in Annalibus & Ultonienſibus & Tigernaci, annotata habetur. Qui Conſtantinus ille eſt Danmoniæ ſive Cornubiæ Rex, aſperiùs à Gilda in querula ſua Epiſtola appellatus. Hunc enim non tantùm reſipuiſſe, ſed etiam martyrio vitam finiiſſe, nonnulli ſcribunt. De illo hæc habet Joannes Tinmuthenſis in vita Davidis: *Conſtantinus Cornubienſium rex*, (Ducem Cornubiæ Giraldus Cambrenſis eum nominat,) *relicto regno ſuo, in ejus monaſterio monachus effectus eſt, ibique diu felici converſatus ſervitio, tandem in aliam longinquam patriam migrans, monaſterium fundavit.* Ab illo Sancti Davidis monaſterio in Hyberniam tranſiiſſe illum, ità docet Hector Boëtius: *Hunc Conſtantinum ſcribunt*

588.

Joan. Tinm. in Sanctilog.

Hect. Boët. lib. 9.

ſcribunt nonnulli, Gualliæ (ſeu potiùs *Cornugalliæ*) *regno aliquot annos adminiſtrato, liberis & conjuge orbatum, terreni regni pertæſum, clam ſuis abiiſſe in Hyberniam; ibique in piſtrino pauperum obſequiis amore Chriſti aliquandiu deſerviiſſe incognitum. Indè monachi ſuaſu, cui quis eſſet patefecerat, tonſo capite ſacratum, cœnobio inter pium cœtum Chriſti militiæ devotum, imitandæ virtutis fratribus ſe præſtitiſſe exemplum.* Veruntamen illum in cœnobio Menevenſi, priuſquam è Britannia in Hyberniam tranſmitteret, tonſum fuiſſe, oſtendit Hectore antiquior Tinmuthenſis. Hoc etiam anno obiit Alla Deirorum rex ſtrenuiſſimus, ſcilicet tricesimo regni ſui anno, relicto filio trimulo Edovino; quem protinus Adelfridus, qui paulò antea ſororem ejus *Aecam* duxerat, regno expulit, ac *Deiram Bernicię* adjunxit.

590. Matt. Veſtm. Anno nonageſimo ſupra quingenteſimum, *Ciſſam* Auſtralium Saxonum regem, ubi ſeptuaginta ſex annos regnâſſet, defunctum, ejúſque regnum ad Ceulinum regem devolutum eſſe, tradit Matth. Florilegus. Quem ſi puerulum è Germania ab Ella patre anno quadringenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo huc advectum dixerimus, jure tamen inter Macrobios annumerare debeamus. Hactenus Ceulinus haud minore cum prudentia quàm fortitudine ac felicitate omnia geſſerat. Nunc demum verò ſuæ ſibi cladis auctor exſiſtere cœpit, dum immaturæ ſuorum è *Cutha* ſive *Cuthovino* filio nepotum ætati à vicinis regibus metuens, *Ceolam*, ſive *Ceolricum*, patris optimi *Cuthæ* ſive *Cuthulphi* filium peſſimum, ſub ſe vicarium Occidentalium Saxonum regem conſtituit, ut poſt ipſius obitum iis eſſet tyrannini.

Annal. Sax. Floren. Vigorn. *in Geneal. Reg. Occident. Sax.*

Orto

Orto inter Pictos & Scotos diſſidio, conſertum eſſe prælium *Leithreidenſe* ex Ultonienſibus Annalibus intelligimus; quod Adamnano bellum *Miatorum* (forſan pro *Meatarum*) nominari, quo, amiſſis duobus filiis, *Artburio* & *Euchodio Find*, ſive *Eugenio albo*, infelicem Aidano Scotorum regi contigiſſe victoriam, Columba, procul in Jona inſula agens, palàm diſcipulis eodem temporis articulo pronunciâſſe fertur, Uſſerius Armachanus arbitratur. Nuperrimè enim de Hybernia redierat Columba, ſecum adducens præfatum Conſtantinum, qui, ut Joannes Fordonus prodidit, *fidem Chriſtianam Scotis prædicavit & Pictis*, monaſterium Govanianum juxta Cludam conſtruxit, ibidémque Abbas præſidens, totam terram Cantirianam convertit; ac tandem, impiorum manibus paſſus martyrium, in eodem monaſterio ſepultus eſt. Nec abs re fuerit Hectoris Boëtii de hujuſce Conſtantini ex Hybernico cœnobio diſceſſu verba adjicere. *Ad Scotos tandem*, inquit ille, *miſſus à loci antiſtite, ut populum Chriſti dogmate erudiret, impiorum manibus paſſus eſt martyrium. Cui, aliquot poſt ſecula relato in divorum numerum, templa nonnulla ſacrorum pontificum autoritate dicata, inter noſtrates adhuc conſpiciuntur.* Ità Hector. Filii ejus, quibus eum Boëtius *orbatum* refert, videntur fuiſſe, *Tendurus*, quem Joannes Tinmuthenſis *virum atrocem & ferum moribus* appellat; & *Gerennius*, vir mitioris ingenii, à quo Theliaum archiepiſcopum in Gallias tendentem benignè exceptum tradit *Regeſt. Lhandavenſe:* quos utique illorum quibus iſte Conſtantinus vixerit temporum acta exarantes Legendarii, tunc in Cornubia rerum potitos eſſe

Annal. Ulton.

Adamn. *de vita Columb.*

Uſſer. *de Primord. cap.* 16. *& in append.*

Joan. Fordon. *Scot. Chron.*

Hector Boët. *lib.* 9.

Tinmuth. *in vita Patric.*

Lhandav. Regeſt. in vita Theliai.

ſubinnuunt. Ad undecimum diem Martii natalem Conſtantini Cornubienſis eſſe celebratum, teſtatur in Martyrologio Germanico Petrus Caniſius. Hæc eò fuſiùs de hoc principe memoravi, quò meliùs conſtaret quàm inania ac futilia ſint Galfridi, Conſtantinum tertio regni ſui anno, atque ante editam Gildæ Epiſtolam, ab Aurelio Conano interfectum, Dei ſententiâ percuſſum, temere prodentis ſomnia.

Galfr. *lib.* 8. *cap.* 1.

Difficile eſt mortalibus ſibi in rebus proſperis temperare: adcóque rex Ceulinus, cui omnia huc uſque ad vota fluxerant, ſeſe erga reges comprovinciales inflatiùs gerens, eorum odia atque iras in ſe concitavit. Icto igitur inter ſe fœdere, Angli, Scoti & Britanni, junctis viribus ipſum bello impetunt; accedente etiam eorum partibus adverſus patruum ingratiſſimo nepote *Ceolrico*. Quibus ad *Odini Bergam*, id eſt, *Odini montem*, ſive *Vodenbergam*, (Anglicè *Wanborough*,) juxta *Odini Foſſam* (Anglicè *Wansdike*) in agro Viltonienſi audacter occurrit rex Ceulinus, prælióque cruentiſſimum anno quingenteſimo nonageſimo ſecundo cum iis conſeruit; quo tandem multitudini ſuccumbere neceſſum habuit virtus, cæsâque potiſſimâ exercitûs parte, hoſtibus terga dare coactus eſt bellator fortiſſimus. Scotis hoc bello præfuit rex Aidanus, Gorani filius: unde ad hanc victoriam præfatum Columbæ ad diſcipulos ſermonem trahit Joannes Fordonus. Britannorum duces fuiſſe, & hâc pugnâ cecidiſſe, Conſtantinum & Mencrinum, tradunt nonnulli Scriptores Scotici; qui Adelfridum quoque Northumbrenſem à Ceulini partibus ſtetiſſe teſtantur. Cùm verò Conſtantinum antea ſeculo renunciaſſe

592.

Malm. *lib.* 1. *cap.* 2.

Florent. Vigorn. *in Geneal.*

Hect. Boët. *lib.* 9.

Buchan. *Hiſt. Scot.*

ciâſſe jam oſtenderimus, & à Cadovallone Britannorum rege exoratum, Aidanum arma nunc induiſſe, doceat Joannes Fordonus; videndum annon hæc illa ipſa ſit victoria, quam, inverſo tranſpoſitóque, utì crebrò ſolet, rerum geſtarum ordine, à Britannis, celeberrimi Abbatis Deonoti adhortatione confirmatis, de Adelfrido reportatam fuiſſe, poſt monachorum Bangorenſium cædem, Galfridus prodit. Certè, niſi ità ſe res habeat, nulla prorſus uſpiam apud Hiſtoricos Britannos reliquos hujuſce victoriæ inveniri poterit mentio: qui tamen ſuorum triumphos nihilo magìs quàm Angloſaxonicorum Annalium concinnatores ingrato ſilentio præterire adſolent. Nec Angloſaxonicorum Scriptorum quiſpiam, poſt monachorum cædem, Adelfridum à Britannis victum memorat. Si igitur iſtud concedatur, pro *Conſtantino Bledricum*, ſive *Bletrufium*, Conſtantini ſucceſſorem, (tunc occiſum,) & pro *Meuerino Mereducum*, ſive Meredithum, Demetarum regem, libenter reponerem. Theodericum quoque Glamorganiæ regem haud minimum huic ſucceſſui momentum attuliſſe ut credam, illa Lhandavenſis Regeſti me movent de illo verba: viz. *De quo dicebatur, cùm regnum ſuum teneret, quòd nunquam victus ab hoſtibus fuerat, ſed ſemper victor, & ità viſâ facie ſuâ in acie bellorum, ſtatim hoſtes vertebantur in fugam.* Quod autem haud *Cadovanum*, quem Fordonus *Cadvallonem* appellat, ſed *Bledricum*, in hoc bello ſummum fuiſſe Britannorum ducem Galfridus narrat; illud exinde proveniſſe opinor, quòd *Cadovanus*, *Belini* regis ex *Jagone* filio nepos, nondum, ut ex ejus abavi Malgonis ætate colligo, militiæ eſſet idoneus;

Ford. in Scot. chron.

Galfr. lib. 8. cap. 4.

Regeſt. Lhand.

neus; unde regnum ejus quousque ipſe adoleſceret à Tutoribus adminiſtratum eſt, qui miſsâ, prout antè ex Fordono memoravimus, ad Aidanum legatione, ipſum in belli ſocietatem attraxêre. Rex igitur Ceulinus, poſt acceptam hanc cladem, tot tantíſque impar hoſtibus, regno pulſus, aliena auxilia dum
593. fruſtrà circumſpicit, anno proximè ſequenti in exſilio cum fratre *Quicelmo* moritur, quum triginta tres annos regnâſſet; princeps Arcturio belli ſucceſſibus vitæque exitu comparandus; triumphator invictiſſimus, propriíque nepotis proditione ac rebellione poſt illuſtria trophæa oppreſſus. De *Ceola*, quem ſanè alterum jure *Modredum* dixerimus, Florentii verba hic attexam. *Contra quem* (viz. Ceulinum) *Ceola filius fratris ſui Cuthulphi, quem ante bieunium regem ſub ſe fecerat, immeritò rebellavit, regnóque expellens, loco ejus quinque annis regnavit.* Eodem quoque anno obiit Athalaricus Northumbriæ rex, quum in Bernicia annos ſeptem, in Deira quinque regnâſſet. Cui ſucceſſit filius Adelfridus. Crida etiam rex Merciorum decimo regni ſui anno è vivis exceſſit. Ceulini regis tempore claruerunt, Thalieſſinus Bardorum coryphæus, qui odulis acrioribus Malgonem Venedotum etiam ſuperſtitem perſtringere auſus eſt; & Merlinus junior, *Sylveſtris* ſive *Caledonius* agnominatus, ut à ſeniore illo diſtingueretur, qui proprio nomine *Ambroſius* dictus, à natali ſolo Maridunenſi *Merlinus*, ceu potiùs *Merdhinus*, cognominatus, regum Hengiſti atque Ellæ temporibus floruit. Sed Guilielmi Malmesburienſis de ipſo Ceulino teſtimonium adjicere commodum duximus. Hujus, inquit ille, ſpectatiſſimum

Florent. Vigorn. *in Geneal.*

Guil. Malm. *lib. 1. cap. 2.*

ciſſimum in prælliis robur Annales ad invidiam efferunt, quippe qui fuit Anglis ſtupori, Britonibus odio, utriſque exitio. Horum exempla pro compendio ſubjiciam. Æthelbertum regem Cantuaritarum, aliàs laudabilem, ſed tunc pro antiquitate familiæ primas partes ſibi vendicantem, ac per hoc avidiùs alienos fines incurſantem, probè aggreſſus, fuſis auxiliis ad ſua fugavit. Britannos, qui temporibus patris & avi, vel prætento deditionis umbone, vel clauſtrorum muralium objectu, Gloceſtriæ & Cyrenceſtriæ & Bathoniæ exitium effugerant, infeſtâ proſecutus animoſitate, urbibus exuit, & in confragoſa ſaltuoſáque loca hodiéque detruſit. Inter hæc tamen, quia fatalis alea incertis jactibus in hujus vitæ tabula mortales eludit, tantos bellorum ſucceſſus obfuſcavit luctus domeſticus. Denique, Cuthâ fratre immaturâ morte intercepto, ejuſdémque nominis filio ante ſe in pugna extincto, ambobus prædicabilis ſpei juvenibus, multum felicitatis ſuæ deceſſiſſe non ſemel ſuſpiravit. Poſtremò, ipſe, diebus ultimis regno extorris, miſerandum ſui ſpectaculum exhibuit. Quia enim in odium ſui claſſicum utrobique cecinerat, conſpirantibus tam Anglis quàm Britonibus, apud *Wodenſdike* cæſo exercitu, regno nudatus in exſilium conceſſit, & continuò deceſſit. Ex iſtis Guilielmi verbis, Britannorum *Gormundum* haud alium exſtitiſſe quàm Angloſaxonum *Ceulinum*, liquidò conſtare mihi videtur, quum eadem utrique geſta tribuuntur; qualia ſunt, Cyrenceſtriæ captio, & Britannorum in *confragoſa ſaltuoſáque* Cambriæ *loca detruſio*. Longè autem recentiorem fuiſſe *Gormundum* illum Scandianum, *Lageniæ Midiæque* in Hybernia domitorem,

torem, *Burchardi* ducis *Montis Margei* patrem, poſtea demonſtrabimus. Filium unicum Ceulinus habuit, *Cuthovinum* & *Cutham* appellatum, bello Fethanleiano peremptum, à quo reges inclytiſſimi *Cedovalla*, *Inas* atque *Egbertus* originem duxerunt. Claruêre ejus tempore *Maelovius* & *Maglorius*, *Samſonis* Dolenſis conſanguinei, natu Britanni inſulani, ſed ad epiſcopalem in Armorica apicem evecti; & Ivo Perſa, eremiticam in Anglia vitam ducens. Cum Ceulino vixerunt Charibertus ſive Aribertus, Chilpericus, Gontranus & Sigebertus fratres, & Sigeberti filius Childebertus, Francorum, Athanagildus, Liuba, Leovigildus, & Ricardus, Viſigothorum, Alboinus, Cleophes & Antharitus, Longobardorum, in Gallia, Hiſpania & Italia, reges.

VI. ÆTHEL-

VI. ÆTHELBERTUS.

CEULINO victo mortuóque ſucceſſit in ſuprema Anglorum Monarchia, anno quingenteſimo nonageſimo tertio, rex magnus Cantianorum Æthelbertus, ſive Edelbertus, Herminerici filius. *Hic primis pubeſcentis regni temporibus*, ut habet Malmesburienſis, *adeò vicinis regibus fuit ridiculo, ut uno & altero pulſus prælio, vix ſuos terminos tutaretur. Poſtmodum, quum adultiori ætati etiam conſultior militiæ acceſſiſſet peritia, brevi omnes nationes Anglorum præter Northanhumbros, continuis victoriis domitas, ſub jugum traxit.* Quum verò nulla Æthelberti poſt infauſtum *Vibbandunenſe* prælium felicior pugna, quâ regni terminos prolataverit, ab Angloſaxonicis ſcriptoribus diſertè memoratur; ipſum certè priſtinæ cladis acceptæ memorem, & Francorum affinitate fretum, ſummum fœderatorum Angloſaxonum in bello Vodenbergenſi contra Ceulinum geſto ducem exſtitiſſe, ejúſque viribus ac potentiâ nixum Ceolricum patruo rebellare auſum, quidni exiſtimemus? Præſertim, ſi tantam poſt illud ſociale bellum inter Cantianos & Britannos amicitiam coaluiſſe perpendamus, ut convocati ad coactum paucis pòſt annis in agro Vigornienſi concilium accedere Britannorum Epiſcopi non abnuerent; quorum tamen ſucceſſores nullis omnino, per aliquot annorum centurias ab illo tempore elabentes, Anglorum intereſſe conciliis dignati ſunt. Certè ei omnium maximè illam conduxiſſe, uberrimóſque fructus victoriam attuliſſe, liquet; quippe quem protinus

593.

Guil. Malm. lib. 1. cap. 1.

Bed. *lib.* 1. *cap.* 25. protinus *ad confinium uſque Humbri fluminis fines imperii protendiſſe*, etiam ex Beda intelligimus. Anno proximo, qui fuit quingenteſimus
594. nonageſimus quartus, *Vibba*, Cridæ filius, Mer-
Polychr. *lib.* 5. *cap.* 12. ciorum regno admotus eſt, quod per viginti annos tenuit. *Bertam*, *Ariberti* Francorum regis,
Guil. Thorn. ut habet Guilielmus Thornus, filiam, rex Æthelbertus uxorem duxerat; quam *Aldibergam*
Greg. *in epiſt.* Gregorius magnus, pro *Adilberta*, ſive *nobili Berta*, appellat. Illam, à patre, citâ morte præ-
Bed. *lib.* 1. *cap.* 25. vento, ſub matris patruique Chilperici tutelâ
Guil. Thorn. parvulam relictam, eâ conditione ab iis acce-
hiſt. Abbat. Auguſtin. perat, ut ritum fidei ac religionis ſuæ cum *Ludhardo* epiſcopo Sylvanectenſi, quem ei adjutorem fidei dederant, inviolatum ſervare licentiam haberet. Atque ità primùm per eos ad illum fama Chriſtianæ religionis pervenerat; quorum vitæ ſanctimoniâ ità in admirationem atque reverentiam pertractus eſt regius animus, faſtúſque emollitus, ut advenientibus Româ prædicatoribus humaniſſimum ſeſe benigniſſimúmque exhiberet. Anno quingenteſimo
596. nonageſimo ſexto Gregorius pontifex Romanus Auguſtinum, ex ordine Benedictino olim monachum, deinde monaſterii Sancti Andreæ juxta Baſilicam Sanctorum Joannis & Pauli ad clivum Scauri in urbe Romana, ab ipſo Gregorio fundati, Abbatem, (quem, magni Hipponenſium Epiſcopi cognominis reſpectu, Fa-
Æthelv. *lib.* 4. *cap.* 4. bius Æthelvardus *minorem* appellat,) cum aliis monachis compluribus, ad verbum Divinum noſtræ Anglorum genti annunciandum miſit. Qui quum, ipſius juſſis morem gerentes, opus
Beda *lib.* 1. *cap.* 23. injunctum aggredi cœpiſſent, jámque, ut Beda docet, aliquantum itineris confeciſſent, perculſi timore incerti, redire domum, potiùs quàm barbaram,

baram, ſeram incredulámque gentem, cujus nec linguam quidem nôſſent, adire, cogitabant; & hoc eſſe tutius, communi conſilio decernebant. Nec mora, Auguſtinum, quem eis Abbatem præfecerat, Epiſcopúmque ordinandum (ſi ab Anglis ſuſciperentur) diſpoſuerat, domum remittunt, qui humili ſupplicatione obtineret, nè tam periculoſam, tam laborioſam, tam incertam peregrinationem adire deberent. Quibus ille exhortatorias mittens literas, ad opus eos verbi, Divino confiſos auxilio, proficiſci ſuadet. Francorum quoque principes & præſules per epiſtolas interpellavit, ut tranſeuntes lætiùs exciperent, quæque eorum profectioni viderentur commoda, uberiùs ſuppeditarent. Fuit iſte annus à primo Anglorum adventu, utì Florentius rectè ſupputavit, centeſimus quadrageſimus ſeptimus.

Anno igitur proximè ſequenti inchoante, venêre Britanniam præfati doctores, numero circiter quadraginta, & ad Thanaton inſulam applicuêre. Adduxerat verò Auguſtinus de Francorum gente interpretes, & mittens ad Æthelbertum regem, mandavit, ſe veniſſe de Roma, ac nuncium ferre optimum, qui ſibi obtemperantibus æterna in cœlis gaudia, & regnum ſine fine cum Deo vivo & vero futurum, ſine ulla dubietate promitteret. Qui hæc audiens, manere illos in ea quam adierant inſula, & eis neceſſaria miniſtrari, donec videret quid eis faceret, juſſit. Poſt dies ergò aliquot, ità Beda narrare pergit, venit ad inſulam rex, & reſidens ſub dio, juſſit Auguſtinum cum ſociis ad ſuum ibidem advenire colloquium. Caverat autem nè in aliquam domum ad ſe introirent, veteri uſus augurio, nè ſuperventu ſuo, ſi quid maleficæ

597. Guil. Thorn.

Bed. *lib.* 1. *cap.* 25.

maleficæ artis habuiſſent, eum ſuperando deciperent. At illi non dæmoniacâ, ſed Divinâ virtute prædíti veniebant, crucem pro vexillo ferentes argenteam, & imaginem Domini Salvatoris in tabula depictam, letaniáſque canentes, pro ſua ſimul & eorum propter quos & ad quos venerant ſalute æterna Domino ſupplicabant. Cúmque, ad juſſionem regis reſidentes, Verbum ei Vitæ unà cum omnibus ejus comitibus prædicarent; reſpondit ille dicens, Pulcra ſunt quidem verba & promiſſa quæ affertis; ſed quia nova ſunt & incerta, non his poſſum aſſenſum tribuere, relictis eis quæ tanto tempore cum omni Anglorum gente ſervavi. Verùm quia de longinquo huc peregrini veniſtis, &, ut ego mihi videor perſpexiſſe, ea quæ vos vera & optima eſſe credebatis, nobis quoque communicare deſideratis; nolumus moleſti eſſe vobis, quin potiùs benigno vos hoſpitio recipere, & quæ victui veſtro ſunt neceſſaria miniſtrare curamus: nec prohibemus quin omnes, quos poteſtis, fidei veſtræ religionis prædicando ſocietis. Dedit ergò eis manſionem in civitate Dorovernenſi, (id eſt, Cantuarienſi,) quæ imperii ſui totius erat metropolis, ciſque, ut promiſerat, cum adminiſtratione victûs temporalis, licentiam quoque prædicandi non abſtulit.

Idem cap. 26. At ubi ſibi datam manſionem intraverunt, cœperunt Apoſtolicam primitivæ eccleſiæ vitam imitari; orationibus videlicet aſſiduis, vigiliis ac jejuniis ſerviendo, verbum vitæ quibus poterant prædicare, cuncta hujus mundi velut aliena ſpernendo, ea tantùm quæ victui neceſſaria videbantur ab eis quos docebant accipiendo, ſecundùm ea quæ docebant ipſi per omnia vivendo, & paratum ad patiendum adverſa quæque

quæque, vel etiam ad moriendum, pro ea quam prædicabant veritate, animum habendo. Itaque crediderunt nonnulli, & baptizabantur, mirantes ſimplicitatem innocentis vitæ, ac dulcedinem doctrinæ eorum cœleſtis. Erat autem prope ipſam civitatem ad orientem eccleſia in honorem Sancti Martini antiquitus facta, dum adhuc Romani Britanniam incolerent, in qua regina, quam Chriſtianam fuiſſe diximus, orare conſueverat. In hac ergò & ipſi primò convenire, pſallere, orare, miſſas facere, prædicare & baptizare cœperunt; donec, rege ad fidem converſo, majorem prædicandi per omnia, & eccleſias fabricandi, vel reſtaurandi, licentiam acciperent. Hactenus Beda. Æthelberti regis converſionem ad annum quingenteſimum nonageſimum nonum differt Sigebertus; quam tamen Beda, Florentius Vigornienſis, Guilielmus Thornus, codex M. S. fundationis Monaſterii Sancti Auguſtini Cantuarienſis, aliíque è noſtratibus, quorum in rebus Anglicanis potior eſt authoritas, expreſsè in hunc de quo nunc agimus annum conjiciunt. Nam ità Thornus, de donata prædicatoribus manſione verba faciens; *Anno*, inquit, *quingenteſimo nonageſimo ſeptimo* Auguſtinus cum ſuis ſociis illo in loco converſans, vitam cœpit imitari Apoſtolicam; & ipſum regem Æthelbertum, per reginæ ambitus, per opportunos acceſſus, per dulcia æternæ felicitatis blandimenta, & per vigilata ad Deum precamina debito modo accerſivit. At ipſe ſervorum Dei vitâ mundiſſimâ delectatus, & promiſſis eorum ſuaviſſimis, quæ miraculorum oſtenſione vera eſſe perſpexerat, in fide roboratus catholica, cum ſuis commilitonibus, die Pentecoſtes, Chriſto regeneratus eſt. Factum

Sigeb. Gemblac.

Beda *lib.* 2. *cap.* 5.

hoc in præfata Sancti Martini eccleſia, codex
E M.S. in Bibl. Aulæ S. Trinit. Cantabr. M.S. antea citatus innuit. At ubi rex ipſe
baptizatus eſt, (ità pergit Beda,) cœpêre plures
quotidie ad audiendum verbum confluere, ac,
Bed *lib.* 1. *cap.* 26. relicto gentilitatis ritu, unitati ſe ſanctæ Chriſti
eccleſiæ credendo ſociare. Quorum fidei & con-
verſioni ità congratulatus eſſe rex perhibetur,
ut nullum tamen cogeret ad Chriſtianiſmum,
ſed tantummodo credentes arctiori dilectione,
quaſi concives ſibi regni cœleſtis, amplecteretur. Didicerat enim à doctoribus auctoribúſque ſuæ ſalutis, ſervitium Chriſti voluntarium, non coactum, debere eſſe. Nec diſtulit, quin ipſis etiam doctoribus ſuis locum Sedis eorum gradui congruum, in Dorovernia metropoli ſua, donaret, ſimul & neceſſarias in diverſis ſpeciebus poſſeſſiones conferret. Hacteńus Beda. Re-
Guil. Thorn. *de Abb. Auguſt.* *ge itaque baptizato & in fide confirmato*, inquit Thornus, *ad civitatem Galliarum Arelatenſem progreditur, & ab ejuſdem urbis Archiepiſcopo* (ſive Etherio, ſive Virgilio) *Auguſtinus Anglorum ordinatus eſt Archiepiſcopus, decimâ ſextâ calendarum Decembris anno prædicto.* Reverſus deinde è Gallia, unâ die in ſolennitate Dominicæ nativitatis, ut ex antiquo Fragmento
Camden. *in Anglo-ſax.* Camdenus docet, ultra decem hominum millia in flumine *Swala* baptizavit. Sed nè quis, cum Gervaſio Dorobernenſi & Ranulpho Ceſtrenſi, iſtud ad Eboracenſem illiuſce nominis fluvium trahat; idem Camdenus, *Meduagum* duobus in
Idem in Cant. Tamiſis æſtuarium oſtiis inferri, monuit; quorum illud *Swala occidentalis*, hoc autem, quod *Ovium inſulam* (olim *Toliapin*, nunc *Schepeiam*) à continente abſcidiſſe videtur, *Swala orientalis* nuncupatur. Hujuſce quoque rei primo
Greg. *epiſt.* 30. *lib.* 7. Indictionis anno peractæ meminit Gregorius,
in

in Epiſtola ad Eulogium patriarcham Alexandrinum; in qua etiam, Auguſtini conſecrationi aliquos *Germaniarum epiſcopos*, præter Arelatenſem, interfuiſſe prodit. Eodem anno defunctus eſt Ceolricus Occidentalium Saxonum rex, quum annos ſeptem regnâſſet, nimirum duos ſub patruo, & quinque poſt ejuſdem expulſionem. Guil. Malm. *lib.* 1. *cap.* 2. *Annal. Sax.* Succeſſit ei frater Ceolulphus, natu quidem inferior, virtute autem præſtantior, quippe qui omnem ætatem in bellis detrivit, nullique unquam ignaviæ locum dederit, quin ſua & tutaretur & protenderet; & vel Anglis, vel Britonibus, vel Pictis aut Scotis, bellum ſemper inferret: quod utique poſtremum de Picticis Scoticiſque bellis, de ejus cum Adelfrido ac Northumbrenſibus commilitio intelligendum eſt. Sed & Columba Jonæ Abbas, nono Junii die, in illa inſula diem extremum clauſit.

Anno quingenteſimo nonageſimo octavo Auguſtinus, ubi in regia civitate ſedem epiſcopalem, ut prædiximus, accepit, recuperavit in ea, regio fultus adminiculo, eccleſiam, quam ibi Romanorum antiquorum fidelium opere factam fuiſſe didicerat, & eam in nomine Sancti Salvatoris ſacravit, atque ibidem ſibi habitationem ſtatuit & cunctis ſucceſſoribus ſuis. Ea exinde metropolitana *Chriſti eccleſia* nuncupata eſt. Erat autem, ut Guilielmus Thornus prodit, non longè ab ipſa civitate ad orientem, quaſi medio itinere inter eccleſiam Sancti Martini & muros civitatis, fanum ſive idolium ſitum, ubi rex Æthelbertus olim ſecundùm ritum gentis ſuæ ſolebat orare, dæmoniiſque cum nobilibus ſuis immolare: quod fanum Auguſtinus ab inquinamentis & ſordibus gentilium purgari fe-

598. Bed. *lib.* 1. *cap.* 33.

Thorn. *de Abb. Auguſt.*

cit; & ſimulacro, quod inibi erat, confracto, in eccleſiam mutavit, quam in Pancratii martyris nomine dedicavit. Porrò, Auguſtinus præfatam Sancti Pancratii eccleſiam à rege obtinuit, unà cum terra adjacente; in cujus fundo Æthelbertus, hortante illo, eccleſiam beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli à fundamentis conſtruxit, ac diverſis donis ditavit; in qua & ipſius Auguſtini, & omnium Epiſcoporum Dorovernenſium ſimul & regum Cantii, poni corpora poſſent. Quam tamen eccleſiam non ipſe Auguſtinus, ſed ſucceſſor ejus Laurentius conſecravit. Hæc igitur eccleſia celeberrimum eſt illud Petri ac Pauli & Auguſtini monaſterium; ſed nunc dierum, evaneſcentibus Petri ac Pauli nominibus, duntaxat *Auguſtini* eccleſia vulgò appellatur. Relictâ demum archipræſuli Cantuariâ unà cum ædibus regiis, Æthelbertus Regulbium demigravit, ibique novum ſibi palatium condidit; ubi etiam *Baſſa*, nobilis Saxo, poſtea monaſterium, olim linguâ vernaculâ *Reculfminſter* dictum, fundavit. Jámque Auguſtinus Laurentium presbyterum ac Petrum monachum Romam mittit ad Gregorium, qui gentem Anglorum fidem Chriſti accepiſſe, ſéque epiſcopum factum eſſe, referrent. Simul & de eis quæ neceſſariæ videbantur quæſtionibus ejus conſulta flagitans. Prima Auguſtini interrogatio fuit, De Epiſcopis, Qualiter cum ſuis clericis converſentur; vel de his quæ fidelium oblationibus accedunt altari, quantæ debeant fieri portiones, & qualiter Epiſcopus agere in eccleſia debeat. * Secunda, Opto enim, inquit, doceri, an clerici continere non valentes poſſint contrahere; & ſi contraxerint, an debeant ad ſeculum redire. Tertia, Cùm una ſit fides,

Bed. *lib.* 1. *cap.* 33.

Camd. *in Cant.*

* *Hanc* Beda *non habet, ſed Reſponſ. ad* 1. *&* 2. *Interrog. conjungit: at in editione Pariſienſi an. Dom.* 1518. *habetur.*

fides, cur ſunt eccleſiarum diverſæ conſuetudines, & altera conſuetudo Miſſarum in ſancta Romana eccleſia, atque altera in Galliarum tenetur? Quarta, Obſecro quid pati debeat ſiquis aliquid de eccleſia furto abſtulit. Quinta, Si debeant duo germani fratres ſingulas ſorores accipere, quæ ſunt ab illis longâ progenie generatæ. Sexta, Uſque ad quotam generationem debeant fideles cum propinquis ſibi conjugio copulari, * & novercis & cognatis ſi liceat conjugio copulari. Septima, Declarari poſco an turpiter conjunctis indicenda ſit ſeparatio, & ſacræ communionis deneganda oblatio. Octava, Si longinquitas itineris magna interjaceat, ut epiſcopi non facilè valeant convenire, an debeat ſine aliorum epiſcoporum præſentia epiſcopus ordinari. Nona, Qualiter debemus cum Galliarum & Britanniarum epiſcopis agere? Decima, Si prægnans mulier debet baptizari; aut poſtquam genuerit, poſt quantum tempus poſſit eccleſiam intrare; aut etiam, nè morte præoccupetur quod genuerit, poſt quot dies hoc licet ſacri baptiſmatis ſacramenta percipere; aut poſt quantum temporis huic vir ſuus poſſit in carnis copulatione conjungi; aut, ſi menſtruâ conſuetudine tenetur, an eccleſiam intrare ei liceat, aut ſacræ communionis ſacramenta percipere; aut vir ſuæ conjugi permixtus, priuſquam lavetur aquâ, ſi eccleſiam poſſit intrare, vel etiam ad miniſterium communionis ſacræ accedere: quæ omnia rudi Anglorum genti oportet habere comperta. Undecima, Si poſt illuſionem, quæ per ſomnium ſolet accidere, vel corpus Domini quilibet accipere valeat, vel, ſi ſacerdos ſit, ſacra myſteria celebrare. Has quidem ille quæ-

* *Poſterior hæc clauſula non eſt in Beda, ubi nec 7. Interrog. ſed in veteri edit. Pariſ.*

ſtiones Gregorio ſolvendas propoſuit, non præ inſcitia, uti quidam futiliter ogganniunt, ſed ut quod ipſe de iis ſenſerit, celeberrimi viri attipulatione comprobatum fortiùs obtineret: quod eruditus Pontifex, in ſua ad interrogationem decimam reſponſione, agnoſcit.

599. Matth. Veſt. *Anno gratiæ quingenteſimo nonageſimo nono*, ut habet Matthæus Florilegus, *defunctio rege Redwaldo Orientalium Anglorum, Eorpenwaldus regni gubernacula ſuſcepit.* Eadémque verba ad annum ſexcenteſimum vicesimum quartum diſertè repetit, adjectâ duntaxat hâc de *Eorpenwaldo* clauſulâ, *Et bonum principium laudabili fine concluſit.* Quum verò Redovaldum regi Æthelberto ſuperfuiſſe conſtat; priore loco, pro *Titillo* & *Redovaldo*; irrepſiſſe *Redwaldi* (ſive *Redovaldi*) & *Eorpenwaldi* nomina exiſtimaverim. Quo poſito, aliquid tandem de regni Redovaldi initio comperti haberemus, de quo aliàs tantopere authores conticeſcunt. Ità ut ille *Titillo* patri, quum annos viginti unum regnâſſet morienti, nunc ſucceſſerit. Illum itaque Florilegi locum ſic eſſe reſtituendum opinamur: *Anno gratiæ quingenteſimo nonageſimo nono, defuncto rege Titillo Orientalium Anglorum, Redwaldus regni gubernacula ſuſcepit.* Quum aliàs nuſquam *Titilli* mors ab illo memoratur. Poſt Cantianos Chriſto ſubditos, Auguſtinus, ut Malmesburienſis docet, reliquas Anglorum provincias pervagabatur, quantum Æthelberti regis imperium protendebatur. Habebat enim ille, ut antea diximus, ſibi ſubjectum quicquid Angli Britanniæ tum incoluêre, præter ſolos Northumbrenſes. Ingreſſus pagum Dorſetenſem antiſtes, ab incolis, idololatriæ priſtinæ deditiſſimis, gravibus affectus eſt injuriis; quibus

Guil. Malm. *de Pont. lib.* 2.

bus tamen minimè deterritus, haud priùs indè pedem retulit, quàm perductis aſſiduâ prædicatione ad religionem Chriſtianam compluribus, & in loco qui *Cerna* dicitur baptizatis, etiam medici gentilium Saxonum numinis, quod illi linguâ vernaculâ *Heil* appellabant, demolitus eſſet ſimulachrum, & prorſus comminuiſſet. Anno ſexcenteſimo primo Laurentius ac Petrus Româ reverſi ſunt, quibuſcum Gregorius (quia Auguſtinus ei ſuggeſſerat multam quidem ſibi eſſe meſſem, ſed operarios paucos) plures coöperatores ac verbi miniſtros miſit, in quibus primi & præcipui erant Mellitus Abbas, Juſtus, Paulinus, & Rufinianus; quos Galliæ principibus præſulibúſque per literas commendavit. Cum iis vaſa, ac veſtimenta altarium, ornamenta quoque eccleſiarum, & ſacerdotalia vel clericalia indumenta, reliquias nonnullas, codiceſque plurimos, ac reſponſiones ad præfatas interrogationes, & Pallium. Quod archiepiſcopale Pallium ad Londinenſem eccleſiam (non ad Cantuarienſem, cujus nimirum *obſcure* ante hujuſce regis tempora *urbis*, ut Malmesburienſis teſtatur, *notitia Romanos non attigerat*,) miſiſſe ſe, ac deſtinâſſe, ſcriptâ ad Auguſtinum epiſtolâ affirmat. Quod ipſum quoque in regis Cenulphi Mercii ad Papam Leonem tertium epiſtola occurrit. At Auguſtinus, *ſedulitate regis hoſpitis & civium charitate captus*, Doroberniæ reſidere maluit, adeóque à Londino Cantuariam tranſlata eſt dignitas archiepiſcopalis. Eundem etiam hortatus eſt Gregorius, ut ſi Northumbrenſes fidem amplecterentur, alteram Eboraci ſedem archiepiſcopalem conſtitueret; ità ut ex hiſce duobus Metropolitanis, (quorum alterutri duodecim alii ſubjacerent

Camd. *in Laurentio.*

601. Bed. *lib.* 1. *cap.* 29.

Roger. Vendover. Marth. Weſtm *& Hiſtor. Roffenſ.* Girard *Dialog. de eccleſ Menev.* Malm *lib.* 1. *cap.* 4. *& de Pont. lib.* 1.

Greg. *lib* 12. *epiſt.* 15.

episcopi,) ille prior habeatur, qui priùs fuerit ordinatus: durante autem Augustini vitâ, & ipsum Eboracensem cæterósque omnes Britanniæ præsules ac sacerdotes ei subesse voluit.

Bed. *lib.* 1. *cap.* 31. Greg. *lib.* 9. *epist.* 58. Bed. *lib* 1. *cap.* 30. Greg. *lib.* 9. *epist.* 71. Datâ quoque alterâ ad illum epistolâ monet, nè infletur quòd magna fecerit miracula, quæ, non ipsius, sed Anglorum gratiâ, Deus per ejus ministerium edere dignatus est. Porrò ad Mellitum, priusquam è Gallia solveret, literas misit, præcipiens, ut Augustino referat, gradatim esse pergendum, ad exemplum Dei in Ægypto; nec diruenda esse Anglorum fana, sed, destructis idolis, in ecclesias consecranda; & sacrificiorum ethnicorum vice adhibenda esse religiosa convivia.

Greg. *lib.* 9. *epist.* 59. & 60. Literas quoque gratulatorias ad regem & reginam direxit: quibus illam laudat, quòd in convertendis Anglis optimè de re Christiana meruerit, Helenæ Augustæ instar in Romanis; & hortatur ut amorem conjugis in veram religionem magis magísque accendat: illum verò laudat, quòd fidem acceperit, hortatúrque ut eandem fideliter custodiat, instar Constantini magni imperatoris; simul & xenia ad illum transmittit.

Bed. *lib.* 1. *cap.* 32. *Regest. Lhandav.* Jam Theliaus Cambriæ Metropolitanus, dimisso archiepiscopatu, ad locum qui ab ipso *Lhan Deilo Vaur*, sive *ecclesia Theliai magni*, in agro Caermaridunensi, nuncupatur, secedit, vitam ibi solitariam ducturus. Successit ei in archiepiscopatu Menevensi *Cenevaus*; si non ille idem sit quem Galfridus & Giraldus *Cenaucum* vocant, & immediatè Davidi successisse, suâ tantùm authoritate, produnt. Nam aliter se res habet in antiquo episcoporum catalogo, quem ex illiusce ecclesiæ archivis exhibuit Franciscus Godovinus episcopus Lhandavensis, ubi nullus omnino inter Davi-

Godwin. *de Præsul.*

dem

dem & Eliudem ſive Theliaum Cenaucus invenitur. At Theliao in ſede Lhandavenſi ſucceſſit ipſius nepos Odoceus, qui vicinæ eccleſiæ Legionenſis dignitatem archiepiſcopalem ſuæ unitam arbitratus, propterea quòd Dubricius & Theliaus utrique ſimul eccleſiæ præſederint, nec Menevenſi ſubeſſe, nec ab eo ordinari voluit. Unde Cantuariam petens, ab Auguſtino conſecratus eſt; quem, indè redeuntem, Glamorganiæ rex Mauricius (cui non ità pridem pater Theodericus, ut ad eremiticam vitam ſe reciperet, regno ceſſerat,) honorificè excepit, & univerſa Lhandavenſis eccleſiæ privilegia confirmavit. Britannis adhuc paruit Glaſtonia, cujus Abbas nunc erat *Vorgreſius*, quo petente, totam Avaloniam, ſive terram *Iniſwithrin* appellatam, eccleſiæ vetuſtæ rex Danmoniæ conceſſit; ſubſcribente donationis Chartæ *Manuorno* quodam epiſcopo, qui patriæ ſuæ Annales compoſuiſſe fertur. Hoc etiam tempore obiit Congallus Hybernicus, *Bencborenſis* in Ultonia monaſterii fundator: quod cum *Bangorenſi* in Cambria cœnobio Balæus & Pitſæus, Guolphangus Juſtus & Joannes Caius, temere confundunt.

Regeſt. Lhandav.

Guil. Malm. de antiqu. Glaſton.

Uſſer. Primord. cap. 6. & 17.

Anno ſexcenteſimo ſecundo, ut habent Sigebertus, Balæus & Uſſerius, Æthelberti regis adjutorio uſus Auguſtinus, Britonum epiſcopos & doctores ad celebrandam ſecum ſynodum convocavit. Quibus mox ſuadere cœpit, ut, relictis veteribus conſuetudinibus, ſeſe Romanis ritibus aſſuefacerent, & conformes fierent, cúmque illius ſociis verbum Divinum Anglis ſub ipſo annunciandi munus ſuſciperent. Quúmque, longâ diſputatione habitâ, ut Beda ſcribit, nullis Auguſtini comitúmque neque precibus, neque

602.

Sigeb. Gembl. Bal. & Uſſer. Primord.

Bed. lib. 2. cap. 2.

neque hortamentis, neque increpationibus adduci poſſent, ut ab inſtitutis priſtinis diſcederent, tandem, Auguſtino poſtulante, decernenda miraculo edendo permittitur controverſia. Adducitur cæcus quidam Anglus, cui, cedentibus incaſsùm precibus Britannorum, Auguſtini orationibus reſtituitur viſus. Cantuarienſis victor ſummis aſtantium præconiis evehitur; & attoniti Britanni, veram eſſe quam ille prædicaret juſtitiæ viam confeſſi, non poſſe tamen ſe abſque ſuorum conſenſu ac licentia priſcis abdicare moribus aſſerebant. Proinde ut ſecunda ſynodus, ad quam frequentior cœtus advenire poſſet, indiceretur expoſcebant. Quod ubi eſſet ſtatutum, acceſsêre ſeptem Britannorum epiſcopi, Lhandavenſis, Bangorenſis, Aſaphenſis qui & Elvienſis, Paternenſis, Ceſtrenſis, Herefordienſis, ac Vigornienſis qui & Viccienſis. Ubi obiter notandum, pro *Viccienſi* & *Elvienſi*, apud Balæum & Joannem Joſſelinum, librariorum incuriâ irrepſiſſe *Vniacenſem* & *Cluienſem*; quo poſteriore nomine Gloceſtriam, olim *Clevum* dictam, deſignari opinatus eſt Camdenus. Scotorum quoque antiſtites huic conventui interfuiſſe prodit Sigebertus, quanquam de iis nè gry quidem apud Bedam reperitur. Venit unà cum dictis præſulibus Deonotus Bangorenſis Abbas celeberrimus, ſecum complures illiuſce cœnobii monachos doctiſſimos adducens. Sciendum verò eſt, Britannos & Pictos, Scotóſque tam Albanicos quàm Hybernicos, Eccleſiarum Aſiaticarum ſequaces, quoad ſolennitatis Paſchalis obſervandæ tempus, ac tonſuræ rationem, alióſque quoſdam ritus, ab eccleſia Romana tum diſſentiſſe. Britanni igitur, antequam ad concilium proficiſcerentur, anachoretam

Roger. Hoved. & Gualt. Coventr. *ad ann.* 1699. Bale *in* Deonot. & Parker. *Antiquit. Britannic.* Camd. *in* Bobun.

Bed. *lib.* 2. *cap.* 2.

tam ſanctitatis ac prudentiæ famâ inſignem adierunt, conſulentes an Auguſtino morem gerere deberent. Quibus ille, Si homo Dei eſt, inquit, ſequimini illum. Quærentibus deinde, unde id probare poſſent, reſpondit, Dominus dicit, Tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde. Si ergò Auguſtinus ille mitis eſt & humilis corde, credibile eſt quòd jugum Chriſti & ipſe portet, & vobis portandum offerat. Si verò immitis ac ſuperbus eſt, conſtat quòd non eſt de Deo, neque nobis ejus ſermo curandus eſt. Sciſcitantibus autem, unde vel hoc dignoſcere valerent, Procurate, inquit, ut ipſe prior cum ſuis ad locum ſynodi adveniat; ſique vobis appropinquantibus aſſurrexerit, ſcientes quòd famulus Chriſti eſt, obtemperanter illum audite. Si autem vos ſpreverit, nec coram vobis aſſurgere voluerit, cùm ſitis numero plures, etiam ipſe ſpernatur à vobis. Fecerunt utì dixerat; contigítque ut, venientibus illis, Auguſtinus, grandioris momenti negotiis expediendis, quàm ſalutationibus impertiendis, intentior, in ſella reſideret. Quocirca ii in iram converſi, etímque ſuperbiæ notantes, cunctis quæ dicebat contradicere laborabant. At Auguſtinus, ut hanc procellam ſedaret, tantùm hæc tria ab ipſis poſtulavit; ut unà cum eo Anglorum genti evangelium annunciarent, & Paſcha celebrare, & baptizandi miniſterium complere, juxta Romanæ eccleſiæ conſuetudinem vellent. Cætera omnia, quantumlibèt diſcrepantia, æquanimiter ſe laturum dixit. Illi verò nihil horum ſe facturos, neque illum pro Archiepiſcopo habituros eſſe, reſpondebant; conferentes invicem, quòd ſi modò ils aſſurgere nollet,

quantò

quantò magis, ſi ei ſubdi cœperint, illos pro nihilo contemneret? Idcóque hanc Auguſtino reſponſionem dediſſe fertur Abbas Deonotus. Bid iſpis a diogel i chwi yn bod ni holl un ac arral, yn uvidd ac ynn oſtingedig i Eglwys Duw, ac ir Paab O Ruvain, ac i boob kyar griſſdion dwyuol, y garu pawb yn i radd mew kariad parfaich, ac i helpio pawb O honaunt, ar air a guec-thred i vod ynn blant y Duw: ac amgenach wyddod no-hwn nidadwen i vod, ir neb yr yddeck chwi y henwi yn Paab, ne in Daad o Daad: yw gleimio ac yw ouunn, ar uvyddod hiun idden ni yn varod yw rodde ac yw dalu iddo ef ac i pob Kriſdion yn dragwiddol. Heuid yr ydym ni dan lywodrath Eſgob Kaerllion ar Wyſc, yr hien yſidd yn oligwr dan Duw arnom ni, y Wueuthud i ni gadwr ffordd ysbrydol. Latinè ſic. *Notum ſit, & abſque dubitatione, vobis, quòd nos omnes ſumus & quilibet noſtrûm obedientes & ſubditi eccleſiæ Dei & Papæ Romæ, & unicuique vero & pio Chriſtiano, ad amandum unumquemque in ſuo gradu in perfectâ charitate, & ad juvandum unumquemque eorum verbo & factô fore filios Dei. Et aliam obedientiam quam iſtam non ſcio debitam ei, quem vos nominatis eſſe Papam, (nec eſſe patrem patrum,) vendicari & poſtulari. Et iſtam obedientiam nos ſumus parati dare & ſolvere ei & cuique Chriſtiano continuó. Præterea, nos ſumus ſub gubernatione epiſcopi Caerlegionis ſuper Oſcam, qui eſt ad ſupervidendum ſub Deo ſuper nobis ad faciendum nos ſervare viam ſpiritualem.* Per *Caerlegionenſem* epiſcopum Deonotus *Menevenſem* intelligit, qui illum quoque titulum ſibi vendicâſſe hactenus videatur. Reſponſionem iſtam in veteri M.S. codice Petri Moſtoni

Spelm. Concil.

Moſtoni Cambrobritanni generoſi, nunc in bibliotheca Cottoniana adſervato, Cambrobritannico tantùm idiomate & interlineari Anglico exaratam, Latinè reddidit eruditiſſimus D. Henricus Spelmannus. Auguſtinus igitur, ubi nihil ſe ſuadendo proficere comperiret, ſertur minitans prædixiſſe, quòd ſi pacem cum fratribus accipere nollent, bellum ab hoſtibus forent accepturi. Sique nationi Anglorum nollent viam vitæ prædicare, per eorum manus ultionem eſſent mortis paſſuri. Anachoretam prædictum fuiſſe ipſum Theliaum lubens crediderim, quippe quem, inter longævos Britannos meritò numerandum, ad hæc uſque tempora vitam produxiſſe docet ſucceſſoris Odocei per Auguſtinum ordinatio, quémque ad ſolitariam ſe jam recepiſſe vitam ex Lhandavenſi Regeſto nuper retulimus. Hunc paulò poſthac in fata conceſſiſſe eſt veriſimile. Fuit autem Odoceus ſororis ejus Anaumedæ, & Budici præpotentis Armoricani, filius; quem cum ejuſdem nominis rege, magni Hoëli patre, licèt reclamante temporum ratione, confundit Legendarius, quaſi Sancti non niſi è regibus naſci potuerint. Locum ubi celebrata eſt ſynodus præfata, Scriptores noſtri *Auguſtineſac* & *Auguſtineſoc*, id eſt, *Auguſtini robur*, appellant, quem in confinio Vicciorum & Occidentalium Saxonum, id eſt, Vigornienſium & Herefordenſium, poſitum eſſe viculum, hodie *Auſrie*, pro *Auſtinsric*, id eſt, *Auguſtini ditione*, contractiùs nuncupatum, non malè conjicit Spelmannus. Nam couſque illâ tempeſtate occiduum pertingebat regnum.

Bed. *lib.* 2. *cap.* 2.

Vita Odocei in Lhand. Regeſt.

Spelm. *Concil.*

Anno ſexcenteſimo tertio rex Northumbrenſium Adelfridus cum Scotis acerrimè conflixit.

603.

Beda *lib.* 1. *cap.* 34. flixit. Ille enim princeps fortiſſimus, gloriæque cupiditſſimus, ut Beda teſtatur, plùs omnibus Anglorum primatibus gentem Britanni-

Malm. *lib.* 1. *cap.* 3. cam vaſtabat; pluréſque eorum terras, exterminatis vel ſubjugatis indigenis, aut tributarias genti Anglorum, aut habitabiles fecit. Unde motus ejus profectibus Aidanus rex Scotorum, ingentem in Northumbriam ductavit exercitum, atque in loco qui *Degſa Stan*, id eſt, *Degſa lapis*, olim vocabatur, prælium cum eo atrociſſimum conſeruit. Etenim tanta cum animi obſtinatione utrinque pugnatum eſt, ut Adelfridi frater Theobaldus, caput periculis objectans eò ſtudioſiùs, quò operam germano oſtentare affectabat impenſiùs, cum ſuis omnibus commanipularibus occumberet. Scotorum verò ità ad internecionem ferè cæſæ ſunt copiæ, ut vix ipſe rex cum paucis admodum fugæ comitibus evaderet. Ex quo tempore, uſque ad annum ſeptingenteſimum triceſimum primum, quo Beda ſuam hiſtoriam terminavit, *regum Scoticorum neminem in prælium adverſus gentem Anglorum venire auſum eſſe*, idem expreſsè docet. Eodem anno, ut habet Sebaſtia-

Munſt. *Coſmogr. lib.* 3. *cap.* 274. nus Munſterus, ex Anglia in Germaniam tranſiit vir quidam inſignis, ſatus regio ſanguine, nomine Offo, trajectóque Rheno, in votis habuit plantare fidem Chriſti inter Germanos: & primùm quidem fundavit monaſterium in *Schutterna*, & intervallo unius milliarii ab eo conſtruxit, ſuper amnem *Cintzigum*, caſtellum; quod ab eo fuit appellatum *Offonis burgum*, & ſucceſſu temporis incrementa ſuſcipiens, tandem factum eſt oppidum imperiale, vulgò *Offenburg* nuncupatum. Anno proximo,

604. qui fuit quartus ſupra ſexcenteſimum, Auguſti-

nus

nus Mellitum ac Juſtum in epiſcopos conſecravit; ex quibus Mellitum ad convertendos Saxones Orientales amandavit. Horum rex fuit Sabertus, *Sleddæ* regis ex Æthelberti ſorore *Ricula* filius; quo cum gente ſua ad Melliti prædicationem idololatriæ ethnicæ renunciante, ac baptiſmum ſuſcipiente, rex Æthelbertus Eccleſiam Sancti Pauli cathedralem in civitate Londinenſi exſtruxit, quæ ſcilicet Melliti ejúſque ſucceſſorum Sedes foret epiſcopalis. Ipſe Sabertus, (quem ab Auguſtino fuiſſe baptizatum Joannes Fletus ex quodam Chronico *Libri regii* titulum præferente tradit,) avunculi hortatu, in occidentali Londini parte, quæ olim *Thorneia* vocabatur, nunc *Veſtmonaſterium* dicitur, Baſilicam Sancti Petri nomine inſignitam ædificavit, quam Londinenſi præſuli Mellito dedicandam commendavit. Juſtus verò civitatis Durobrevis, quæ à Roffo quodam nobili Angloſaxone Roffanceſtria eſt nominata, factus eſt epiſcopus; in qua rex Æthelbertus cathedralem Sancti Andreæ eccleſiam fundavit: qui tribus his præſulibus dona multa obtuliſſe non ſatis eſſe ducens, etiam territoria ac poſſeſſiones in uſum eorum qui erant cum epiſcopis adjecit. Rex Æthelbertus, ut Guilielmus Thornus prodit, in fide roboratus catholica, unà cum Berta regina, filióque Edbaldo, & Auguſtino Archiepiſcopo, cæteríſque optimatibus, Natalis Dominici ſolennitatem Cantuariæ celebravit; & convocato publico cleri populíque die quinto Idus Januarii concilio, Monaſterium Auguſtinianum amplis privilegiis, immunitatibus prædiíſque donavit, eíque primum Abbatem præfecit Petrum, quem Româ cum Laurentio reverſum memoravimus.

Bed. *lib.* 2. *cap.* 3.

Joann. Flet. *de eccleſ. Veſtm.* *Regu Ed. cavi Diplom. Veſtm.*

Bed. *lib.* 2. *cap.* 3.

Thorn. *de abbat. Auguſt.*

Quum

Quum verò natalitiam hanc ſolennitatem præſente Auguſtino celebratam anno ſexcenteſimo quinto Thornus rèferat; illum proinde, anni initium à decimo quarto ſive viceſimo quinto Decembris die, cum Pontificiis Indictionibus, auſpicari neceſſe eſt ut ſentiamus, niſi ipſum ſibi refragari atque adverſari ſtatuerimus, quippe qui Auguſtinum eodem anno ſeptimâ calendarum Juniarum obiiſſe affirmat. Adcóque Æthelberti Charta donationis de *Ciſteleta* & *Sturreia* eodem anno data, ſi genuina ſit, neceſſariò emendanda fuerit, & pro *decem quinquennii*, *novem quinquennia* reponere oportuerit; quum regem illum tunc temporis haud ultra quadraginta quinque annos regnâſſe liquidò conſtet. Porrò, ipſum Thornum de Auguſtini morte diſſerentem audiamus. Monaſterio igitur iſto, inquit ille, regali donatione ſic dotato, & Apoſtolico Auguſtini privilegio per-
605. petuâ libertate confirmato, anno quo ſuprà, ſeptimo calendas Junii, feriâ tertiâ, Deo dilectus pater Auguſtinus de cœlo vocatus eſt, ſepultúſque eſt foras juxta eccleſiam Apoſtolorum Petri & Pauli, quia nondum tunc erat perfecta, nec etiam dedicata. Mox verò ut dedicata eſt, introlatum eſt corpus ejus, & in porticu illius Aquilonali, honore quo decuit, per ſuum ſucceſſorem Laurentium ſepultum eſt: in qua etiam porticu ſubſequentium archiepiſcoporum corpora ſunt tumulata, uſque ad Theodorum; qui & ſui ſucceſſores in eccleſia alibi ſunt ſepulti, eò quòd prædicta porticus plura corpora capere non poterat. Hæc porticus erat in veteri eccleſia ubi nunc eſt capella Beatæ Virginis. In cujus medio erat altare in honore beati Gregorii dedicatum, ut Beda

in

in libro ſecundo de geſtis Anglorum, capitulo tertio, commemorat. De anno obitûs beati Auguſtini multi erraverunt, putantes eum obiiſſe anno Domini ſexcenteſimo decimo tertio. Cauſa hujus erroris eſt quædam falſa ſcriptura in quorundam Chronicis, quæ dicit Auguſtinum ſediſſe in epiſcopatu ſedecim annis. Beda enim, libro ſecundo de geſtis Anglorum, capite tertio, refert Auguſtinum ordinâſſe duos epiſcopos, ſcilicet Mellitum & Juſtum, anno Domini ſexcenteſimo quarto, Mellitum ad Londinum, Juſtum ad Roffam. Et paulò poſt in eodem capitulo habetur ſic; *Defunctus eſt Deo dilectus Auguſtinus, & poſitum eſt corpus ejus*, &c. Bonifacius papa quartus, in privilegio confirmationis & libertatis Auguſtiniani monaſterii, cujus *Data* eſt, Tertio calendas Martii, anno Domini ſexcenteſimo decimo, ſic narrat; *Ubi & ipſe veſter præfatus verè Deo dilectus, & in gloria reſurrecturus, pater Auguſtinus requieſcit.* In textu Sancti Adriani ſic ſcribitur; Anno Domini ſexcenteſimo quinto, quarto idus Martii, obiit beatus Gregorius; & eodem anno, ſeptimo calendas Junii, beatus Auguſtinus. Ex quibus ſatis liquidè apparet, Auguſtinum non ſediſſe ſedecim annis. Nam anno Domini quingenteſimo nonageſimo ſexto ad Angliam mittitur, anno ſequenti in Archiepiſcopum ordinatur, anno Domini ſexcenteſimo primo ſuſcepit pallium, & anno ſexcenteſimo quinto moritur. Quo defuncto, ſucceſſit Sanctus Laurentius, quem adhuc vivens beatus Auguſtinus idcircò in Epiſcopum ordinaverat, nè tam rudis eccleſiæ ſtatus, ſe defuncto, vel ad horam paſtore deſtitutus inciperet vacillare. Hactenus Guilielmus Thornus,

Malm. *Pontif. lib.* 1. Gerv. *act. Pont. Cant.* Brompt. *Chron.*

qui ſub Ricardo ſecundo floruit, Guilielmum Malmesburienſem, Gervaſium Dorobernenſem, & Joannem Bromptonum Abbatem Jorvallenſem tacitè perſtringens, quòd, neglectâ monaſterii Auguſtiniani chronologiâ, ſoli alienigenæ, viz. Goſcelino Bertiniano, (qui fuit Malmesburienſi contemporaneus,) cæcum præbentes aſſenſum, ſedecim Auguſtini præſulatui annos tribuerent. Pro Thorno autem facit Stovæus, eodem anno cum Gregorio vitâ illum exceſſiſſe ſcribens. Eidem quoque apprimè favet Beda, qui ſtatim poſt enarratam Melliti ac Juſti ordinationem, & Orientalium Saxonum converſionem, Auguſtini mortem commemorat, ejúſque hoc epitaphium tumulo inſcriptum ſubjicit: *Hic requieſcit dominus Auguſtinus Dorobernenſis Archiepiſcopus primus, qui olim huc à beato Gregorio Romanæ urbis Pontifice directus, & à Deo operatione miraculorum ſuffultus, Æthelbertum regem ac gentem illius ab Idolorum cultu ad fidem Chriſti perduxit, & completis in pace diebus officii ſui, defunctus eſt ſeptimo calendas Junias, eodem rege regnante, id eſt, die Maii viceſimo ſexto.* Quòd ſi perintegrum novennium ille ultrà ſuperſuiſſet, nec illum tanto temporis ſpatio nihil memoratu dignum præſtitiſſe, nec quæ ille præſtiterat reticuiſſe Bedam voluiſſe, eſt credibile. Nec certè obſtat Florentius, qui ſub anno præcedente, poſt ſucceſſoris Laurentii conſecrationem, cæteráque ejus geſta noviſſima, parvo pòſt tempore ad regnum cœleſte eum migráſſe refert; quum illum, Cornelii Taciti exemplo, res annis variis peractas ſub uno anno, hiſtoriæ continuandæ gratiâ, interdum connectere, quiſpiam animadvertere valeat. Præſertim quum

Floren. Vigorn.

quum Gregorii mortem ipſe in hunc annum (cum Beda & Adriani Textu) conjicit, quem ante Cantuarienſem antiſtitem obiiſſe alii quoque omnes conſentiunt. Siquis verò Bonifacii quarti epiſtolam illam objiciat, quâ Sancti Salvatoris monaſterio tum præfuiſſe Laurentium ſcribit, atque indè Auguſtinum eouſque ſuperſtitem fuiſſe contendat; epiſtolam illam à ſuſpicione haudquaquam eſſe liberam regerimus, ut ex *Datorum* adnotatione colligimus; & ipſos porrò Dorobernenſes Metropolitanos ſeſe *eccleſiæ Sancti Salvatoris Archiepiſcopos* appellare dignatos eſſe, ex Odonis apud Malmesburienſem epiſtola obſervamus. Ipſa quoque epiſtola, in ejuſdem fine, *Miſſa per manum Melliti epiſcopi Londonienſis* dicitur, quum ante illam Melliti profectionem Laurentium Auguſtino ſucceſſiſſe, Beda expreſsè docet: neque enim *fratrem* Bonifacius Laurentium, quod in ea epiſtola factum cernimus, ſed *filium* vocâſſet, ſi Abbas duntaxat, non Archiepiſcopus, exſtitiſſet. Interea, non eſt ſilentio prætereundum, quòd illum, aliquando ad Calomagnum Scotorum Ultonienſium regem ſui negotii causâ profectum, illic unà cum eodem rege ac regina, & Menalchio Scotorum Archiepiſcopo, *Sanctum Livinum* de ſacro beatæ regenerationis fonte ſuſcepiſſe, narret abſque ulla anni conſignatione Bonifacius Moguntinus.

Malm. *de Pont. lib.* 1. Spelm. *Concil.*

Malm. *de Pont. lib.* 1.

Anno ſexcentetimo ſeptimo Ceolulphus Occidentalium Saxonum rex, Auſtralibus Saxonibus, qui regum Occiduorum dominio ſe jam ſubtraxerant, bellum intulit; commiſsaque cum iis pugnâ graviſſimâ, *uterque exercitus*, ut habet Huntingdonienſis, *ineffabiliter contritus eſt, cladeſ tamen deteſtabilior contigit* Auſtralibus.

607. Floren. Vigorn.

Hunt. *lib.* 2.

Bed. *lib.* 1. *cap.* 33. Eodem anno Petrus, Auguſtiniani monaſterii Abbas, ab Æthelberto rege legatus ad Gallos miſſus, in ſinu maris, quem accolæ Amfletum vocant, ſubmerſus, & Bononiæ ſepultus eſt. Cui ſucceſſit Joannes, qui & ipſe unus fuit è quadraginta primis doctoribus à Gregorio in Angliam amandatis. Porrò Laurentius, Mellitus ac Juſtus, Britannos Scotóſque, miſſis ad eorum ſacerdotes anno ſexcenteſimo nono literis exhortatoriis, ad celebrandum more Romano feſtum Paſchale conati ſunt perducere. Eodémque anno Mellitus ab Æthelberto rege & Laurentio Archiepiſcopo Romam ad Bonifacium 4. mittitur, de neceſſariis Eccleſiæ Anglorum cauſis cum eo tractaturus. Proximóque pòſt anno, Pontifice ſynodum epiſcoporum Italiæ, de vita monachorum & quiete ordinaturam, cogente, aſſedit inter eos Mellitus, & concilii decreta ſuâ quoque auctoritate ſubſcribens confirmavit. Britanniámque rediens, ſecum Anglorum eccleſiæ mandata atque obſervanda detulit, unà cum epiſtolis, quas idem Pontifex Laurentio Archiepiſcopo, & clero univerſo, regíque Æthelberto, & genti Anglorum direxerit. Quo etiam anno Ceolulphus prædictus exercitum aut ductavit, aut miſit in agrum Glamorganenſem: cujus metu perculſi incolæ, ad Theodericum quondam regem, qui ſolitariam in Tinterniæ rupibus in agro Monumethenſi per decennium, aut circiter, vitam duxerat, confugientes, lugubriter conqueſti ſunt, filium ipſius Mauricium brevi, ni ille ſuccurrat, à Saxonibus regno ſpoliatum iri. Hunc igitur hoſtibus ſævientibus opponendum ſui ab eremo invitum abduxerunt, qui Tinterniæ juxta Vagam fluvium occurrentes Saxo-

Thorn. *Abbat. Auguſt.*

Beda *lib.* 2. *cap.* 4.

609.

610.

Regeſt. Llandav. Godwin. *Præſul* Uſſer. *Primord. cap.* 15.

nes

nes magno prælio fudit. Sed accepto in capite vulnere (quod eum non latuit) mortifero, reditum maturavit, ut inter ſuos exſpiraret. Rogato priùs filio, ſi in via deficeret, templum ibi loci ut exſtrueret ubi animam exhalâſſet, & ibidem corpus exanime conderet. Vix quinque millia paſſuum proceſſerat, cùm ad confluentes Vagæ & Sabrinæ ſpiritum emiſit. Quare eo ipſo in loco, prout optaverat, eccleſiolâ excitatâ, cadaver loculo inditum eſt ſaxeo. Cæterùm Mauricius officio ſe nondum ſatis functum arbitratus, prædia adjacentia eccleſiæ contulit; & loco nomen eſt impoſitum, *Merthirn Teudric*, quaſi dicas, Martyrium Theoderici; quem, quòd in bello ceciderit contra Chriſtiani nominis hoſtes geſto, pro martyre ducendum opinati ſunt. Poſtea verò contractiùs *Merthirn* appellari cœpit, & deinde (ſicut hodie) *Mathern*. Anno autem ſequenti 611.
defunctus eſt Ceolulphus, fratríſque ſui Ceolæ ſive Ceolrici filium Cinigiſilum, ubi annos quatuordecim regnâſſet, habuit ſucceſſorem. *Bellum Cairlegion, ubi ſancti occiſi ſunt*, anno
decimo tertio ſupra ſexcenteſimum Annales 613.
Ultonienſes geſtum fuiſſe annotant, *ſanctorum* nomine Bangorenſes monachos intelligentes. Hoc enim anno rex Northumbrenſium Adelfridus, collecto grandi exercitu, ad urbem Legionum, quæ nunc ſimpliciter Ceſtria dicitur, oppugnandam profectus eſt. Adverſus quem Britanni aciem educunt inſtruúntque, pro quibus ut preces funderent, poſt triduanum jejunium peractum, è Bangorenſi cœnobio mille ducenti quinquaginta eò convenerunt monachi. *Tantus* autem in hoc cœnobio, inquit Beda, *fertur fuiſſe numerus monachorum, ut cùm in* Bed. *lib.* 2. *cap.* 2.

ſeptem portiones eſſet cum præpoſitis ſibi rectoribus monaſterium diviſum, nulla harum portio minùs quàm *trecentos homines haberet, qui omnes de labore manuum ſuarum vivere ſolebant.* Sed Adelfridus, ubi monachos pro ſuis Deo ſupplicaturos illuc adveniſſe certior factus eſſet, in eos primùm arma verti jubet, ac univerſos contrucidat, exceptis duntaxat quinquaginta, qui fugâ ſibi conſuluerunt. Nam Brocivallus Poviſiæ rex, cui demandata erat orantium defenſio, ad primum hoſtium adventum cum ſuis terga vertens, eos quos tueri debuerat inermes ac nudos ſerientibus gladiis reliquit. Cæteras verò Britannicæ militiæ copias, animoſiùs repugnantes, non ſine magno exercitûs ſui damno, poſt acerrimum conflictum, victor funeſtus delevit. Hanc pugnam Sigebertus biennio ſeriùs collocat, & ad annum decimum quintum ſupra ſexcenteſimum refert. Sed ut priùs Scotorum epiſcopos unà cum Britannicis Auguſtiniano concilio interfuiſſe, contra Bedæ authoritatem, ſomniaverat; ità nunc eandem gentem, cum rege ſuo *Eano*, (ſive potiùs *Edano*, vel *Aidano*, diu antehac demortuo,) minitantis Auguſtini præſagium luiſſe, perperàm opinatur. Captam deinde urbem Ceſtriam Adelfridus, ſi Giraldo Cambrenſi credimus, evertit; qui libro ſecundo Deſcriptionis Cambriæ, qui *Illaudabilium* inſcribitur, talia de Adelfrido prodit: *Nobilem Legionum urbem deſtruxit, & egregii illius Bangorenſis monaſterii monachos in auxilium orandi vocatos gladio interemit.* Ea autem, faventibus Venedotiæ regibus, citò reſpiravit, atque auctiùs reſloruit: at non ità Bangorenſe cœnobium, quod ab eodem, ut habet Humfredus Lhuddus, totum à funda-

Sigeb. *in chronico.*

Lhud. *fragm. Britan. deſcr.*

fundamentis, cum nobiliſſima & omni theſauro cariori bibliotheca, igne & ferro deſtructum, nihil ſui hodie habet reliquum, præter duarum portarum, pluſquam dimidiati milliarii ſpatio disjunctarum, nomina; quarum *Borealior Port Hogan*, *Auſtralior Port Clain* appellatur; medio inter utramque loco intercurrente Devâ fluvio. Sed non impunè Adelfrido ceſſiſſe hæc facinora idem Lhuddus prodidit; qui Britannos (ſub Bletruſii Danmoniæ, Cadovani Venedotiæ, & Mereduci Demetiæ, regum auſpiciis accurrentes, & Deonoti Abbatis concione animatos, *jubentis*, (ſicut ille ex patriis Annalibus refert,) *ut unuſquiſque terram oſcularetur in memoriam communionis corporis Dominici, aquâmque ex Deva fluvio manu hauſtam biberet in memoriam ſacratiſſimi ſanguinis Chriſti pro eis effuſi, & ità communicati,*) memorabili ipſum prælio viciſſe, Saxonúmque decem millia ſexaginta ſex, citato etiam Huntingdonienſi teſte, occidiſſe; & interfecto in hac pugna Bletruſio, Cadovanum, in urbe Legionis tunc inſtaurari cœpta, regem creâſſe, narrat. Et ſanè tantum cæſorum numerum Galfridus memorat, non autem Henricus; qui nec in ſua regum Anglorum hiſtoria, nec in libello de regibus Britonum, ſuperatos circa hæc tempora fuiſſe Angloſaxones uſpiam ſubinnuit. Hanc igitur Britannorum victoriam, ut antè in vita Ceulini dixi, cum Vodenbergenſi, quam Huntingdonienſis deſcribit, eandem eſſe, ſed ſolito Galfridi more tranſpoſitam, exiſtimo. Hoc anno Laurentius Archiepiſcopus præfatam Apoſtolorum Petri & Pauli eccleſiam conſecravit, & introductis Bertæ reginæ, Ludhardi & Auguſtini corporibus, quæ foras juxta eccleſiam

Galfr. lib. 8. cap. 4.

Thorn. Abbat. Auguſt.

ante conſecrationem poſita fuerant, Auguſtinum in Aquilonari, utì dictum eſt, porticu, Bertam & Ludhardum in Sancti Martini porticu, honorificè ſepelivit. Hanc Auguſtini introductionem ac tumulationem Goſcelino Bertiniano, illum hoc anno vitâ exceſſiſſe, opinandi anſam miniſtráſſe putaverim. Anno ſexcenteſimo decimo quarto rex Occidentalium Saxonum Cinigiſilus, aſſumpto ſecum in regni ſocietatem Quicelmo, quem alii ejus fratrem, alii filium faciunt, *Binduni* in agro Dorſetenſi cum Britannis congreſſus eſt; quam pugnam ſic depingit Henricus. Ordinatis igitur, inquit, manipulis & cuneis & aciebus, quum eis lege ratâ centuriones & conſules & duces utrinque præeſſent, bellum inceptum eſt. Cùm itaque obviarent ſibi acies terribiliter & pulcherrimè vexillis ordinatis, in ipſa prima colliſione invaſit horror Britannos; timenteſque aciem ſecurium maximarum ſplendentium, & framearum magnæ longitudinis, fugâ in principio, ſerò tamen, potiti ſunt. Saxones igitur, ſine detrimento ſui victores, numeravêre mortuos Britannorum, & inventi ſunt mortui duo millia & ſexaginta duo. Ità Huntingdonienſis. Hoc anno obiit Vibba rex Merciorum, cui, anno ſequenti, rex Æthelbertus, non Pendam filium, (cujus ſuſpectum habuit ingenium turbidum,) ſed Carolum conſanguineum ſuffecit. Anno autem proximo, qui fuit ab Auguſtini miſſione viceſimus primus, ab incarnatione Dominica ſexcenteſimus decimus ſextus, rex Æthelbertus, anno regni hæreditarii quinquageſimo ſexto, monarchiæ viceſimo quarto, placidè die Februarii quartâ ſupra viceſimam defunctus, & in porticu Sancti Martini,

614.

Hunt. *lib.* 2.

Idem lib. 2. *Polychr. lib.* 5. *cap* 12.

615.

Bed. *lib.* 2. *cap* 5. *& in Epitome.*

616.

tini, intra eccleſiam Sanctorum Petri & Pauli, juxta Bertam reginam, ſepultus eſt. Qui, inter cætera bona quæ genti ſuæ conſulendo conferebat, etiam decreta illi judiciorum juxta exempla Romanorum cum conſilio *ſapientum* inſtituit. In quibus primitus poſuit, inquit Beda, qualiter id emendare deberet, qui aliquid rerum vel eccleſiæ, vel epiſcopi, vel reliquorum ordinum, furto auferret; volens ſcilicet tuitionem eis, quos & quorum doctrinam ſuſceperat, præſtare. Ex quibus legibus nonnulla ſe fatetur deſumpſiſſe rex Alfredus magnus. Scriptæ ſunt ejus leges Saxonico idiomate in celebri M. S. codice, (qui *Textus Roffenſis* appellatur,) ab Arnulpho ibidem epiſcopo tempore Henrici primi compoſito. Uxores duas habuit rex Æthelbertus: ſcilicet Bertam, ex qua duos liberos ſuſcepit, Edbaldum regni Cantiani hæredem, & Æthelburgam cognomento *Tacitam*, Edovino regi poſtea nuptam. Quâ mortuâ, alteram duxit, quam nullo Hiſtorici noſtratęs dignantur nomine, quippe quæ inceſtiis cum privigno rege nuptiis ſeſe coinquinare non erubuit. Cum Æthelberto vixerunt Clotharius Chilperici, Theodebertus & Theodericus Childeberti filii, Francorum, Liuba, Vittericus, Gondimarus & Siſebutus, Viſigothorum, & Agilulphus, Longobardorum, in Gallia, Hiſpania & Italia, reges.

Annal. Saxon. Florent. Vigorn.

Spelm. Concil.

VII. *R E-*

VII. *REDOVALDUS.*

ÆTHELBERTO ſucceſſit in Anglorum Monarchia Redovaldus; & in regno Cantiano filius Edbaldus, qui mox, ut Malmesburienſis docet, ubi metûs abrupit fræna, exſufflatâ Chriſtianitate, novercæ quoque pudorem expugnavit. Nec ſupernæ flagella diſtrictionis, inquit Beda, perfido regi caſtigando vel corrigendo defuêre; nam crebrâ mentis veſaniâ & ſpiritûs immundi invaſione premebatur. Porrò, regulis quos pater ſub jugum miſerat rebellantibus, regni diſpendio mutilatus eſt. Deſcivêre etiam à fide Chriſtiana hoc tempore Orientales Saxones, quorum rex pientiſſimus Sabertus moriens, & in præfata Veſtmonaſterienſi Sancti Petri Baſilica ſepultus, tres filios paganos, Saxredum, Sevardum & Sigebertum, regni hæredes reliquit. Qui mox idololatriæ, quam vivente patre aliquantiſper intermiſiſſe videbantur, palàm ſervire, ſubjectiſque populis idola colendi liberam dare licentiam cœperunt. Epiſcopumque Mellitum Euchariſtiæ ſacramentum populo miniſtrantem conſpicati, panem conſecratum ipſis porrigere juſſerunt, quem patri eorum *Sabæ* (ità eum appellabant) exhibere conſueverat. (Etenim Saxonibus antiquis nomina abbreviare ac contrahere non inſolitum fuit; ſic enim *Cuthulphum* & *Cuthovinum* in *Cutham*, *Ceolricum* in *Ceolam*, *Sabertum* in *Saham*, & alia quædam ſimiliter nomina decurtârunt.) Reſpondentem antiſtitem, fieri id non poſſe, ni fonte ſalutari ablui vellent, intumeſcentes reguli

Malm. *lib.* 1. *cap.* 1. & Thorn.

Bed. *lib.* 2. *cap.* 5.

Malm. *lib.* 1. *cap.* 1. & Thorn.

Matth. Veſtm. Joann. Brompt.

Beda *lib.* 2. *cap.* 5.

guli finibus expulerunt. Ille cum ſuis Cantium petiit, cum Laurentio & Juſto tractaturus quid in iſto rerum ſtatu agendum foret. Communi igitur conſilio decretum eſt, quòd ſatius eſſet, ut omnes in patriam redeuntes liberâ ibi mente Domino deſervirent, quàm inter rebelles fidei barbaros ſine fructu reliderent. Mellitus igitur & Juſtus ab ĉre primò, atque ad partes Galliæ ſeceſsêre, ibi rerum finem exſpectare diſponentes. Laurentium, comites præmiſſos ſecutum, à Petro Apoſtolo, quòd gregem ſibi concreditum derelinquere in animo habuiſſet, plagis acrioribus affectum narrat Beda; quarum deindè intuitu regem Edbaldum graviter perterrefactum, ad ſaniorem mentem rediiſſe tradit. Certè aſſiduis ejuſdem monitis piiſque hortatibus motum reſipuiſſe, ſuſceptóque baptiſmo, atque abdicato cultu idololatrico, connubióque illegitimo, eccleſiæ rebus quantum potuit regem poſthac impendiò proſpexiſſe conſtat. Miſſis igitur in Galliam nunciis, Emmam Theodeberti regis filiam ſibi in uxorem dari impetravit; Mellitum quoque ac Juſtum revocavit: quorum poſterior ad Roffenſes ſuos rediit; priorem verò Londinenſes ethniciſmo addictiores recipere noluerunt, nec potuit invitos Edbaldus cogere. Nam ut in punienda, inquit Guilielmus, perfidia terribilis exempli nota poſteris inureretur, avitis finibus ægre licèt retentis, nunquam ad paternum monarchiæ auguſtioris faſtigium aſpirare voluit; quod utique Redovaldus Anglorum Orientalium rex potentiſſimus hoc tempore poſt Æthelbertum obtinebat. Jamdudum in Cantio Redovaldus fidei Chriſtianæ ſacramentis imbutus fuerat, quod tamen incaſsùm ceſſit: nam rediens domum,

Idem lib. 2. cap. 6.

Malm. *lib.* 1. *cap.* 1.

Bed. *lib.* 2. *cap.* 15.

mum, ab uxore ſua & quibuſdam perverſis doctoribus adeò eſt ſeductus, atque à ſinceritate fidei depravatus, ut, in morem antiquorum Samaritanorum, & Deo & Idolis ſervire videretur; atque in eodem fano, & altare haberet ad ſacrificium Chriſti, & arulam ad victimas dæmoniorum. Ad hunc regem Edovinus, *Alle* quondam *Deiræ* regis filius, (qui, perſequente illum Adelfrido, per diverſa occultus loca vel regna multo annorum tempore vagatus eſt.) tandem ſupplex confugerat, obſecrans ut vitam ipſius à tanti perſecutoris inſidiis tutando ſervaret: qui libenter eum excipiens, promiſit ſe quæ petebat eſſe facturum. At poſtquam Adelfridus in illa eum provincia apparuiſſe, & apud regem familiariter cum ſociis habitare cognovit, Redovaldum non ſemel per legatos immenſa munera pollicentes interpellavit, ut regium juvenem vel ipſe è medio tolleret, vel ei cædendum tranſmitteret; ſimul, ni alterutrum faciat, bellum indicens. Ille igitur, ſeu minis fractus, ſeu muneribus expugnatus, poſtulatis annuit. Sed Edovinum de hac conventione fidiſſimus quidam amicus certiorem fecit, ſpondens præterea, ſeſe eum in tutiora confeſtim eſſe deducturum. Cui gratias agens Edovinus, Indignum ſibi videri reſpondit, ut pactum quod cum tanto rege inierat, ipſe prior, atque adhuc illæſus, aufugiendo irritum faceret; proinde ſi pereundum fuerit, malle ſe Redovaldi ipſius quàm ignobilioris cujuſpiam manu occumbere. Abeunte amico, ſolus foris remanſit Edovinus, ac reſidens mœſtus ante palatium, multis cœpit cogitationum æſtibus affici, quid ageret, quòve pedem verteret neſcius. Cúmque diu tacitis, ut

Idem cap. 12.

Bedæ

Bedæ verbis utar, mentis angoribus & cæco carperetur igne, vidit ſubitò intempeſtæ noctis ſilentio appropinquantem ſibi hominem vultûs habitûſque incogniti; quem videns, ut ignotum & inopinatum, non parùm expavit. At ille accedens ſalutavit eum, & interrogavit, quare illâ horâ, cæteris quieſcentibus & alto ſopore preſſis, ſolus ille mœſtus in lapide pervigil ſederet. At ille viciſſim ſciſcitabatur, quid ad eum pertineret, utrùm ipſe intus an foris noctem tranſigeret. Qui reſpondens ait, Nè me æſtimes tuæ mœſtitiæ & inſomniorum & forinſecæ ac ſolitariæ ſeſſionis cauſam neſcire. Scio enim certiſſimè qui es, & quare mœres, & quæ ventura tibi in proximo mala formidas. Sed dicito mihi, quid mercedis dare velis ei, ſi quis ſit, qui his te mœroribus abſolvat, & Redovaldo ſuadeat, ut nec ipſe tibi aliquid mali faciat, nec tuis te hoſtibus perimendum tradat. Qui cùm ſe omnia quæ poſſet huic, talis pro mercede beneficii, daturum eſſe, reſponderet; adjecit ille, Quid ſi etiam te regem futurum, extinctis hoſtibus, in veritate promittat, ità ut non ſolùm omnes progenitores tuos, ſed & omnes qui ante te reges in gente Anglorum fuerant, poteſtate tranſcendas? At Edovinus conſtantior interrogando factus, non dubitavit promittere, quin etiam ei qui tanta ſibi beneficia donaret, dignis ipſe gratiarum actionibus reſponderet. Tum ille tertiò, Si autem, inquit, is qui tibi tanta taliáque dona veraciter adventura prædixerit, etiam conſilium tibi tuæ ſalutis ac vitæ melius atque utilius quàm aliquis de tuis parentibus aut cognatis unquam audivit oſtendere potuerit, num ti obtemperare, & monita ejus ſalutaria ſuſcipere

pere consentis? Nec distulit Edovinus quin continuò polliceretur, se in omnibus secuturum doctrinam illius, qui se, tot ac tantis calamitatibus ereptum, ad regni apicem proveheret. Quo accepto responso, confestim is qui loquebatur cum eo imposuit dextram suam capiti ejus, dicens, Cùm hoc ergò tibi advenerit, memento hujus temporis ac loquelæ nostræ, & ea quæ nunc promittis adimplere nè differas. Et his dictis, ut ferunt, repentè disparuit; ut intelligeret, non hominem esse qui sibi apparuisset, sed spiritum. Et cùm regius juvenis solus adhuc ibidem sederet, gavisus quidem de collata sibi pia ac benigna consolatione, sed multùm sollicitus ac mente sedulâ cogitans quis esset ille, vel unde veniisset, qui hæc sibi loqueretur; venit ad eum præfatus amicus, lætóque vultu consalutans, introire, sopitísque curarum anxietatibus, quieti membra simul & animum jussit componere. Reginæ enim suasu, cui rex secretò cogitationem suam retexerat, immutatam esse ejus sententiam, adeò ut non sit quod ulteriùs ab eo sibi metuat.

At Rodovaldus, cui ferox & repulsæ impatiens Adelfridi animus abunde innotuit, haud exiguam victoriæ in celeritate spem reponens, abeuntes nuncios collecto exercitu insecutus, assumpto secum Edovino, rectà in hostem ducit. Adelfridus, bellum ultro inferre ac triumphare semper adsuetus, jam inopinatò deprehensus, & in arcto constitutus, tamen lacessenti cedere, & ad interiora regni se recipere, dum sparsas vires copiásque resociare posset, trophæis pristinis dedecori fore ratus, *Ideltonie*, ad *Idellum* fluvium sitæ, in agro Nottinghamiensi, Orientalibus Anglis cum acie nimiùm

nimiùm impari occurrit. Ibi eos, ut habet Henricus, terno ordine procedentes aggreſſus, Reinerium regis filium cum tota acie ſua delevit. Rex autem Redovaldus tantâ clade non perterritus, ſed iracundior, invincibiliter cum duabus aciebus perſtitit. Cúmque impenetrabiles eſſent Northumbris, Adelfridus cuncos fudens, longè à ſuis, ſuper magnam hoſtium ſtragem, anno regni ſui viceſimo quarto, proſtratus eſt. Fugit igitur rege adempto totus ejus exercitus. In hoc bello plurimùm enituit Edovini virtus, quem Redovaldus victor non ſolùm in paternum *Deiræ* regnum reſtituit, ſed etiam *Berniciam* ei attribuit, Adelfridi filiis in Scotiam Albanicam fugâ ſubductis. Scriptores quidam moderni hunc Adelfridum ab Æthelberto rege Chriſtianiſſimo, & Auguſtino Archiepiſcopo, ad perpetrandam monachorum Bangorenſium cædem fuiſſe inſtigatum, aſſeverare non verentur; ac proinde, recentiores Pontificios, Emiſſarii ſui famæ conſulentes, fictam & à ſe fabricatam parentheſin Bedæ hiſtoriæ, à ſuis typographis, contra omnium manuſcriptorum Saxonicorum librorum fidem, non ità pridem impreſſæ, intexuiſſe clamitant, viz. (*quamvis ipſo*, nimirum Auguſtino, *jam multo antè tempore ad cœleſtia regna ſublato.*) At bona cum illorum venia, (quicquid de codicibus Saxonicis dicunt, quos ego non luſtravi,) in illo Bedæ Latino quo uſus eſt Henricus Huntingdonienſis exemplari parentheſin illam exſtitiſſe, certo certiùs liquet, quippe qui eandem clauſulam, indè traductam, hiſtoriæ ſuæ, nè apice quidem mutato, inſeruit. Primus hâc Æthelbertum atque Auguſtinum labe aſperſit Galfridus Monumethenſis, hiſtoricus profectò

Hunt. *lib.* 3.

Bed. *lib.* 2. *cap.* 2.

Hunt. *lib.* 3.

Galfr. *lib.* 8. *cap.* 4.

non

non optimus, qui temerariæ cujuſdam Thomæ Graii & Nicolai Trivetti credulitati impoſuit. Sed quid opus erat ut virum bellicoſum, quem Beda cæterique Scriptores antiqui *Gloriæ cupidiſſimum* vocant, & *plùs omnibus Anglorum primatibus gentem vaſtâſſe Britonum* produnt, adverſus eoſdem alius quiſpiam inſtigaret? Immo verò tantum abeſt, ut ex compoſito ille in monachos expeditionem ſuſciperet, ut quum eos conſpexiſſet, quinam illi eſſent, quiſve acturi illuc adveniſſent, non niſi ab aliis edoctus cognoſceret. Idem verò Galfridus, mox Æthelberti prorſus oblitus, quanquam mendacem oporteret eſſe memorem, tali pacto factam inter Adelfridum & Cadovanum eſſe pacem, ut *Adelfridus trans Humbrum, Cadovanus verò citra Humbrum Britanniam* poſſiderent, inſulſiſſimè fabulatur. Quum ex Hiſtoricis veracioribus, Cadovano Britanno contemporaneos Æthelbertum atque Redovaldum citra Humbrum longè ipſo potentiores exſtitiſſe, ac latiùs regnâſſe, liquidò conſtet. Cadovanum ſtatim poſt præfatam Adelfridi incurſionem, univerſæ quidem Cambriæ, ſive Gualliæ, regem fuiſſe conſtitutum haud inficiamur. Sed Auguſtinum diu antea deceſſiſſe abunde probavimus. Quem virum quia nonnulli, lubricâ Galfridi ejúſque ſequacium fide nixi, impietatis & ſuperbiæ inſimulare auſi ſunt; quid priſci ac probati Authores de ejus pietate ac humilitate ſcriptis mandaverint, hîc ſubjicere non abs re fuerit. Illum Gregorius magnus, in ſua ad Æthelbertum epiſtola, *Sacra Scripturæ ſcientiâ repletum, bonis auctore Deo operibus præditum*, & alibi, *miraculorum operatorem* refert. Beda ſedulam ejus in prædicando

Galfr. *lib.* 9. *cap.* 1.

Greg. *epiſt. lib.* 9. *ep.* 56, 58, 60.

cando & docendo, ac paſtorali munere per omnia piè ſanctéque fungendo, paſſim aſſiduitatem celebrat. Guilielmus Malmesburienſis eximiam ejus in ſuſtinendis Dorſetenſium injuriis atque contumeliis patientiam modeſtiámque laudat; quas tamen regis ope ac potentiâ vindicâſſe potuerat, ſi tantâ ultionis cupiditate æſtuâſſet. Guilielmus Thornus de eo, *Ibat*, inquit, *ſemper tam in via peregrinationis ſuæ verſus Angliam & in Anglia, tam poſt præſulatum quàm antè, pedes abſque vehiculo, patiens laborum, ut verus aſſecla ſanctorum Apoſtolorum; nihil ſecum tulerat in hac peregrinationis via; de cupiditate mundana liber & expeditus currebat Dei mandatorum ſemitâ, trahens ſecum ſequacia agnina.* Ità etiam de eo Joannes Capgravius; *Erat autem beatus Auguſtinus ſtaturâ procerus, adeò ut à ſcapulis populo ſupereminereet, facie amabilis & reverendus. Signa verò & ſanitates quæ in populo faciebat, nullus enarrare poteſt. Pedes incedebat, ſæpius diſcalceatus provincias lustrabat, & callos in genibus pro crebra genuflexione habebat.* Meliora proculdubio de gente Anglicana meruit Auguſtinus, qui patriæ ſuiſque omnibus neceſſariis in perpetuum renuntiavit, tantúmque iter ſenex emenſus eſt, ut progenitoribus noſtris evangelium annuntiaret, quàm ſacerdotes Britannici, qui, quoniam ipſis haud aſſurrexiſſet, adeò leviculâ offenſione concitati, totam potiùs gentem in æternum perire ſinerent, quàm ei coöperari dignarentur. De quibus Beda, citato etiam Gildâ teſte, non immeritò conqueritur, quòd *nunquam genti Saxonum ſive Anglorum, ſecum Britanniam incolenti, verbum fidei prædicandum committerent.* Quæ verò fuit circa hæc tempora

Malm. *de Pont. lib.* 2.

Thorn. *de Abbat. Auguſt.*

Capgr. *in vita Auguſt.*

Bed. *lib.* 1. *cap.* 22.

generatim eccleſiæ Britannorum facies, ſiquis
Gild. *epiſt.* ſcire deſideret, eam quæ ſola exſtat Gildæ epiſtolam adeat, quâ ſacerdotum nequitiam ſacríque miniſterii neglectum acriter redarguit; ipſóſque *ſedem Petri Apoſtoli immundis pedibus uſurpare, ſed merito cupiditatis in Judæ traditoris peſtilentem cathedram decidere*, profitetur; quantumlibèt recentiores quidam, ut Auguſtino obtrectent atque allatrent, eorum puritatem ac ſanctimoniam attollant.

618. Anno ſexcenteſimo decimo octavo obiit Joannes monaſterii Auguſtiniani Abbas ſecundus,
Thorn. *Abbat. Auguſt.* cui ſucceſſit Rufinianus, (qui cum Mellito, Juſto & Paulino ad Auguſtinum adjuvandum à Gregorio in Angliam miſſus eſt,) & per de-
619. tennium illi cœnobio præfuit. Annóque ſequenti defunctus eſt Laurentius Archiepiſcopus, quum annos quatuordecim eccleſiam Cantuarienſem rexiſſet; cui ſucceſſit Mellitus. Anno
623. ſexcenteſimo viceſimo tertio Saxredus, Se-
Bed. *lib.* 2. *cap.* 5. vardus & Sigebertus, Orientalium Saxonum reges, cum Cinigiſilo & Quicelmo, Saxonum Occidentalium regibus, congreſſi, meritas ido-
Matth. Weſtm. lolatriæ inſtauratæ pœnas luerunt. *Omnes enim pariter cum univerſa ſua militia corruerunt, nec de eorum exercitu*, juxta Florilegum, *vel unus evaſit, qui eventum nuntiaret.* Septem annos illi regnârunt, & Sigebertum, *parvum Sexardi* prædicti filium, habuêre regni ſucceſſorem.
624. Anno ſexcenteſimo viceſimo quarto ſpiritum
Bed. *lib.* 2. *cap.* 6, 7. efflavit Mellitus Archiepiſcopus Cantuarienſis, ubi eccleſiam illam per quinquennium adminiſtrâſſet. Ab eo conſecratum eſt Sanctæ Mariæ templum, ab Edbaldo Cantianorum rege in monaſterio Apoſtolorum Petri & Pauli fundatum, & opulentis prædiis dotatum. De quo

Edbaldo

Edbaldo Beda refert, quòd *ipſe cum ſua gente, ex quo ad Dominum converſus eſt, divinis ſe ſtuduerit mancipare præceptis.* Poſt Melliti mortem, ad ſedem Dorobernenſem tranſlatus eſt Juſtus, qui à Bonifacio quinto pallium duáſque epiſtolas accepit, quarum una apud Bedam, altera apud Malmesburienſem habetur. Juſto in eccleſia Roffenſi ſucceſſit Romanus, ab eodem conſecratus. Hoc etiam anno rex Redovaldus, anno regni hæreditarii viceſimo quinto, (ſi rectè Florilegum intellexerim,) monarchiæque octavo, vitam cum morte commutavit. Uxorem habuit magni animi eximiæque prudentiæ fœminam, ſed idololatriæ addictiorem, quæ ex priore quodam marito Sigebertum filium ſuſtulerat. Ex illa Redovaldus filios duos genuit, *Reinerium*, ab Adelfrido, uti dictum eſt, occiſum, & *Erpualdum*, ejus in Orientalium Anglorum regno ſucceſſorem. Cum Redovaldo vixerunt Clotharius, Francorum, Siſebutus & Suintilla, Viſigothorum, atque Adelbaldus, Longobardorum, in Gallia, Hiſpania & Italia, reges.

Idem lib. 2. cap. 8. Malm. de Pont. lib. 1.

VIII. *EDOVINUS.*

624. Malm. *lib.* 1. *cap.* 3. REDOVALDO in ſuprema Anglorum Monarchia ſucceſſit rex Northumbrenſium Edovinus, quem Orientales quoque Angli, olim apud ſe exſulantem, promptæ audaciæ atque impigri animi virum explorantes, adeò coluerunt, ut ultro conjuratâ fide, inquit Malmesburienſis, in ejus ditionem jam conſpirarent. Ille Redovaldi filio *Erpualdo*, lentioris ingenii homini, inani regis nomine conceſſo, cætera moderabatur pro arbitrio. Hâc tempeſtate ſpes atque opes Anglorum in illo videbantur ſitæ; nec erat quælibet Britanniæ provincia quæ non illius ſpectaret nutum, parata ad obſequium, præter ſolos Cantianos. Hos enim immunes excurſionis reliquerat, quippe qui jamdudum ad nuptias *Æthelburgæ*, ſororis Edbaldi eorum regis, mentem viduus appulerat. Cujus conſortium cùm primò ipſe, ut Beda docet, miſſis procis à fratre peteret; reſponſum eſt, non eſſe licitum, Chriſtianam virginem pagano in conjugium dari, nè fides & ſacramenta regis cœleſtis mariti ſocietate profanarentur qui veri Dei cultûs eſſet prorſus ignarus. Quæ dum Edovino verba nuncii referrent, promiſit ſe nihil omnibus modis contrarium Chriſtianæ fidei, quam virgo colebat, eſſe facturum; quin potiùs permiſſurum, ut fidem cultúmque ſuæ religionis, cum omnibus qui cum illa venirent viris ſive fœminis, ſacerdotibus ſeu miniſtris, more Chriſtiano ſervaret. Neque abnegavit ſe etiam eandem ſubiturum eſſe religionem, ſi tamen, examinata

Bed. *lib.* 2. *cap.* 9.

minata à prudentibus, ſanctior ac Deo dignior poſſet inveniri. Aſſentiente igitur Edovini poſtulatis Edbaldo, virgo ad illum mittitur; &, juxta quod diſpoſitum fuerat, Paulinus, ſub die duodecima calendarum Auguſtarum, anno Domini ſexcenteſimo viceſimo quinto, à Juſto Cantuarienſi antiſtite in epiſcopum ordinatur, qui cum illa iret, eámque & ejus comites, nè paganorum poſſent conſortio pollui, quotidianâ exhortatione & ſacramentorum cœleſtium celebratione ſedulò confirmaret, gentémque quam adibat, ſi fieri poſſet, ad veritatis agnitionem perduceret, aut ſaltem aliquos è Northumbrenſibus ad fidei gratiam prædicando converteret. Hoc ipſo anno *Paulinum Northumbrorum archiepiſcopum Glaſtoniam ad perendinandum veniſſe; qui muros veteſtæ eccleſiæ ligneo tabulatu conſtruere, & extrà à ſummo uſque deorſum in terram plumbo undique coöperire fecit*; magnæ Glaſtonienſis tabulæ concinnator prodit. Et ante eum Guilielmus Malmesburienſis, *Paulinum*, inquit, *ex Eboracenſi archiepiſcopo Roffenſem epiſcopum, aſſerit majorum traditio*, Eccleſiæ (ſcilicet Glaſtonienſis) *contextum, dudum virgeæ, ligneo induiſſe tabulatu.* Eodem anno obiit Carolus Merciorum rex, quum per decennium regnâſſet; cui, anno proximè ſequenti, ſucceſſit Penda, Vibbæ filius, jam quinquagenarius. Quum verò Paulinus prædicando in Northumbria parùm admodum proficeret, *Quicelmus*, Occidentalium Saxonum rex, *vellicatorem potentiæ*, quippe qui *de ejus regno plurima decerpſerat, quoque modo de medio ſubtrahere volens*, ſicarium quendam nomine Eumerum immiſit. Qui ſicam bicipitem toxicatam habens, ut ſi ferri vulnus mi-

625.

Uſſer. *Primord. cap. 6.*

Malm. *Antiq. Glaſton.*

Annal. Saxon. Hunt. *lib. 2.* Matth. Weſtm. *Polychr. lib. 5. cap. 12.*

626.

Malm. *lib. 2. cap. 2.*

nùs ad mortem ſufficeret, peſte juvaretur veneni, ad regem Edovinum in Eboracenſi comitatu juxta amnem *Derventionem* tunc temporis commorantem, ubi erat villa regalis olim fluvio cognominis, quam hodie *Aldbiam* eſſe dictam Camdenus ſentit, primo Paſchæ die pervenit. Intravítque quaſi nuncium domini ſui referens, inquit Beda; & cùm ſimulatam legationem ore aſtuto volveret, exſurrexit repentè, & evaginatâ ſub veſte ſicâ impetum fecit in regem. Quod cùm videret Lilla, miniſter regis amiciſſimus, (forſan idem cujus in Edovini Viſione antea meminimus,) non habens ſcutum ad manum quo regem à nece defenderet, mox interpoſuit corpus ſuum ante ictum pungentis. Sed tantâ vi hoſtis ferrum infixit, ut per corpus militis occiſi etiam regem vulneraret. Qui cùm mox undique gladiis impeteretur, in ipſo tumultu etiam alium de militibus, cui nomen erat *Fortherius*, ſicâ nefandâ peremit. Eâdem autem nocte pepererat regina filiam, cui nomen Anfleda. Cúmque idem rex, præſente Paulino epiſcopo, gratias ageret Diis ſuis pro nata ſibi filia; contrà, epiſcopus gratias cœpit agere Domino Chriſto, regíque aſtruere, quòd ipſe precibus ſuis apud illum obtinuerit, ut regina ſoſpes & abſque dolore gravi ſobolem procrearet. Cujus verbis delectatus rex, promiſit ſe, abrenunciatis idolis, Chriſto ſerviturum, ſi vitam ſibi & victoriam donaret pugnanti adverſus regem, à quo homicida ille, qui eum vulneraverat, miſſus eſt; & in pignus promiſſionis adimplendæ, eandem filiam ſuam Chriſto conſecrandam Paulino epiſcopo aſſignavit. Quæ baptizata eſt die ſancto Penteçoſtes, prima de gente Northumbrorum,

Camd. *in Brig.*

Bed. *lib.* 2. *cap.* 9.

rum, cum duodecim aliis de familia ejus. Quo tempore curatus à vulnere ſibi pridem inflicto rex, collecto exercitu, venit adverſus gentem Occidentalium Saxonum, ac bello inito, univerſos, quos in necem ſuam conſpirâſſe didicerat, aut occîdit, aut in deditionem recepit. Sicque victor in patriam reverſus, non ſtatim & inconſultè ſacramenta fidei Chriſtianæ percipere voluit, quamvis nec idolis ultrà ſervivit ex quo ſe Chriſto ſerviturum eſſe promiſerat; verùm primò diligentiùs ex eo tempore & ab ipſo Paulino rationem fidei ediſcere, & cum ſuis *primatibus*, quos *ſapientiores* noverat, curavit conferre, quid de iis agendum arbitrarentur. Sed & ipſe, cùm eſſet vir naturâ ſagaciſſimus, ſæpe diu ſolus reſidens, ore quidem tacito, ſed in intimis cordis penetralibus multa ſecum colloquens, quid ſibi eſſet faciendum, quæ religio ſervanda, tractabat. Hactenus Beda.

Interea ad eum ejúſque uxorem literas miſit Bonifacius quintus Pontifex, quibus regem ut Chriſtianam religionem amplectatur, reginam ut mariti animæ piè ſanctéque proſpiciat, ſeriò adhortatur, deſtinatis ſimul ad utrumque xeniis. Nihilominus, ubi *cunctabundum* nimis atque *ancipitem*, ut Malmesburienſis verbis utitur, hærere regem animadverteret Paulinus, pro ſalute illius pariter ac gentis cui præerat, & verbo exhortationis apud homines, & apud Divinam miſericordiam verbo deprecationis ſollicitè agens, tandem, ut verìſimile videtur, inquit Beda, didicit in ſpiritu, quod vel quale eſſet oraculum ei quondam cœlitus oſtenſum, *ſcilicet in Redovaldi vita priùs memoratum.* Regem igitur adiens, qui more ſuo ſolitarius & cogi-

Malm. *lib.* 1. *cap.* 3.

Bed. *lib.* 2, *cap.* 12.

cogitabundus multa ſecum de religione animo evolvens ſedebat, capiti ejus dextram fidenter impoſuit, & an ſignum illud agnoſceret requiſivit. Qui cùm tremens ad pedes ejus procidere vellet, levavit eum, & quaſi familiari voce affatus, Ecce, inquit, hoſtium quos timuiſti manus Domino donante evaſiſti. Ecce, regnum quod deſiderâſti ipſo largiente percepiſti. Memento ut tertium, quod promiſiſti, facere non differas, ſuſcipiendo fidem ejus, & præcepta ſervando, qui te à temporalibus adverſis eripiens, temporalis regni honore ſublimavit; ſíque deinceps voluntati ejus, quam per me tibi prædicat, obſecundare volueris, etiam à perpetuis malorum tormentis te liberabit, & æterni ſecum regni in cœlis faciet eſſe participem. Quibus auditis, rex ſuſpicere quidem ſe fidem, quam docebat, & velle & debere reſpondebat. Verùm adhuc cum amicis, principibus & conſiliariis ſeſe de hoc collaturum eſſe dicebat, ut ſi & illi eadem cum eo ſentire vellent, omnes pariter in fonte vitæ Chriſto conſecrarentur. Et annuente Paulino fecit uti dixerat. Habito enim *cum Sapientibus* conſilio, ſciſcitabatur ſingillatim ab omnibus, qualis ſibi doctrina hæc eatenus inaudita, & novus divinitatis qui prædicabatur cultus, videretur. Primus ibi, acriter in numinum ſuorum ingratitudinem invectus, ſententiam adverſus idololatriam protulit ipſorum Pontifex, nomine Coifius. Cui mox alter, ex Optimatibus vir primarius, præmiſsâ gravi oratione, ſuffragatus eſt. Cæteris deinde identidem aſtipulantibus, adjecit Coifius, cupere ſe, ut coram ipſis Paulinus de fide ſua ac religione verba faceret. Auditâ epiſcopi concione, omnes, cum Coifio, renunciandum

Idem cap. 13.

eſſe

esse ethnicismo gentilibúsque ritibus exclamant. Rex Edovinus Christianum se confessus est; & pontifex prædictus datum à rege equum emissarium conscendens, arreptóque gladio ac lanceâ, (quæ paganorum Saxonum pontificibus facere nullatenus licuit,) *Godmundhamiam* in agro Eboracensi, locum superstitione dæmoniacâ olim celebrem, contendit. Ibi, cunctis intuentibus, delubrum injectâ lanceâ profanavit; quod deinde sociis destruere cum aris septísque omnibus & succendere præcepit. Igitur accepit Rex Edovinus, ità pergit Beda, *Idem cap.* cum cunctis gentis suæ nobilibus, ac plebe per- 14. plurimâ, fidem & lavacrum sanctæ regenerationis, anno regni sui (Northumbrensis) undecimo, qui est annus Dominicæ incarnatio- 627. nis sexcentesimus vicesimus septimus. Baptizatus est autem Eboraci die sancto Paschæ, pridie iduum Aprilium, in ecclesia Sancti Petri Apostoli, quam ibidem ipse de ligno, cùm catechizaretur, atque ad percipiendum baptisma imbueretur, citato opere construxit. In qua etiam civitate ipsi doctori atque antistiti suo Paulino sedem episcopatûs donavit. Mox autem ut baptisma consecutus est, curavit, docente eodem Paulino, majorem ipso in loco & augustiorem de lapide fabricare Basilicam, in cujus medio ipsum quod priùs fecerat oratorium includeretur. Præparatis ergò fundamentis in gyro prioris oratorii per quadrum cœpit ædificare Basilicam. Sed priusquam altitudo parietis esset consummata, rex ipse impiâ nece occisus, opus idem successori suo Osuvaldo perficiendum reliquit. Idem quoque Beda, *Hildam* (postea Pharensem Abbatissam) simul *Idem lib. 4.* *cum Edovino fidem & sacramenta Christi ad præ-* *cap. 23.*

dicationem

dicationem Paulini suscepisse, testatur. Tertium decimum ætatis annum tunc temporis illa agebat, quippe quæ anno Domini sexcentesimo decimo quarto nata est, ut ex Beda ejus vitam obitúmque enarrante manifestum est. Quo tempore ea in lucem edita est, pater ejus Henricus, Adelfridi regis odium fugiens, sub rege Britonum Ceretico exsulavit, ubi & veneno periit. Sed non impunè tulit Cereticus, quem post sexennium rex Edovinus nepotis ultor, anno scilicet vicesimo supra sexcentesimum, *Ulmetensi* in Eboracensi agro regiuncula, quam eatenus obtinuerat, victum, juxta Camdenum, expulit. Illum ipsum esse hunc Cereticum, Britannicè *Keredic* nuncupatum, qui à Saxonibus, post captam Cyrencestriam, ultra Sabrinam, in Gualliam fugatus est, unde postea in septentrionalem plagam se recipere poterat, ut credam facilè adducor. Nec mores hominis repugnant, utpote qui principem hospitem, opis ac tutelæ gratiâ ad se confugientem, posthabitâ fide, veneno tollere non exhorruit. Qualem profectò suum Cereticum Cyrencestrensem Britannica depingit Historia, *Deo Britonibúsque invisum* atque *inconstantem* vocans. Nec obstat temporis ratio, quum ab anno quingentesimo septuagesimo septimo, quo capta est Cyrencestria, ad annum sexcentesimum vicesimum, quo ab Edovino victus est Cereticus, haud plures quàm quadraginta tres anni effluxerint; ad quod usque tempus eum superfuisse non est adeò prorsus incredibile. Quum autem *Hildæ* patrem *Herericum* Beda regis Edovini nepotem appellaret, Florentius Vigorniensis exinde *Edfridum* Edovini filium genuisse *Herericum* præpropere conclusit; cùm, ut rex ille anno sexcentesimo

Camd. *in Brigant.*

Galfr. *lib. 8. cap. 2.*

Florent. *in geneal. regum Saxonic.*

centeſimo decimo quarto, quo nata eſt Hilda, ætatis annos duntaxat viginti novem emenſus, aut Hildæ aut alterius cujuſpiam proavus foret, perſuaderi, opinor, ſibi nemo patietur, qui eorum ætates libratè ſatis ex Beda penſaverit. Ex aliqua igitur potius Edovini ſorore Hererícum ejus nepotem exſtitiſſe, multò probabilius videatur. Paulinus autem ſex annis continuis fidem Chriſtianam per regnum Northumbrenſe diſſeminavit, multóſque credentes baptizavit; in quibus erant Osfridus & Edfridus filii regis Edovini, qui ambo ei exſuli nati ſunt de Quenburga filia Caroli Merciorum regis. Baptizati ſunt tempore ſequenti & alii liberi ejus de Æthelburga regina progeniti, *Æthelhunus*, & *Buſtres*, & *Adeltrudis* filia, & *Iffus* Osfridi filius, aliique nobiles & egregii viri complures. Tantus autem fertur, ait Beda, tunc fuiſſe fervor fidei ac deſiderium lavacri ſalutaris genti Northumbrorum, ut quodam tempore Paulinus veniens cum rege & regina in villam regiam, quæ vocabatur *Adgebrin*, (hodie *Yevering* dicitur, éſtque in comitatu Northumbriæ,) triginta ſex diebus ibidem catechizandi & baptizandi officio deditus moraretur; quibus diebus cunctis à manè uſque ad veſperam nihil aliud ageret, quàm confluentem eò de omnibus viculis ac locis plebem, Chriſti verbo ſalutis inſtruere, atque inſtructam in fluvio *Gleno*, qui proximus erat, lavacro remiſſionis abluere. Hæc villa tempore ſequentium regum deſerta, & alia pro illa eſt facta in loco qui vocabatur *Melmin*. (Hodie *Melfeldia* dicitur.) Hæc quidem in provincia Berniciorum: ſed & in provincia Deirorum, ubi ſæpius manere cum rege ſolebat, baptizabat in fluvio *Swala*, qui vicum

Bed. lib. 2. cap. 14.

Camd. in Ottadin.

Cati-

Idem in Brigant. *Cataractonium*, ſive *Cataractam*, in agro Eboracenſi præterfluit. Nondum enim oratoria vel baptiſteria in ipſo exordio naſcentis ibi eccleſiæ poterant ædificari. Attamen in Camboduno, ubi tunc etiam villa regia erat, fecit baſilicam quam Sancto Albano ſacravit, unde pro *Albanburia* nunc corruptiùs *Almonburia* nominatur. Quam poſtmodum Pagani Mercii à quibus Edovinus rex occiſus eſt, cum tota eadem villa ſuccenderunt. Pro qua reges poſteriores fecêre ſibi villam in regione circa *Leodium* ſita, quod linguâ vernaculâ *Leedes* vocatur. *Duisburgum* quoque, viculum inter *Leodium* & *Almonburiam* poſitum, adiiſſe interdum Paulinus videtur, ubi crucem Camdenus quondam ſtetiſſe hâc inſcriptione ornatam perhibet, *Paulinus hic prædicavit & celebravit.*

628. Anno ſexcenteſimo viceſimo octavo idem Paulinus, tranſmiſſo Humbro fluvio, Lindiſiam petiit, ibique *Bleccam*, civitatis Lincolniæ præfectum, cum univerſa ſua familia ad fidem convertit. Atque hîc, ſi conjecturæ detur venia, *Bleccam*, iſtum ab *Anferto Bedæ filio*, *Bubbæ* nepote, *Cadhedæ* pronepote, *Quelpigiſili* abnepote, *Crettæ Vintâ* Odini filio oriundi atnepote, originem duxiſſe putaverim. A quo ſcilicet *Anferto* petendam eſſe regulorum ſive præſidum Lincolnienſium *proſapiam* tradit Florentius; unde illum ab Hengiſto Byrſæ ſuæ, ſive caſtro *Thonza*, cæteríſque in agro Lincolnienſi copiis præpoſitum fuiſſe autumaverim. *Blecceæ* præfecti exemplum ſecuta tota mox Chriſto nomen dedit provincia. Lincolniæ igitur eccleſiam operis egregii de lapide fecit Paulinus, in qua Honorium, Juſti Cantuarienſis metropolitani ſucceſſorem, conſecravit.

Matth. Veſtm.

Florent. Vigorn. *in geneal. regum Angloſaxon.*

Bed. *lib.* 2. *cap.* 16, 17, 18.

Quibus

Quibus rebus cognitis, Honorius Pontifex Romanus ad duos hoſce Archiepiſcopos pallia miſit, unà cum literis exhortatoriis ad regem Edovinum & præfatum Honorium Cantuarienſem. Interea Paulinus in fluvio Trenta, juxta civitatem quæ *Tiovulfingaceſtria* olim vocabatur, multam populi turbam præſente Edovino rege baptizavit. Factum hoc in agro Nottinghamienſi, haud procul à *Suthvellia*, narrat Camdenus. Hinc ibi tunc temporis illo flumine terminatum fuiſſe provinciam Lincolnienſem, (quanquam paulò anguſtior nunc ejus ſit circuitus,) ac *Tiovulfingaceſtriâ*, ad orientalem ripam poſitâ, non ità multò poſtea concidente, ex ejus ruinis paulò remotiùs ab occidentali ejuſdem ripa accreviſſe *Suthvelliam*, veri non eſt abſimile. Quæ ut citiùs floreſceret, fundata illic à Paulino Sanctæ Mariæ eccleſia effecit. Cujus nimirum eccleſiæ privata Hiſtoria, quæ Beda de *Tiovulfingaceſtria* retulit, ad iſtum conſtanti affirmatione locum trahit. Unde eouſque, uti dictum eſt, tum pertigiſſe Lincolnienſium ditionem colligimus, quòd baptiſma illud tanquam eximium illorum ipſorum provincialium fidei ſpecimen Beda commemorat. Hoc anno Penda Merciorum rex juxta Gyrenceſtriam, in pago Gloceſtrenſi, qui tunc ad Occidentalium Saxonum regnum ſpectabat, cum Cinigiſilo & Quicelmo conflixit. *Cúmque uterque exercitus*, ut Huntingdonienſis loquitur, *fugâ abjuratâ invincibiliter perſiſterent, ſolis occidentis gratiâ dirempti ſunt: manè* autem, *cùm ſe utroſque in perniciem redigendos, ſi applicarentur, viderent, moderatis utrinque impetitionibus concordati ſunt.* Guilielmus Malmesburienſis, *Pendam Mercium, proprios egreſſum terminos, dum Cyren-*

Hunt. *lib.* 2.

Malm. *lib.* 1. *cap.* 2.

Cyrenceſtriam ſuis partibus applicare conatur, impetum concordium regum non ferentem, cum paucis profugiſſe, ſcribit. Pro Henrico autem faciunt Annales Angloſaxonici, Florentius Vigornienſis, Matthæus Florilegus, & alii, qui æquo Marte pugnatum, & pace ſancitâ diſceſſum eſſe produnt. Facillima verò Authorum fuerit conciliatio, ſi Pendam, viribus imparem, primitùs ceſſiſſe hoſtibus, cum Malmesburienſi; mox autem, adventantibus properè auxiliis reverſum, manus conſeruiſſe, ac poſt ancipitem pugnam fœdus percuſſiſſe, cum Huntingdonienſi cæteriſque ſtatuerimus. Jam Edovinus, cunctis qui ipſum præceſſerant Anglorum regibus potentior, omnes Britanniæ fines, quà vel ipſorum vel Britonum provinciæ habitabantur, (ſolo Cantio excepto,) ſub ditionem acceperat. Quin & *Mevanias* inſulas, ſcilicet *Monam* ſive *Angliſeiam*, & *Euboniam* ſive *Manniam*, inter Britanniam & Hyberniam ſitas, Anglorum ſubjecit imperio. Tanta autem eo procurante, poſt bellum Cyrenceſtrenſe, pax in Britannia, quoquoverſum Edovini regis imperium pervenerat, fuiſſe perhibetur, inquit Beda, ut etiam ſi mulier unà cum recèns nato parvulo vellet, totam perambulare inſulam à mari ad mare, nullo ſe lædente, valeret. Tantum quoque rex idem utilitati ſuæ gentis conſuluit, ut pleriſque in locis, ubi fontes lucidos juxta publicos viarum tranſitus conſpexit, ibi ob refrigerium viantium erectis ſtipitibus æreos caucos ſuſpendi juberet; neque hos quiſquam niſi ad uſum neceſſarium contingere, præ magnitudine vel timoris ejus auderet, vel amoris vellet. Tantum verò excellentiæ in regno habuit, ut non ſolùm in pugna ante illum vexilla geſtarentur, ſed tempore pacis

Bed. *lib.* 2. *cap.* 9. & 16.

pacis equitantem inter civitates ſive villas aut provincias ſuas cum miniſtris ſemper antecedere ſignifer conſueviſſet. Nec non & incedente illo ubilibet per plateas illud genus vexilli quod Romani *Tufam* appellabant ante eum ferri ſolebat. Hæc Beda. *Tufæ* à Romanis geſtatæ meminit *Juſtus Lipſius* ſuis in *Vegetium* commentariis, libro tertio, capite quinto, ubi varia Romanorum vexilla recenſentur; illúmque *Vegetii* locum ubi *Rufa* pro *Tufa* ponitur, ex Beda noſtro corrigit, per *Tufam* indicari ſphæram, Monarchiæ ſive ſummi regiminis *Inſigne*, oſtendens. Hæc igitur ad annum triceſimum ſupra ſexcenteſimum refert Matthæus Floriletus. Tantam autem, inquit Beda, devotionem Edovinus erga cultum veritatis habuit, ut etiam regi Orientalium Anglorum *Erpualdo*, filio *Redovaldi*, perſuaderet, relictis idolorum ſuperſtitionibus, fidem & ſacramenta Chriſti cum ſua provincia ſuſcipere. Quod anno ſexcenteſimo triceſimo ſecundo factum eſſe, antiqui rerum Angloſaxonicarum ſcriptores conſentiunt. Hoc anno Aidanus, Fernenſis in Hybernia archiepiſcopus, vitâ exceſſit, cujus in Sancti Davidis vita celebris habetur mentio. Hunc enim magni illius Davidis exſtitiſſe diſcipulum perhibent Biographi; quem etiam *regi Themoriæ Ainmurecho puerum datum fuiſſe obſidem*, non paucis antequam Davidis epiſcopi magiſterio ſe tradiderat annis, in ipſius vita legimus. Quum verò diu poſt Davidis mortem Ainmurechus in Hybernia regnare cœperit; aliúſque vitæ Aidani hujuſce ſcriptor, *ad regem Hyberniæ illum qui morabatur in Themoria* obſidem ductum fuiſſe *puerum*, poſteáque in *Britannia peregrinatum fuiſſe*, *& in cœnobiis quibuſdam*

630. Matt. Veſtm. Bed. *lib.* 2. *cap.* 15. *Annal. Saxon.* Florent. Vigorn. *&c.*

632. Uſſer. *Primord.*

dam vitam egiſſe, refert, nullâ vel regis *Ainmurechi* vel epiſcopi Davidis factâ ſpeciatim mentione; certè vel ipſum valde longævum fuiſſe, ejúſque pueritiam in regis alicujus *Ainmurecho* antiquioris, forſan *Tuathali Melgarbi*, tempora incurriſſe, vel in Menevenſi Davidis jam defuncti cœnobio monaſticam illum coluiſſe vitam, dicendum fuerit. Quod ipſum quoque de ejus diſcipulo *Suithuno* ſeniore, aliàs *Scholano* dicto, (non *Guintonienſis* in agro Suthantonienſi inter Saxones Occidentales, ſed *Guentonienſis* in Monumethenſi ſedis epiſcopo,) ſentiamus. Aidanum illum Hyberni linguâ vernaculâ *Moedhog* nominant.

633. Anno ſexcenteſimo triceſimo tertio adverſus
Bed. *lib.* 2. *cap.* 2. Edovinum rebellavit Cadovallo Britannorum rex, quem Beda *Cædwallam* vocat, (non *Carduellam*, ut vitiosè habent vulgati codices,) *auxilium præbente illi Pendâ ſtrenuiſſimo* Merciorum rege, haud ampliùs Northumbrenſi parére ſuſtinente. Hi igitur junctis viribus *Hethfeldiæ*, in ea agri Derbienſis parte quæ comitatui Ceſtrenſi adjacet ſitæ, regem Edovinum gravi prælio excepêre; quo ille, quartâ die iduum Octobris, anno regni ſui Northumbrenſis decimo ſeptimo, monarchiæ nono, unà cum Offrido filio, juvene bellicoſo, occiſus, totúſque ejus vel interemptus vel diſperſus eſt exercitus. Quo tempore annum ætatis ſeptimum, juxta Bedam, aut octavum, juxta Florentium Vigornienſem & Guilielmum Malmesburienſem, ſupra quadrageſimum exegerat. Ineptiſſimam ſanè nugaciſſimámque de hoc bello fabulam con-
Galfr. *lib.* 9. *cap.* 1. texuit Hiſtoricus Britannus. Edovinum Adelfridi filium exſtitiſſe fingit, quem mater in utero geſtans, à marito pulſa, qui aliam uxorem ſuperin-

ſuperinduxerat, ad Cadovani Britanni aulam confugit, ibíque illum peperit. Ille cum Cadovallone regis filio educatus, unà cum eodem in Armorica ſub rege Salomone primâ militiæ documenta addidicit. Reverſi deinde in Britanniam Cadovallo & Edovinus in paterna regna ſucceſsêre. Cúmque Edovinus ut ſibi diademate inſigniri liceret petiiſſet, nec Cadovallo, dehortante ejus nepote Briano, annueret, demum ad manus ventum eſt, victúſque Cadovallo, primùm Albaniam, deinde Hyberniam adiit. Edovinus profugi regnum occupavit, & Vigorniæ Briani ſororem rapuit. *Pelliti* quoque magi inſignis, *qui volatus avium curſúſque ſidarum* edoctus *prædicebat ei omnia infortunia que accidebant*, operâ ſolerti uſus, Cadovallonem, quemcumque portum navigio ſubiret, continuò obvius factus repulit. Quum itaque Armoricam peteret ut Salomonem de caſibus ſuis certiorem faceret, ſumma cum humanitate ab eo exceptus eſt Cadovallo, quem feſtivo priùs lepidóque epulo Brianus in Garnſeia inſula ægrotantem refecerat. Remiſſus in Britanniam, ac peregrini mendicantis habitum ſuſcipiens, magum captivæ ſororis indicio cognitum Brianus obtruncavit, fugiénſque Exoniam, ibi à Penda obſeſſus eſt; quem ſuperveniens Cadovallo victum cepit, captúmque, ac mortis metu perculſum, ad incundam contra Edovinum belli ſocietatem pertraxit. Atque ità peremptо hoſte, Britannus Mercii ſororem duxit. Hujus fabellæ vanitatem multiplicem nemo non primo intuitu deprehenderit. Quum Edovini patrem fuiſſe *Allam*, non Adelfridum, conſtat. Principem verò Chriſtianiſſimum, pietatis ac devotionis famâ laudatiſſimum, dæmo-

niacâ præſtigiatoris ope nixum eſſe, ejúſque adeò amicitiam coluiſſe, eâdem fide ſcriptor iſte prodidit, quâ antea Arcturii geſta *Epiſtrephum*, *Muſtenſarum*, *Alifatinam*, aliósque reges imaginarios, Britannico principi triumphandos exhibuerat. Cujus etiam farinæ heros videatur eſſe hic Brianus. Quinetiam Guilielmi Malmesburienſis de Cyrenceſtrenſi Pendæ bello narrationem fœdiſſimè corrumpit, pro *Cyrenceſtria* (*Exoniam* ſive) *Exceſtriam* ſubſtituens, & Cadovallonem cum *Cenovalcho* ſive *Cenovallo* Cinigiſili filio confundens, qui poſt illum conflictum, fœdúſque inſecutum, Pendæ ſororem duxit; cujus nimirum ille *matrem nobili Geviſſorum*, ſive Occidentalium Saxonum, quibus præfuit ille Cenovallus, *genere* editam fuiſſe ſomniat. Pendam autem non Britonum armis coactum; ſed *omnibus occaſionibus cædium inhiantem, & velut corvum ad nidorem cadaveris advolantem, ultro Cedwallæ* (ſive *Cadovalloni*) *in auxilium accurriſſe, & ad recuperandum regimen magno emolumento fuiſſe*, idem Guilielmus tradit. Interim verò Edovinum in pueritia (à tutoribus) Adelfridi furori ſubductum, apud Cadovanum Britonem exſulâſſe, atque indè ad Vibbam Mercium ſe contuliſſe, priuſquàm ad Redovaldum accederet, non diffitemur, quum ipſe, apud Bedam, *ſe, per omnes Britanniæ provincias vagabundum, hoſtium vitáſſe inſidias* profitetur. Quum verò apud eundem Bedam ipsúmque Galfridum legimus, *Britones fidem religionémque Anglorum pro nihilo habere, neque in aliquo eis magis communicare quàm paganis*; eò certè propendet animus, ut *Paulinum* epiſcopum ab Hiſtorico Britanno per Pellitum illum augurem deſignari exiſtimem; quem tamen

Idem lib. 7. cap. 5.

Malm. *lib. 1. cap. 2.*

Idem cap. 4.

Bed. *lib. 2. cap. 12. & cap. 20.*

Galfr. *lib. 8. cap. 4.*

men à Briano non fuiſſe interfectum, pro comperto eſt. Adeóque qui priùs Æthelbertum atque Auguſtinum tam graviter læſerat, haud leviora Edovino & Paulino infamiæ ſtigmata inurere auderet; dum præſulem in magum (ut olim Arriani Athanaſium) converteret, regem verò magi fautorem ac patronum conſtitueret. Sed miſſis hujuſce nugivenduli tricis, Guilielmi Malmesburienſis de hoc principe verba apponemus. Edovinus, æmulis omnibus cæſis vel expulſis, pluribus laboribus emeritus, regni faſtigium jam non rudis aſcendit. Qui quum Edbaldi ſororem Æthelburgam, longo tempore petitam, tandem aliquando impetraſſet, eo conſilio, ut non contemneret habitam, quam diu ſuſpiraverat dilatam, tanto illa duo regna, viz. Cantianum ac Northumbrenſe, confœderata ſunt officio, ut nihil eſſet vel in poteſtatibus diverſum, vel in moribus barbarum. Eâdem præterea occaſione Paulino prædicante, Domini Chriſti fides illis partibus infuſa, primò regem ipſum penetravit. Quam cùm regina marito inter conjugales affectus crebrò inculcaret, & antiſtitis Paulini monitio ſuo loco non deeſſet; diu ille cunctabundus & anceps, ſemel tamen ſuſceptum imis inſeruit præcordiis; tunc vicinos reges ad fidem invitare, tunc eccleſiarum ædificia excitare, nihil quod ampliandæ fidei congrueret negligere. Interea & devotioni regiæ ſerenus Divinitatis favor arridebat; adeò ut non ſolum Britanniæ gentes, Angli, Scoti, Picti, ſed & inſulæ Orcadum & Mevaniarum, & arma ejus metuerent, & poteſtatem adorarent. Nullus tunc prædo publicus, nullus latro domeſticus, inſidiator conjugalis pudoris procul, expilator alienæ hæreditatis

Malm. lib. 1. cap. 3.

ditatis exſul; magnum id in ejus laudibus, & noſtrâ ætate ſplendidum. Itaque imperii ſui ad eos limites incrementa perducta ſunt, ut juſtitia & pax libenter in mutuos amplexus concurrerent, oſculorum gratiam gratâ viciſſitudine libantes: & feliciter tunc Anglorum respublica procedere potuiſſet, niſi mors immatura, temporalis beatitudinis noverca, turpi ſortunæ ludo, virum abſtuliſſet patriæ. Ætatis enim anno quadrageſimo octavo, regni decimo ſeptimo, rebellantibus regulis, quos ſub jugum miſerat, Cedwallâ Britonum & Pendâ Merciorum, cum filio interemptus, miſerabile varietatis humanæ fecit exemplum; nullo prudentiâ inferior, qui nè Chriſtianam fidem niſi diligentiſſimè inſpectâ ratione voluit ſuſcipere, ſuſceptæque nihil exiſtimare comparabile. Ità Malmesburienſis, nullâ omnino præfatæ Viſionis factâ uſpiam mentione. Uxores duas habuit rex Edovinus: quarum priorem, dum apud *Vibbam* Merciorum regem exſularet, *Caroli* ejus conſanguinei, qui poſtea ei ſucceſſit, filiam nomine *Quenburgam* duxit, ex qua duos filios, *Oſfridum* cum patre cæſum, & *Edfridum*, genuit. Ex altera conjuge *Æthelburga* duos quoque filios, *Æthelhunum* & *Buſcream*, totidémque filias, *Anſledam* & *Adeltrudim*, ſuſtulit; è quibus, Æthelhunus & Adeltrudis adhuc albati obierunt, & Eboraci in eccleſia Sancti Petri ſunt ſepulti. Allatum eſt autem caput Edovini regis Eboracum, & illatum poſtea in eandem Sancti Petri eccleſiam, atque in porticu papæ Gregorii poſitum. *Godboldum* Orcadenſium regulum hoc bello à fœderatis cæſum fuiſſe Galfridus refert. Edovini verò corpus in eccleſia Pharenſi tumulatum

Bed. *lib.* 2. *cap.* 13. & 20.

tum eſt. Cum Edovino vixerunt Clotharius ejúſque filius Dagobertus, Francorum, Suintilla & Siſenandus, Viſigothorum, & Ariovaldus, Longobardorum, in Gallia, Hiſpania & Italia, reges. *Idem lib. 3. cap. 24. Matth. Veſtm.*

IX. *OSUVALDUS.*

EDOVINO (uti dictum eſt) perempto, victores per Northumbrenſe regnum atrociſſimè graſſantur. Siquidem alter è ducibus paganus fuit, alter pagano ſævior. Nam Penda cum omni Merciorum gente idolis adhuc deditus, & Chriſtiani nominis erat ignarus. At Cadovallo, quamvis profeſſione Chriſtianus, adeò tamen vindictæ cupidini indulſit, ut nec ſexui quidem muliebri vel innocuæ parvulorum ætati parceret, quin univerſos tanquam regni ſui inſeſſores morti per tormenta contraderet, multo tempore totas eorum provincias debacchando pervagatus, ac totum genus Anglorum Britanniæ finibus eraſurum ſe eſſe deliberans. Sed nec religioni Chriſtianæ, jam apud eos exortæ, quicquam honoris impendebat. Hujus itaque rabidum furorem extimeſcens, ad Pendam, quem fortè mitiorem, utpote congentilem, & matris ſuæ conſanguineum, ſeſe experturum ſperaverit, Edfridus Edovini filius neceſſitate cogente transfugit; à quo tamen poſtmodum regnante Oſuvaldo interfectus eſt. Paulinus, duce Baſsâ, milite regis Edovini fortiſſimo, aſſumptis ſecum Æthelburgâ reginâ ejúſque filiâ Anfledâ, Buſcreâ Edovini & Iffio Oſfridi filiis, unà cum cruce aurea, & calice itidem aureo ad miniſterium altaris conſecrato, aliiſque vaſis pretioſis Edovini regis compluribus, navigio Cantium repetiit, atque ab Edbaldo rege & Honorio archiepiſcopo honorificè ſuſceptus eſt. Ibi *Romano*, qui à *Juſto* archiepiſcopo ad Honorium Papam

633.

Bed. *lib.* 2. *cap.* 20.

aman-

amandatus, Italici maris fluctibus abſorptus fuerat, in epiſcopatu Roffenſi, rege Edbaldo & archiepiſcopo Honorio invitantibus, ſucceſſit. Æthelburga regina monaſterium in villa *Liminga* ei à fratre donata exſtruxit, atque illic, prima ex Angloſaxonum gente, ſanctimonialem vitam exegit, tandémque moriens ibidem ſepulta eſt. Buſcreæ autem & Iffio, ab Oſuvaldo & Edbaldo regibus, materno affectu ac ſollicitudine metuens, in Galliam eos Dagoberto regi cognato nutriendos miſit; ubi ambo in infantia defuncti, quo pueros regios & Chriſtianos honore decuit, in eccleſia tumulati ſunt. Jámque Northumbrenſes arma animóſque reſumpsêre; ac *Deiri Oſricum* Edovini patruelem, regis *Ællæ* ex fratre Alfrico nepotem, qui ad prædicationem Paulini fidei erat ſacramentis imbutus; Bernicii Anfridum Adelfridi filium, ex Albania cum fratribus venientem, reges creârunt. Siquidem toto quo regnavit Edovinus tempore, filii præfati regis Adelfridi cum magna nobilium juventute apud Scotos ſive Pictos exſulabant, ibíque ad doctrinam Scotorum catechizati, & baptiſmatis gratiâ ſunt recreati. Mox autem regna adepti, à fide Chriſtiana deſcivêre nefandi apoſtatæ Oſricus & Anfridus, ac ſeſe priſcis idololatriæ ſordibus polluendos perdendóſque reſtituerunt. Hoc etiam tempore paganus quidam nomine Rigbertus, Edovini metu jam ſolutus, Erpualdum Orientalium Anglorum regem, qui præcedente anno Chriſto nomen dederat, quum annos novem regnâſſet, crudeliter interemit; adeóque exinde *tribus annis* provincia, rege pio orbata, ad ritus ethnicos relapſa, in errore illo verſata eſt.

Thorn. *Abbat. Auguſt.* & Camd. *in Cant.*

Bed. *lib.* 3. *cap.* 1.

Idem lib. 2. *cap.* 15.

634. Anno ſexcenteſimo triceſimo quarto rex Bri-
Idem lib. 3. cap. 1. Florent. Vigorn. tonum Cadovallo Oſricum Deirorum regem, qui ipſum in municipio quodam temere obſederat, (forſan in ipſo Eboraco, quod Victor Andreæ Schotti, in ſuâ Cæſarum hiſtoria, *Municipium* vocat,) erumpens ſubitò cum ſuis omnibus, imparatum cum toto exercitu delevit. Deinde, quum jam anno poſt Edovini cædem integro provincias Northumbrorum non ut rex victor poſſideret, ſed quaſi tyrannus ſæviens diſperderet, ac tragicâ cæde dilaceraret, Anfridum, inconſultè ad ipſum cum duodecim electis militibus poſtulandæ pacis gratiâ venientem, ſimili ſorte damnavit. Miſeranda hoc tempore erat Eccleſiæ Anglicanæ, nuper latè efflorescentis, nunc ferè intra anguſtos Cantii limites redactæ, facies. Infauſtus iſte regum apoſtatarum annus, ut nulla illorum ſupereſſet memoria, eorum ſucceſſori eximio, communi ſupputantium conſenſu, annumerari ſolebat, quaſi ille Edovino immediatè ſucceſſiſſet. Ad-
Malm. lib. 1. cap. 3. eſt enim religionis peſſundatæ vindex atque reſtaurator *Oſwaldus Anfridi* frater, qui, ubi quantulumcunque exercitum undecunque conflâſſet, ſtrenuis hortatibus in bellum excitavit; ſcilicet, ut ſibi aut vincendum commilitones aut moriendum ſcirent, nihil de fuga meditantes; exprobrandi pudoris rem ventilari, inquiens, Anglos cum Britannis tam iniquo Marte confligere, ut contra illos pro ſalute decertarent, quos ultro laceſſere conſuêſſent; itaque libertatem audentibus animis & effuſis viribus
Bed. lib. 3. cap. 2. aſſerant. Factam igitur citato opere crucem præparatæ in qua ſtatueretur fovcæ impoſuit, & utrâque manu erectam tenuit, donec aggeſto à militibus pulvere terræ figeretur. Elatâ deinde

inde in altum voce, Flectamus, inquit, omnes genua, & Deum omnipotentem vivum ac verum in communi deprecemur, utì nos ab hoſte ſuperbo ac feroce ſuâ miſeratione defendat; novit enim ipſe, quòd juſta pro ſalute gentis noſtræ bella ſuſcepimus. Facta hæc ſunt in comitatu Northumbriæ, in loco qui olim *Heafonfield*, id eſt, campus cœleſtis, dicebatur, nunc autem *Halidunum* vocatur. Obvium iſthic habuit Cadovallonem; cum quo congreſſus, inſigni victoriâ potitus eſt, trucidato Britannorum rege, immenſiſque illis copiis (quibus nihil reſiſtere poſſe jactabat) ad internecionem ferè cæſis, juxta *Deniſes Burnam*, id eſt, *rivum Deniſi*, in Tinam utique influentem. Unde in adagium abiit, *Cædes Cædwalle Deniſi curſum coërcuit*; & pugnæ locus olim *Cædes Cædwalleuſium* nuncupabatur. Galfridus Pendam ſolum hoc prælio victum ſcribit, non autem Cadovallonem, quem utique, completis quadraginta octo annis, ſenio & infirmitate gravatum ab hoc ſeculo migrâſſe narrat. Cujus, inquit, corpus Britones, balſamo & aromatibus conditum, in quadam æneâ imagine, ad menſuram ſtaturæ ejus fuſa, mirâ arte poſuerunt. Imaginem autem illam ſuper æneum equum miræ pulchritudinis armatam, & ſuper occidentalem portam Londoniarum erectam, in ejus victoriæ ſignum, & Saxonibus in terrorem, ſtatuerunt. Sed & eccleſiam ſubtus in honorem ſancti Martini ædificaverunt, in qua pro ipſo & fidelibus defunctis divina celebrarentur obſequia. Ità Galfridus. Quum autem diu ante hæc tempora in Orientalium Saxonum poteſtate Londinum fuiſſe conſtat, & Galfridi tum chronologia tum fides quoque aliàs vacillare mul-

Malm. *lib.* 1. *cap.* 3. *Polychr. lib.* 5. *cap.* 12. Hunt. *lib.* 3. Joan. Bromt. *Abb. Jorv.* Galfr. *lib.* 9. *cap.* 6.

multoties deprehenditur; non est quòd ejus deliria venerabilis Bedæ authoritati anteferamus; nec quadraginta octo Cadovallonis regimini, sed quatuordecim annos tribuamus; ejus regni initium, cum *Radulpho* de *Diceto*, ad annum vicesimum supra sexcentesimum referentes.

Rad. Dicet. *abbr. chron.*

Victor Osuvaldus utrumque regnum, videlicet, Deirorum & Berniciorum, illud materno, hoc paterno jure sibi debitum, suscepit. Fuit enim Adelfridi ex Edovini sorore *Acca* filius, quæ præter Anfridum & Osuvaldum, alios quinque filios, *Osuvium*, *Oslaphum*, (Florilego *Osam* dictum,) *Osuvidum*, *Oslacum*, & *Offam*, unámque filiam nomine Æbbam, Abbatissam Coldinghamiensem, prædicto Adelfrido peperit. Sub hoc rege Christiana religio non tantùm revixit, sed etiam latiùs quàm antehac inter Anglos diffusa emicuit. Siquidem hoc ipso anno *Birinum* Pontifex Honorius, pollicitum *se in intimis Anglorum partibus, quò nullus doctor præcessisset, sanctæ fidei semina esse sparsurum*, per episcopum Genuensem *Alterium* in episcopatûs gradum consecrari fecit, & in Britanniam amandavit. *Quò ille perveniens, ac primùm Gevissorum*, id est, Occidentalium Saxonum, *gentem ingrediens, cùm omnes ibidem paganissimos inveniret, utilius esse ratus est, ibi potiùs verbum Dei prædicare, quàm ultrà progrediens, eos quibus prædicare deberet inquirere. Itaque evangelizante illo in præfata provincia, cùm rex ipse* Cinigisilus, anno sequenti *catechizatus, fonte baptismi cum sua gente ablueretur, contigit tunc temporis sanctissimum ac victoriosissimum regem Northumbrorum Osuvaldum affuisse, eúmque de lavacro exeuntem suscepisse.*

Florent. Vigorn. Matth. Vestm.

Bed. *lib.* 3. *cap.* 7. *Annal. Saxon.* Florent. Vigorn.

635.

cepiſſe. Nimirum ille Cinigiſili filiam ductu-
rus, Merciorum, quos imperata facere jam
coëgerat, regionem pertranſiens, eò penetra-
verat, eodémque ibi tempore nuptias celebra-
vit. *Donaverunt ergò ambo reges eidem epi-*
ſcopo Dorceſtriam, (tunc *civitatem* in agro Oxo-
nienſi haud inelegantem, nunc villam exi-
guam,) *ad faciendam inibi ſedem epiſcopalem:*
ubi factis dedicatiſque eccleſiis, multiſque Chriſto
lucrifactis *populis,* tandem obiit, *ſepultúſque in*
eadem civitate, & poſt multos annos, Heddio
epiſcopatum adminiſtrante, Vintoniam *tranſla-*
tus, in eccleſia Apoſtolorum Petri & Pauli poſitus
eſt. Ipſe Oſuvaldus anno prædicto, qui fuit
triceſimus quintus ſupra ſexcenteſimum, Nor-
thumbrenſes ſuos fidei Chriſtianæ gratiâ im- Bed. *lib.* 3.
buere cupiens, miſit ad majores natu Scoto- *cap.* 3.
rum, (inter quos exſulans ipſe baptiſmatis ſa-
cramenta cum iis qui ſecum erant militibus
conſecutus erat,) petens ut ſibi mitteretur an-
tiſtes, cujus doctrinâ ac miniſterio gens quam
regebat Anglorum Dominicæ fidei & dona di-
ſceret, & ſuſciperet ſacramenta. Quare autem
neque Paulinum, adhuc in Cantio ſuperſtitem,
revocaret, nec Jacobum diaconum, qui cum
Paulino venerat, ac poſt ejus diſceſſum juxta
Cataractam hactenus reſederat, ad epiſcopatum
ſuſcipiendum invitaret, non video, niſi quòd
principi inſtitutis Scoticis imbuto, Romani
forſan minùs cordi eſſent ritus, quippe qui nec
ullas à Pontifice unquam literas accepiſſe nec
ad eum miſiſſe legitur. Advenerat quidam
priùs de provincia Scotorum, ut fertur, auſte- *Idem*
rioris animi vir; qui quum, aliquandiu genti *cap.* 5.
Anglorum prædicans, nihil proficeret, nec li-
benter à populo audiretur, rediit domum, at-

que

que in conventu Seniorem retulit, quòd nihil prodeſſe genti ad quam miſſus erat docendo potuiſſet, quoniam eſſent homines indomabi-
Hect. *lib.* 9. les, & duræ ac barbaræ mentis. Illum Hector Boëtius *Cormanum* nominat. At illi tractatum magnum in concilio quid eſſet agendum habere cœperunt, deſiderantes quidem genti quam petebant ſalutem eſſe, ſed, non recepto quem miſerant prædicatore, dolentes. Tum verò Cormanum ità allocutus eſt Aidanus; Videtur mihi, frater, quòd durior juſto indoctis auditoribus fuiſti, & non eis, juxta Apoſtolicam diſciplinam, primò lac doctrinæ mollioris porrexiſti, donec paulatim enutriti verbo Dei, ad capienda perfectiora & ad faciendа ſublimiora Dei præcepta ſufficerent. Quo audito, omnium qui conſidebant ora oculíque in ipſum converſi ſunt, quem utique epiſcopatu dignum, atque ad eruḋiendos incredulos & indoctos debere mitti, decernunt. Ille igitur ordinatus Oſuvaldum adiit, ac locum ſedis epſciopalis in *Lindiſarnia*, ubi ipſe petebat, accepit. Ea poſtea ob Sanctos ibi ſepultos *Inſula ſacra* nuncupabatur, atque in comitatûs Northumbriæ
Bed. *lib.* 3. littore amniculo *Lindi* objecta eſt. Qui ſcill-
cap. 3. cet locus, accedente ac recedente rheumate ſive æſtu, bis quotidie, inſtar inſulæ, maris circumluitur undis, bis, renudato littore, contiguus terræ redditur. Ejus itaque admonitionibus humiliter ac libenter in omnibus auſcultans rex, eccleſiam Chriſti multùm in regno ſuo diligenter ædificare ac dilatare curavit. Ubi pulcherrimo ſæpe ſpectaculo contigit, ut evangelizante antiſtite, qui Anglorum linguam perfectè non noverat, ipſe rex ſuis ducibus interpres verbi exſiſteret cœleſtis, quia nimirum

tam

tam longo exſilii ſui tempore linguam Scotorum jam plenè didicerat. Exinde cœpêre plures per dies de Scotorum regione advenire, atque illis Anglorum provinciis quibus regnavit Oſuvaldus magnâ devotione verbum Fidei prædicare, & credentibus gratiam baptiſmi, quicunque ſacerdotali erant gradu præditi, miniſtrare. Conſtruebantur ergò eccleſiæ per loca plurima; confluebant ad audiendum Dei verbum populi gaudentes; donabantur munere regio poſſeſſiones & territoria ad inſtituenda monaſteria; imbuebantur, præceptoribus Scotis, parvuli Anglorum unà cum majoribus, ſtudiis & obſervatione diſciplinæ regularis. Nam monachi erant maximè qui ad prædicandum venerant; monachus ipſe epiſcopus Aidanus, utpote de *Hya* ſive *Jona* inſula deſtinatus. Qualis autem quantúſque fuerit Aidanus, oſtendit Beda, præclaro illum eulogio exornans; Inter alia, inquit, vivendi documenta, ſaluberrimum abſtinentiæ vel continentiæ clericis exemplum reliquit. *Cujus doctrinam id maximè commendabat omnibus, quòd, non aliter quàm vivebat cum ſuis ipſe*, docebat. Quo præcellentius aut auguſtius nihil de mortalibus dici poterat. Cæteras deinde viri ſanctiſſimi laudes ibidem fuſiùs ſubjungit. Interea pio regi ſerenus Divini numinis affulſit favor, quippe qui iiſdem quibus ipſe Edovinus, aut etiam latioribus, terminis regnum tenuit, & *omnes nationes ac provincias Britanniæ, quæ in quatuor linguas*, (inquit Beda) *id eſt, Britonum, Pictorum, Scotorum, Anglorum, diviſæ ſunt, in ditionem accepit.* Quo regni culmine ſublimatus, nihilominus, quod mirum dictu eſt, pauperibus & peregrinis ſemper humilis, benignus & lar-

Idem cap. 5.

Idem cap. 6.

& largus fuit. Denique, fertur quòd tempore quodam, quum die ſancto Paſchæ cum præfato epiſcopo conſediſſet ad prandium, poſitúſque eſſet in menſa coram eo diſcus argenteus regalibus epulis refertus, jámque eſſent manus ad panem benedicendum miſſuri, intrâſſe ſubitò miniſtrum ipſius, cui ſuſcipiendorum inopum cura erat delegata, & indicâſſe regi, quòd multitudo pauperum undecunque adveniens maxima per plateas ſederet, poſtulans aliquid eleemoſynæ à rege. Qui mox dapes ſibimet appoſitas deferri pauperibus, & diſcum confringi, atque iiſdem minutatim dividi, præcepit. Quo viſo, Pontifex, qui affidebat, delectatus tali facto pietatis, apprehendit ejus dextram, & ait, Nunquam inveteraſcat hæc manus. Ex quo benevolo Aidani voto, ſuccedentibus temporibus monachi ineptientes miraculum confecêre ſuperſtitioſum, quaſi Oſuvaldi dextra ab omni putrefactione immunis ſemper atque illibata perduraret. Porrò, hujuſce regis induſtriâ adeò conſopita ac ſublata ſunt priſtina Deirorum & Berniciorum diſſidia provincialia, ut non in unam modò pacem, ſed in unum quaſi populum eos compegiſſe videretur.

636. Anno ſexcenteſimo triceſimo ſexto Sigebertus, Redovaldi privignus, & Erpualdi frater uterinus, Anglorum Orientalium regnum ſuſcepit, qui à vitrico rege in exſilium actus, Galliam adierat, Francorúmque diu ibi contubernio fruitus, barbariem exuerat, fidéique ſacramentis imbutus, totam ſimulatque regnare cœpit provinciam, poſt triennem Rigbertl veſaniam, ad Chriſtianum cultum reduxit; quæque in Gallia ritè diſpoſita viderat, imitári fatagens,

Malm. *lib.* 1. *cap.* 5. Florent. *in geneal.*

Bed. *lib.* 3. *cap.* 18. Hunt. *lib.* 3.

tagens, per opportuna loca *Scholas* inſtituit, quibus erudirentur pueri, ac literarum dulcedinem experirentur homines, agreſtes antea & fanatici. Adjutor ſtudiorum & religionis incentor piiſſimo doctiſſimóque regi erat Felix, patriâ Burgundus, qui principi exſulanti familiaris effectus, cum eodem in Britanniam tranſmiſit, & ab Honorio Cantuarienſi antiſtite primus Orientalium Anglorum epiſcopus ordinatus, acceptâque ſede epiſcopali in civitate *Dunovico* (olim *Dunmoc*) in agro Suffolcienſi, ei ſeptendecim annis præfuit, atque idololatriam per univerſam Sigeberti ditionem omnino profligavit. Ad Sigebertum præfatum acceſſit *Furſeus Philtani* reguli filius, & *Foillani* atque *Ultani* frater, ibique inſignem fidei propalandæ operam navavit. Huic rex *Cnobersburgum* in eodem comitatu ſitum (hodie *Burgenſe caſtellum* appellatum) donavit, ubi ille monaſterium exſtruxit, quod temporis injuriâ diu antehac unà cum ipſo oppido intercidit. Nunc eò loci ſolummodo ſunt lacera mœnia, quadratâ quaſi formâ, è ſilice & lateribus Britannicis conſtructa, omniáque vepribus & dumis obſita, inter quæ Romanorum numiſmata ſubindè eruuntur. Quicelmus Occidentalium Saxonum cum Cinigiſilo rex, qui aliquantiſper recalcitraverat, demum valetudine corporis admonitus nè ſalutem animæ negligeret, devotionem & ipſe conſortis æmulatus, ſalutari lavacro in civitate Dorceſtria ablutus à Birino, vitâ eodem anno exceſſit. Ab eo locum ubi, poſt intentatam Edovino necem, ab eodem victus eſt, Anglicè *Quichelmes Haunt*, id eſt, *Quicelmi diverticulum*, quondam fuiſſe denominatum refert Matthæus Florilegus. Cujus filium

Camd. *in Icenis.*

Malm. *lib.* 1. *cap.* 2.

Matth. Weſtm.

639. Florent. Vigorn. filium Cudredum anno ſexcenteſimo triceſimo nono idem Birinus in eadem civitate baptizavit, eúmque de ſacro fonte ſuſcepit. Anno

640. Thorn. *Abbat. Auguſt.* quadrageſimo ſupra ſexcenteſimum Edbaldus, Cantianorum rex, viceſimo quinto regni anno defunctus eſt, qui ex Emma conjuge tres liberos ſuſtulit, *Ermenfredum*, *Ercombertum*, filios, & *Enſuitham* filiam; ex quibus illa monaſterium *Folcſtonie* prope *Dubrim* virginibus conſecravit, ibidémque ſepulta eſt. Ermenfredus ex uxore Oſlana Æthelredum & Æthelbertum filios genuit; eorúmque ſorores, *Ermenburgam*, (aliàs *Domnenam* & *Domnevam* appellatam,) Merovaldo Pendæ Mercii filio nuptam, quæ *Monaſterium* in Thanato fundavit; *Edburgam*, quæ Mildredæ, ſororis ſuæ filiæ, in præfati monaſterii regimine ſucceſſit, (quam ſcilicet Æthelberti junioris ſororem, & *Mildredæ*, ut *Thornus* docet, materteram, magni regis Æthelberti filiam exſtitiſſe, reclamante licèt temporum ratione, ſomniavit Joannes Speedæus;) & *Ermengitham*, quæ illic etiam conſenuit. Florentius quartam filiam adjicit, nomine Atheldridam. Sed junior Edbaldi filius

Matth. Veſtm. *Ercombertus*, ut habet Florilegus, *callidè regnum fratri ſurripiens, illum regno privavit.* Huic poſtea moriens

Thorn. *Abbat. Auguſt.* *Ermenfredus prædictos filios reliquit, ut eos cuſtodiret, & cùm adulti eſſent eiſdem hæreditatem ſuam fideliter reſignaret; qui per tempus dum viveret*, læſi fratris ut videtur conſcientiâ ac pœnitentiâ ductus, *ejus deſiderium adimplevit: obiit tamen ante legitimam puerorum ætatem, quos Egberto filio ſuo in hæreditatem regiam ſuccedenti attentiùs commendavit, ſub forma & cauſa ſupradictis.* Illum certè regnum, quantumlibèt malè partum, optimè

Malm. *lib.* 1. *cap.* 1. admi-

administrâsse, religione in Deum, pietate in patriam, juxtà insignem, testatur Malmesburiensis. Cùm enim avus & pater citra destructionem idolorum fidem Christianam coluissent, hic parùm, & inferius devotione regiâ arbitratus, si non destrueret propensiore consilio quod illi tacito damnarent judicio, primus regum Anglorum in toto regno suo cuncta idola destruxit, eorúmque sacella complanavit ad solum, ut nullum sacrilegii ad posteros manaret vestigium. Præclarè quidem. Poterat enim vulgus fanaticæ superstitionis admoneri, quamdiu loca pulvinarium suorum non desineret intueri. Atque ut gentem suam, ventri nimis indulgentem, parcitati gulæ doceret insuescere, præcepit per omne regnum suum observari quadraginta dierum solenne jejunium. Magnam prorsus tunc temporis rex rem aggressus, quem nec deliciarum luxus, nec regni sollicitudo à Dei cultu potuit avocare. Per hæc Dei favore tutus, rebúsque domi & foris ex sententia cedentibus, tranquillissimè consenuit. Ità Guilielmus, qui priùs de ejus patre Edbaldo retulerat, quòd, ex quo à Lauentio conversus fuerat, *totâ vitâ integer in fide, nihil quod famam lederet commisit, magno autem momento Christianitatis augmentantis fuit, quódque bonum magnanimiter* pater *inchoaverit, ipse benignè confovit.* Quippe qui *magnam vitæ Pontificum exhibebat venerationem*, etiam quum eorum *negligebat fidem.* Anno sexcentesimo quadragesimo secundo rex Osuvaldus, *rebellione per Pendam regem Merciorum excitatâ*, commisso gravi in agro Salopiensi cum iisdem prælio, cùm annos novem (annumerato, uti dictum est, regum apostatarum tempore) regnâsset, 642. *Idem cap. 3. Annal. Saxon.* Florent. Vigorn.

nâsset, tricesimo octavo ætatis anno, die mensis Augusti quinto, peremptus est. Qui ubi, stipatoribus fusis, ipse quoque ferratam sylvam in pectore gereret, nec atrocitate vulnerum nec mortis conspectu potuit cohiberi, quin pro animabus fidelium suorum Deo supplicaret; atque ità inter verba orationis vitam effudit. Unde ortum est proverbium, *Deus, misereri animabus, dixit Oswaldus cadens in terram.* Fertur etiam, quòd à tempore matutinæ laudis sæpius ad diem usque in orationibus perstiterit; atque ob crebrum morem orandi, sive gratias agendi Deo, semper, ubicunque sedens, supinas super genua sua manus habere solitus sit. Locus pugnæ ab illo nomen *Oswaldes* traxit, Anglicè *Oswaldstre*, Britannicè *Croes Oswald*, priùs ab *Uss* quodam *Maes Usswallt* à Britonibus, & corruptè à Saxonibus *Maserfelt*, appellatus. Victor immanis occisum dira cum atrocitate discerpsit, capútque & manus cum brachiis à corpore præscissas in stipitibus ibi suspendi jussit. Quò post annum elapsum deveniens cum exercitu frater & successor Osuvius, ea sustulit; & caput quidem in Lindisfarnensis ecclesiæ cœmeterio, manus verò cum brachiis scrinio compositas Bamburgi, condidit. Ossa reliqui corporis, diu posthac inventa, ejusdem Osuvii filia *Ostrida*, regi Ætheldredo Pendæ filio nupta, patrui charitate ducta, in *Bardneiensis* non procul à Lincolnia monasterii ecclesia, congruo cum honore tumulavit, vexillúmque ejus ex auro & purpura confectum superimposuit. Quanquam monachi qui Mercii erant primò obniterentur, veteranis eum odiis etiam mortuum insecuti, quia ille, de alia provincia ortus, *in eos* tamen

Bed. *lib.* 3. *cap.* 12.

bello

bellico jure acceperat regnum. Quum verò poſt multos annos Dani ea loca infeſta habuêre, Oſuvaldi oſſa Gloceſtriam Elfleda Merciorum regina, magni Alfredi filia, tranſtulit. Filium unicum ex uxore ſua prædicta Cinigiſili filia reliquit, nomine *Adelvaldum*; qui poſtea in Deira regnavit, & Adelbertum diaconum, Villibrordi comitem, genuit. Sub hoc rege Honorius Archiepiſcopus Cantuarienſis Angliam primus in parochias, ut legitur in *hiſtoria Cantuarienſi*, diſtribuere cœpit. Circa hæc tempora in Albania floruit Columba junior, qui exſtructâ *Caleduni* ſive *Dunealdiæ* eccleſiolâ, primus ibi ſedit epiſcopus. De quo in vita Cudberti Lindisfarnenſis epiſcopi, *ex hiſtoriis Hybernienſium* tranſlata, ità ſcriptum invenimus; *Sanctus Columba, primus epiſcopus in Dunkeld, Cudbertum puerum ſuſcepit, unâque cum puella quadam nomine Brigida, ex Hybernia uranda, retinuit, & aliquandiu educavit.* Ibi poſtea Conſtantinus Pictorum rex auguſtiorem baſilicam condidit, ducentis viginti ſex annis poſt Abernethianam à Garnardo fundatam. Hoc etiam tempore in Hybernia pariter atque Albania Angliâque claruit *Monenna*, ſive *Modunna*, virgo celeberrima, multarum eccleſiarum fundatrix. Cum Oſuvaldo vixerunt Dagobertus, Francorum, Chintillanus, Viſigothorum, & Rotharis, Longobardorum, in Gallia, Hiſpania & Italia, reges.

Idem cap. 11.

Camd. in Divis Britan.

X. *OSUVIUS.*

642. POST Oſuvaldi cædem, Penda victrices per Northumbriæ provincias circumduxit copias, ac *impiâ clade* omnia *longè latèque devaſtans, pervenit ad urbem uſque regiam* Bamburgum, *eámque cùm neque armis neque obſidione capere poterat, flammis abſumere conatus eſt, diſciſiſque vinculis quæ in vicinia urbis invenit, advexit illò plurimam congeriem trabium, tignorum, parietum, virgeorum, aliarúmque rerum. Et bis urbem in magna altitudine circundedit à parte quæ terræ eſt contigua; & dum ventum opportunum cerneret, illato igne comburere eam niſus eſt. Mutati* autem ſubitò *ab urbe venti in eos qui accenderant, flammarum incendia retorſerunt, ità ut aliqui læſi, omnes territi, impugnare urbem ulrà ceſſarent.* Hanc inſperatam civitatis liberationem, Aidani epiſcopi, tunc temporis in *Farna* inſula vicina commorantis, precibus Beda tribuit. Penda tali ſucceſſu conſternatus, quum Northumbrenſes jam reſociatis viribus *Oſuvium, Oſuvaldi* fratrem germanum, anno ſexcenteſimo quadrageſimo tertio regem ſibi conſtituiſſent, abjectâ potiendæ Northumbriæ ſpe, in Orientalem Angliam furibundus irruit. Quo abeunte, rex Oſuvius ad locum ubi frater occubuerat, utì dictum eſt, cum exercitu deveniens, ſuſpenſa ejus ab hoſte rabido in ſtipitibus cum capite brachia ſuſtulit, ac piè ſepelienda curavit. *Joannes Speldus* Oſuvium Adelfridi nothum exſtitiſſe filium ſomniat, contra luculentam Florentii Vigornienſis, Guilielmi Malmeſburienſis,

Bed. *lib.* 3. *cap.* 16.

643. Florent. Vigorn.

burienſis, Matthæi Florilegi, Ranulphi Ceſtrenſis aliorúmque authoritatem, qui ipſum ex Acca regina ſuſceptum fuiſſe conſentiunt. Hoc anno obiit Cinigiſilus Occidentalium Saxonum rex, quum annos triginta duos regnâſſet; cui ſucceſſit filius Cenovalchus. Anno ſequenti 644.
defunctus eſt Paulinus ſexto iduum Octobrium Bed. *lib* 3.
die, quondam Archiepiſcopus quidem Ebora- *cap.* 14.
cenſis, tunc autem Epiſcopus Roffenſis; cui Ithamarum, primum de Anglorum ſtirpe antiſtitem, *de gente Cantuariorum, ſed vitâ & eruditione anteceſſoribus ſuis aquandum*, Honorius Archiepiſcopus ſuffecit. Fuit autem Paulinus, juxta Bedam, *vir longæ ſtaturæ, pau-* *Idem lib.* 2.
lulùm incurvus, nigro capillo, facie macilentâ, *cap.* 16.
naſo adunco pertenui, venerabilis ſimul & terribilis aſpectu. Rex Orientalium Anglorum Si- Bed. *lib.* 3.
gebertus, ubi religionem Chriſtianam in pro- *cap.* 18.
vincia ſua inſtaurâſſet, aliáque illuſtria pietatis ſpecimina edidiſſet, *ad ultimum relictis regni negotiis, & cognato ſuo Egrico commendatis, qui & antea partem ejuſdem regni tenebat, acceptâ tonſurâ*, vitam monaſticam colere inſtituit. *Quod dum multo*, ut Beda prodit, *tempore faceret*, Penda in provinciales efferatus, forſan quòd laborantibus Northumbrenſibus ſubveniſſent, iis arma intulit. *Qui dum ſe inferiores in bello hoſtibus conſpicerent, rogaverunt Sigebertum, ad confirmandum milites, ſecum venire in prælium. Illo nolente, ac contradicente, invitum de monaſterio eruentes duxerunt in certamen; ſperantes, minùs animos militum trepidare, minùs præſente duce quondam ſtrenuiſſimo & eximio poſſe de fuga meditari. Sed ipſe* propoſiti tenax, *dum optimo eſſet vallatus exercitu, non niſi virgam tamen habere in manu*

voluit. Occisúsque est unà cum rege Egrico, & cunctis eorum, insistentibus paganis, casus sive dispersus exercitus. Pugnam istam ad hunc annum retuli, quia Sigebertum huc usque superstitem ex illis Bedæ verbis probabile videtur, ubi eum *ad ultimum reliquisse regni negotia*, ac *multo tempore* in monasterio degisse, testatur; quem ante annum sexcentesimum tricesimum sextum regnare haud cœpisse, priùs
Hunt. *lib.* 2. ostendi. Eúmque *post multos annos* contra Pendam exire coactum, scribit Huntingdoniensis. Et quidem salvo *Osuvaldo* Pendam Merciósque quievisse, nec in vicinos Christianos debacchari ausos esse, regis potentissimi metu coërcitos, est credibile. Sed nec ulteriùs differendum censui hunc conflictum, quum *Annam*, Redovaldi ex fratre *Enio* nepotem, Egrico hoc anno successisse, docet *Cenovalchi* Occidentalium
Malm. *lib.* 1. *cap.* 2. Saxonum regis ad illum secessio. Hunc enim regio luxu insolescentem, & facta paterna in secundis ponentem, ac fidem & sacramenta regni cœlestis susci pere renuentem, *Penda*, quia sorore ejus repudiatâ uxorem aliam superin-
645. duxerat, anno proximo, qui fuit sexcentesimus quadragesimus quintus, omissis Anglis Orientalibus, ferociter aggressus, victum regno exuit, atque ad prædictum *Annam* profugere
Florent. *in Chron.* coëgit. Eodem quoque anno *Osuvinus*, Ofrici regis à Cadovallone Britanno perempti filius, in Deira regnare cœpit, juxta Florentium.
Idem in Gencal. Quanquam idem, in *regum Northumbrensium Genealogia*, regni ejus initium ad annum præcedentem, qui fuit *Osuvii* secundus, refert. Pro
Bed. *lib.* 3. *cap* 14. quo etiam Beda facit, qui eum per septennium regnâsse prodit; nisi annos ejus inclusivè supputare malimus. Anno sexcentesimo quadra-
646. gesimo

geſimo ſexto rex Cenovalchus apud Orientales Anglos exſulans, & propriâ calamitate & regii hoſpitis ſedulitate perſuaſus, fidem ſuſcepit, & à Felice epiſcopo baptizatus eſt. Jámque poſt tres integros exſilii annos exactos, reſumptis viribus, favente regis converſioni Divinâ miſericordiâ, in patriam anno ſexcenteſimo quadrageſimo octavo rediit, pulſíſque hoſtibus regnum ſtrenuè recuperavit. Deinde cognato ſuo atque adjutori Cudredo, regis Quicelmi filio, ex prædiis ſuis tria millia, circa *Aſſandunum*, id eſt, *Fraxini montem*, donavit; qui locus nunc *Aſtona*, Anglicè *Aſhton*, dicitur, éſtque in comitatu *Suthantonienſi*. Eodémque anno Adelvalchus Auſtralium Saxonum regnum capeſſivit.

Malm. *lib.* 1. *cap.* 2. 648. *Annal. Saxon.* Florent. Vigorn. Matth. Veſtm.

Anno quinquageſimo ſupra ſexcenteſimum ad Cenovalchum *de Hybernia* advênit *pontifex quidam nomine Agilbertus, natione Gallus, ſed tamen legendarum gratiâ ſcripturarum non parvo tempore in præfata inſula demoratus. Conjunxítque ſe regi*, inquit Beda, *ſponte miniſterium prædicandi aſſumens. Cujus eruditionem atque induſtriam videns rex, rogavit eum, acceptâ ibi ſede epiſcopali* Dorceſtrenſi, quia Birinus vitâ exceſſerat, *ſuæ gentis manere epiſcopum; qui precibus ejus annuens, multis annis eidem genti ſacerdotali jure præfuit.* In Northumbria regibus Oſuvio & Oſuvino, communem hoſtem Pendam metuentibus, de provinciarum diviſione primitus modeſtè convenerat, ac ſuſpenſo fœdere in ſua pacificè diſceſſum eſt. Verùm non multo pòſt tempore, per homines quibus nihil magìs cordi erat quàm diſcordias ſerere, pax incertis pactionibus ſæpe ludificata, ultimò penitùs abrupta, in ventos abiit. Siquidem

650. Bed. *lib.* 3. *cap.* 7. Malm. *lib.* 1. *cap.* 3.

Bed. *lib.* 3. *cap.* 14. 651. dem congregato contra invicem exercitu, anno ſexcentesimo quinquagesimo primo, cùm videret ſe Oſuvinus cum illo, qui plures habebat auxiliares, non poſſe bello confligere, ratus eſt utilius tunc, dimiſsâ bellandi intentione, ad meliora ſe ſervare tempora. Remiſit ergò exercitum quem congregaverat, ac ſingulis domum redire præcepit à loco qui vocabatur *Mons Vilfari*, Anglicè *Wilfar's Downe*, decem ferme millia paſſuum à Cataracta contra ſolſtitialem occaſum diſſito. Ipſe cum unico milite fideliſſimo, nomine Conderio, ad Humbaldi cujuſdam comitis, quem ſibi amiciſſimum exiſtimavit, ædes divertit, ibi aliquantiſper celandus. Sed à ſceleſto parricida impiè proditus, ab Adelvino præfecto, quem Oſuvius eò miſerat, anno regni ſui ſeptimo, regis inimici nono, in oppido Gillingo crudeliter interemptus eſt. Erat ille aſpectu venuſtus, ſtaturâ ſublimis, manu omnibus largus, pietate, modeſtiâ atque humilitate inſignis. Quarum præcipuè virtutum illuſtre hoc ſpecimen Beda commemorat. Donaverat equum optimum antiſtiti Aidano, in quo ille, quamvis ambulare ſolitus, vel amnium fluenta tranſire, vel, ſi alia quælibet neceſſitas inſiſteret, viam peragere poſſet. Cui quum parvo interjecto tempore pauper quidam occurreret, eleemoſynam petens, deſiliens ille, præcepit equum, ità ut erat ſtratus regaliter, pauperi dari. Erat enim multùm miſericors, & cultor pauperum, ac velut pater miſerorum. Hoc cum regi eſſet relatum, dicebat epiſcopo, Quid voluiſti, Domine Antiſtes, equum regium, quem te conveniebat proprium habere, pauperi dare? Nunquid non habuimus equos viliores plurimos & alias ſpecies quæ

ad

ad pauperum dona ſufficerent, quamvis illum eis equum non dares, quem tibi ſpecialiter poſſidendum elegi? Cui ſtatim epiſcopus, Quid loqueris, inquit, O rex? Num tibi charior eſt ille filius equæ, quàm ille filius Dei? Quibus dictis intrabant ad prandendum, & epiſcopus quidem reſidebat in ſuo loco. Porrò rex venerat de venatu, & cœpit conſiſtens ad focum calefieri cum miniſtris. Et repentè inter calefaciendum recordans verbi quod dixerat illi antiſtes, diſcinxit ſe gladio, & dedit illum miniſtro, feſtinúſque accedens ante pedes epiſcopi corruit, poſtulans ut ſibi placatus eſſet, quia nunquam, inquit, deinceps aliquid de hac re loquar, aut judicabo quid vel quantum de pecunia noſtra filiis Dei tribuas. Quod videns epiſcopus multùm pertimuit, ac ſtatim exſurgens levavit eum, promittens ſe admodum illi eſſe placatum, dummodo ille reſidens ad epulas triſtitiam deponeret. Dúmque rex, jubente ac poſtulante epiſcopo, lætitiam reciperet, cœpit contrà epiſcopus triſtis uſque ad lacrymarum profuſionem effici. Quem dum presbyter ſuus, linguâ patriâ, quam rex & domeſtici ejus non noverant, quare lacrymaretur interrogâſſet; Scio, inquit, quòd non multo tempore victurus eſt rex: nunquam enim vidi antehac humilem regem; unde animadverto, citiùs illum ex hac vita rapiendum; non enim digna eſt hæc gens talem habere rectorem. Nec multò pòſt dira antiſtitis præſagia triſti regis funere impleta ſunt. Sed & ipſe antiſtes Aidanus duodecimo poſt occiſionem regis, quem amabat, die, ſcilicet pridie calendarum Septembrium, pientiſſimam Deo animam reddidit. Hactenus Beda. Sublato æmulo, regni tamen

ejus

ejus haudquaquam compos effectus eſt Oſuvius. *Deiri* enim principis optimi cæde magis irritati quàm perterrefacti, Adelvaldum regis Oſuvaldi filium ſibi regem ſtatuerunt. Ipſe etiam Oſuvius facinoris conſcientiâ ſtimulatus, ejuſdem expiandi gratiâ, in loco quo occubuit Oſuvinus monaſterium poſtea fundavit, procurante reginâ Anfledâ, regis occiſi conſanguineâ, in quo pro utriuſque regis, viz. occiſi atque occiſoris, æterna ſalute quotidianæ preces funderentur. Anno ſexcenteſimo quinquageſimo ſecundo rex Occidentalium Saxonum Cenovalchus, *Bradfordiæ* in agro Viltonienſi juxta *Avonam* fluvium cum hoſtibus congreſſus, inſignem victoriam reportavit. Bellum hoc Fabius Æthelvardus *Civile* appellat; unde Guilielmus Camdenus, hoc tempore contra Cudredum patruelem, nullo prorſus citato authore, depugnatum eſſe ſcribit. At Guilielmus Malmesburienſis, bella Cenovalchi percenſens, hoc prælio *Britannos*, (alteróque poſt paucos annos ſubſequenti, cujus mox fiet mentio,) *antiquæ libertatis conſcientiâ frementes & ob hoc crebram rebellionem meditantes*, *omnino protritos* fuiſſe narrat, pugnæque locum obſoleto nomine *Witgeornesbrug* nuncupat. Quanquam ex Occidentalibus Saxonibus etiam aliquos forſan, qui antea cum Merciis invaſoribus ſenſerant, malè ſibi conſcios, à Britannorum partibus hoc bello ſtetiſſe, unde *Civile* dici poſſet, veri non ſit abſimile.

Florent. Vigorn.

Ped. *lib.* 3. *cap* 24

652.

Annal. Saxon. & Æthelv. *lib* 2. *cap.* 7. Camd. *in Belgis.* Malm. *lib.* 1. *cap.* 2. *Polychr. lib.* 5. *cap.* 15.

653. Anno ſexcenteſimo quinquageſimo tertio *Peda*, regis Merciorum Pendæ filius, (*qui, quum eſſet juvenis optimus*, ut Beda habet, *ac regis nomine & perſonâ dignißimus, prælatus eſt a patre regno* mediterraneorum Anglorum, id eſt,

Bed *lib.* 3. *cap.* 2.

eſt, Leiceſtrenſium,) regem Oſuvium adiit, filiam ejus Alcfledam ſibi conjugem dari poſtulans. Quo ſolâ hâc conditione, ut Chriſtianus fieret, annuente, ſuadente itidem Alfredo Oſuvii filio, priſtinâ ei amicitiâ ac neceſſitudine conjunctiſſimo, quippe qui ſororem ejus Ciniburgam duxerat, Sacrorum Chriſtianorum celebrationi intereſſe conſenſit. Auditâque veritatis prædicatione, & promiſſione regni cœleſtis, ſpéque reſurrectionis ac futuræ immortalitatis, libenter ſe Chriſtianum fieri velle conſeſſus eſt, etiamſi virginem non acciperet. Igitur à Finano epiſcopo, qui Aidano ſucceſſerat, baptizatus eſt cum omnibus qui ſecum venerant comitibus ac militibus, eorúmque famulis univerſis, in vico regio juxta Murum Picticum ſito, unde vicus ille apud Bedam *Ad Murum* nominatur, eodémque ſenſu nunc dierum Anglicè *Walton* appellatur, duodecim millibus paſſuum à mari orientali diſtans. Nuptiis itaque peractis rediens, quatuor ſecum aſſumpſit presbyteros, Ceddum, Addam, Bertam, & Diumam Scotum, qui ejus ſubditos inſtituerent. Qui, à provincialibus libenter auditi, multos quotidie nobilium pariter atque infimorum ſalutari fonte abluerunt. Nec ipſe Penda rex prohibuit, quò minùs in ſua, hoc eſt, Merciorum, natione verbum, ſiqui vellent audire, prædicaretur. Quin potiùs odio habebat & deſpiciebat eos, quos fide Chriſti imbutos opera fidei non habere deprehendit, dicens, contemnendos & miſeros eſſe illos, qui Deo ſuo in quem crederent obedire contemnerent. Memorabile viri pagani apophthegma. Poſt hæc eodem anno Sigebertus Orientalium Saxonum rex ad religionem Chriſtianam converſus Florent. Vigorn.

versus est, Sigeberto parvo ille succèsserat, fuítque pii regis Saberti ex fratre Sigebaldo, ut Florentius in Regum Genealogia & Guilielmus Malmesburiensis, sive Saxbaldo, ut Beda & idem Florentius in Chronico habent, nepos. Qui crebrò ad Osuvium regem sibi amicissimum commeare solitus, illo ridiculam idolorum vanitatem, nec non Omnipotentem atque æternam veri Dei Majestatem, & immensi vitæ futuræ gaudia, seriò ei ac multoties inculcante, facto cum suis concilio, & accedente eorum consensu, cunctisque cum exhortatione favent ibus, ac Fidei annuentibus, à prædicto Finano in villa regia præfata *Ad Murum* cum iis baptizatus est. Ubi autem doctores sibi suísque provincialibus deposceret, *Ceddum* ex Anglis mediterraneis evocavit Osuvius, datóque illi socio, altero quodam presbytero, in Orientalium Saxonum regionem cum Sigeberto misit. Ceddus, post eximiam ibi navatam operam, brevi Northumbriam repetens, Finanum in Lindisfarnia adiit, quem de successu suo prospero certiorem faciens, ab eodem, advocatis aliis duobus præsulibus, in episcopum ordinatus est. Quo gradu auctus remeavit, & majore jam authoritate cœptum opus explens, ecclesias per opportuna loca condidit, presbyteros & diaconos ordinavit, ministerii participes & coöperatores futuros. Ipse duobus præcipuè in locis in agro Essexiensi docendi munere fungebatur; nimirum *Tilburiæ* juxta Tamisim fluvium, & *Ithancestriæ*, quæ Romanis *Othona* dicta, nunc fanum *Sancti Petri ad Aggerem*, (extremo Dengiensis centuriæ promontorio impositum,) nuncupatur. Adeóque gaudente rege, congaudente universo populo,

Malm. *lib.* 1. *cap.* 6. Bed. *lib.* 3. *cap.* 22.

Hunt. *lib.* 3. Joan. Brompt.

pulo, vitæ cœleſtis inſtitutio, poſt Melliti expulſionem diu abdicata, refloruit. Idem Ceddus natale ſolum aliquoties reviſens, (natus enim eſt in comitatu Eboracenſi,) ab Adelvaldo Deiræ rege exoratus eſt, ut poſſeſſionem terræ aliquam ab ipſo ad conſtruendum monaſterium acciperet, in quo ipſe rex ad deprecandum Numen Divinum, verbúmque audiendum, adveniret, & defunctos ſepeliret. Cujus poſtulatis acquieſcens præſul, *Leſtinghamie* ab eo donatæ cœnobium inſigne fundavit. Tres fratres habuit iſte Ceddus, Cimbellum, Ceulinum, & Ceaddam, qui omnes præclari exſtiterunt ſacerdotes. Bed. *lib.* 3. *cap.* 23.

Anno ſexcenteſimo quinquageſimo quarto Penda, Annæ Orientalium Anglorum regi indignatus, quòd Cenovalchum regno pulſum benignè excepiſſet, atque auxiliis ſublevâſſet, levi certamine ſuperatum extinxit, ubi annos circiter undecim regnâſſet. Huic frater ſucceſſit Æthelherius, qui, ut à regno ſuo potentem atque immitem hoſtem averteret, per Internuncios ſpondet, modò arma in Oſuvium convertere velit, ſeſe cum univerſis copiis paratum eſſe ad ineundam cum eo belli ſocietatem. Penda igitur, ſpreto duplici affinitatis vinculo, cum ingenti exercitu rectà in Northumbrenſem ducit. Cujus ubi acerbas diriſſimáſque irruptiones diu pateretur rex Oſuvius, ut tantâ hoſtium multitudine regnum exoneraret, immenſa ei munera obtulit, quovis pretio pacem licitari ac redimere conatus. Quum verò Penda, illiuſce gentis exterminium animo cruento moliens, nullis omnino pactis aut conditionibus acquieſceret; converſus ad vota Oſuvius, ſeſe obſtrinxit, modò victor evaderet, filiam ſacrâ virgi- 654. *Annal. Saxon.* Florent. Vigorn. *Polychr. lib.* 5. *cap.* 16. Bed. *lib.* 3. *cap.* 24.

virginitate Deo dicandam oblaturum, simúlque duodecim possessiones prædiorum ad construenda monasteria donaturum. Atque ità cum exiguo admodum exercitu, qui vix tricesimam hostilis aciei ducibus exercitatissimis instructæ
655. partem exæquaret, in certamen anno sexcentesimo quinquagesimo quinto descendit. Cum
Polychr. lib. 5. cap. 16. Osuvio erat Alfredus filius, nam alter filius Egfridus apud reginam *Cinivisam*, sive *Cinisuitham*, (quam Pendæ uxorem exstitisse docet Ranulphus Cestrensis,) obses eo tempore in Merciorum provincia tenebatur. Cum Penda erant Æthelherius & Adelvaldus, Orientalium Anglorum & Deirorum reges; quorum posterior, ubi Osuvianos fortiter dimicare animadverteret, veterum injuriarum haud immemor, in ipso pugnandi tempore sese prælio subtraxit, eventúmque conflictûs tuto in loco exspectavit. Cujus secessio aliqualem defectionis speciem exhibens, haud parùm Merciis terroris incussisse, nec minus Osuvianis ad victoriam momenti contulisse, videatur. Fugati igitur cæsíque sunt triginta pagani legionum Merciarum duces, & qui in auxilium venerant penè omnes interfecti; in quibus ipse belli author, prædictus *Æthelherius*, secundo regni sui anno occubuit. Penda
Malm. lib. 1. cap. 4. ipse, hâc pugnâ interfectus, congruum meritis exitum sortitus est, pœnásque cæsorum tot illustrium principum, *Edovini*, *Osuvaldi*, *Sigeberti*, *Egrici* & *Annæ*, justissimas luit, *qui per triginta* regni *annos*, ut Malmesburiensis loquitur, *in cognatos grassatus, nihil adversus exteras gentes memorandum commisit.* Ex uxore Cinisuitha filios quinque, *Pedam*, *Volpherum*, *Æthelredum*, *Merovaldum*, & *Mercelmum*, (præter nothum filium nomine *Osuardum*,) filiásque duas,

duas, *Ciniburgam* & *Cinisuitham*, ſuſcepit. Aliam quoque ejus filiam, nomine *Vilburgam*, cuidam *Fridoaldo* ſubregulo, Monaſterii Certeſienſis fundatori, nuptam, memorant Radulphus de Diceto & vitæ *Oſithæ* ſcriptor. Æthelherio regi ſucceſſit Adelvaldus frater, cujus tempore rex Orientalium Saxonum Sigebertus prædictus, cognomento *Bonus*, à cognatis occiſus eſt. Qui nullam aliam tanti flagitii rationem interrogantibus reddere poterant, niſi, quòd eapropter infenſo eſſent in ipſum animo, quia inimicis nimiùm parcere, & irrogatas ab iiſdem injurias obſecrantibus placidâ mente dimittere ſoleret. Fratres duo germani, comitum dignitate pollentes, erant iſti parricidæ; quorum alter illicitas nuptias contraxerat: quem ubi nullis aut commonitionibus aut increpationibus corrigere poſſet Ceddus epiſcopus, eccleſiæ illum communione privavit, ac porrò nè quis ejus aut domum intraret, aut cibos ſumeret, graviter præcepit. Rex autem, à comite rogatus, poſthabito antiſtitis interdicto, ædes vetitas ingreſſus, apparato illic epulo interfuit. Recedens, obvium habuit epiſcopum, factíque conſcientiâ percitus, de equo protinus deſiliens, & ante pedes ejus corruens, veniam reatûs ſui poſtulavit. Deſilivit quoque Ceddus, ſed iratus regem jacentem virgâ tetigit, eíque in præfata domo moriendum eſſe prædixit, quâ ſeſe juſſus abſtinere contempſerat. Sigeberto, uti dictum eſt, impiè obtruncato, ſucceſſit frater Suithelmus, qui in Orientalium Anglorum provincia in vico regio ab eodem Ceddo baptizatus, ſuſceptorem habuit Adelvaldum regem paulò antè memoratum. Vicus ille regius *Rendelſhamia*, id eſt, *Rendili manſio*,

Bed. *lib.* 3. *cap.* 22.

Florent. *in geneal.* Malm. *lib.* 1. *cap.* 6.

manſio, dicitur; nunc villula exigua in Suffolcia, nihil antiquum præter nudum nomen retinet. Sed ad victoriam Oſuvianam revertamur.

Bed. *lib.* 3. *cap.* 24. Pugnatum eſt in agro Eboracenſi juxta *Leodium* oppidum mercatorium; unde veteres Angloſaxones, *Arum* fluvium præterlabentem (*qui tunc præ inundantia pluviarum latè alveum ſuum, immo omnes ripas ſuas tranſierat, ità ut multò plures aquæ fugientes, quàm bellantes enſis perderet,*) ab illo ſucceſſu *Winwid*, id eſt, victoriosum, ipsúmque campum *Winwidfield*, nuncupârunt. Hoc autem bellum rex Oſuvius decimo tertio regni ſui anno, decimo ſeptimo die calendarum Decembrium, cum magna, ut habet Beda, utriuſque populi utilitate confecit. Nam & ſuam gentem ab hoſtili paganorum depopulatione liberavit; & ipſam gentem Merciorum finitimarúmque provinciarum, defecto capite perfido, ad fidei Chriſtianæ gratiam convertit. Primùm igitur, pro collata ſibi victoria, gratias Deo referens, Elfledam filiam ſacrari, prout voverat, curavit; donatis inſuper duodecim poſſeſſionibus terrarum, quarum antea meminimus, nimirum ſex in Deirorum, totidémque in Berniciorum, provinciis. Tradita igitur eſt Elfleda, vixdum unius anni ætatem emenſa, Hildæ Abbatiſſæ in monaſterio *Hartelpolenſi* in agro Dunelmenſi educanda.

Idem lib. 4. *cap.* 23. Quod utique monaſterium *Heina* quædam condidiſſe fertur, quæ prima fœminarum in provincia Northumbrorum propoſitum veſtémque ſanctimonialis habitûs, conſecrante Aidano epiſcopo, ſuſcepiſſe perhibetur. Cui mox *Calcariam* (nunc *Tadcaſtriam* in agro Eboracenſi dictam) abeunti, atque illic ſibi manſionem inſtituenti, præfata Hilda ab eodem Aidano conſecrata

ſecrata ſucceſſit. Rex verò Oſuvius, collecto undique grandi exercitu, perculſos recenti clade Mercios aggreſſus, ſub jugum eos miſit; factiſque Chriſtianis primum tribuit epiſcopum *Diumam*, qui *Licidfeldiæ* in agro Staffordienſi ſedem habuit. Deinde *Pedæ* genero ſuo, Auſtralium Merciorum, quos ab Aquilonaribus Trenta fluvius diſterminat, regnum elargitur; quo ille haud diu lætatus eſt, conjugis ſuæ, ut famâ prodente refert Beda, proditione, anno proximo juxta Florentium, vel anno ſexcenteſimo quinquageſimo ſeptimo juxta Annales, neſariè in ipſo feſti Paſchalis tempore peremptus. Quem tamen non ab uxore Chriſtiana, ſed malis paganæ matris artibus ſublatum fuiſſe, Camdenus & Spedæus ex Roberto Suaphamenſi produnt. Poſt ejus mortem Oſuvius regnum, quod ſibi & victoriæ in patrem, & affinitatis jure in filium competere videbatur, ſuſcepit, tribúſque annis univerſam Merciam tenuit, & à Deiræ cæterarúmque Auſtralium provinciarum populis pro ſupremo Anglorum Monarcha habitus eſt. *Pictorum quoque gentem maxima ex parte regno Anglorum ſubjecit.* Nec Pictorum modò, ſed & *Scotorum gentem quæ ſeptentrionales Britanniæ fines tenet*, illum *maxima ex parte perdomuiſſe ac tributariam feciſſe*, idem Beda alibi ſcribit.

Idem lib. 3. cap. 24.

Florent. Vigorn. 656.

Camd. in Britan. & Sped. Chron.

Bed. lib. 2. cap. 5.

Anno ſexcenteſimo quinquageſimo octavo rex Occidentalium Saxonum Cenovalchus in agro Somerſetenſi contra Britannos pugnavit, juxta oppidulum quod *Pennum* nuncupatur; quam pugnam ſic Henricus exprimit. Britanni ſcientes eum victum fuiſſe à Penda ſtrenuo, & à regno fugatum, minùs aptum exiſtimantes ad onus prælii ſuſtinendum, congregatâ multitu-

658. Malm. lib. 1. cap. 2. Annal. Saxon. Florent. Vigorn. Hunt. lib. 2.

dine gravi cum ſuperbia bellum inierunt. Primâ quidem colliſione Britones Anglos aliquantulùm repulerunt. Cùm autem Angli magis horrerent fugam quàm mortem, & in repercutiendo perſiſterent; defatigati ſunt Britanni, & more nivis liquefacta eſt vis eorum. Dederunt ergò terga percutientibus, & fugati ſunt à *Penno* uſque ad *Pedridan*, (nunc *Pedertonium*, in eodem comitatu,) & facta eſt ſuper progeniem *Bruti* plaga inſanabilis in die illa. Ità Huntingdonienſis. At Fabius Æthelvardus alium hîc Cenovalcho regem adjungit nomine *Pivonnam*, qui forſan ejus aut frater aut filius aut cognatus exſtiterit, cujus nulla tamen præterea mentio occurrit. Anno ſexcenteſimo quinquageſimo nono *Imminus*, *Eba* & *Edbertus*, Merciorum duces, tranſacto jam integro ſub Oſuvii poteſtate poſt regis Pendæ cædem triennio, in Northumbrenſes præfectos inſurrexerunt; quibus demum pulſis ejectiſque, Volpherum Pendæ filium, quem hactenus occultum ſervaverant, regem ſibi conſtituentes, patrios ſimul fines ac libertatem fortiter recuperârunt. Ille à crudelitate regnum malè auſpicatus, proprios filios Volphaldum & Rufinum, eximios adoleſcentulos, quòd à Ceadda Ceddi fratre inſtituti Chriſto ſe addixiſſent, nonâ calendarum Auguſti, barbarâ immanitate trucidavit. Cujus nefandi parricidii mox ipſum adeò pœnituit, ut, inſtante etiam Ermenildâ conjuge, abdicato cultu pagano, Chriſtianus efficeretur. Cellacus, qui *Diumæ* ſucceſſerat, relicto epiſcopatu jam in Scotiam redierat; cui, accerſente Volphero, ſucceſſit Trumherus natione Anglus, ſed à Scotis doctus atque ordinatus. Fuit ille Oſuvini quondam Deiræ regis cognatus,

Æthelv. *lib.* 2. *cap.* 7.

659. Bed. *lib.* 3. *cap.* 24. Florent. Vigorn.

rus, & Gillingenſis monaſterii Abbas primus. Idem Volpherus prædicti ſceleris expiandi causâ monaſterium, quod *Peda* frater occœperat, ſed præcoci morte præventus perficere haud potuit, ab Ætheldredo fratre & ſororibus adjutus, in agro Northantonienſi, ampliſſimis proventibus ditatum, Petro Apoſtolo conſecravit, unde locus dici Petriburgus cœpit. Adeóque *Mercii cum rege ſuo liberi Chriſto* exinde, ut Beda loquitur, *vero regi pro ſempiterno in cœlis regno ſervire* gaudebant. Anno ſexageſimo ſupra ſexcenteſimum rex Occidentalium Saxonum Cenovalchus, extraneæ Agilberti Franci loquelæ pertæſus, quippe qui ſolam Angloſaxonum linguam noverat, regnum ſuum in duas diœceſes diſpertiit; & ſubintroducto novo præſule *Vinâ* nomine, Anglo homine, ſed in Gallia ordinato, ſedem illi epiſcopalem in civitate Vintonia tribuit: unde graviter offenſus Agilbertus, quòd illud ipſo inconſulto egiſſet, in Galliam rediit, factúſque eſt ibi Pariſiorum epiſcopus. Anno ſequente idem Cenovalchus paſchali tempore cum Volphero Merciorum rege conflixit, juxta oppidum quod priſci Angli *Poſentisburgum* appellabant, eúmque, ut Fabius Æthelvardus prodit, *captivum duxit, ſuperato ejus exercitu in Eſteſduno.* Æthelvardo ſuffragari videtur Malmeſburienſis, apud quem, Cenovalchus *in Volpherum Pendæ filium paternam ultus injuriam, plurimâ illum parte regni multâſſe* legitur; & Mercius *primis ferè annis à rege Weſtſaxonum graviter afflictus* fuiſſe memoratur. Cæteri autem ferè omnes rerum Angloſaxonicarum ſcriptores Volphero victoriam tribuunt. Unde duabus vicibus eodem loco annóque certatum eſſe opinor, ità ut Volpherus primo prælio ſuccumbens,

660. Bed. *lib.* 3. *cap.* 7. Florent. Vigorn. *Annal. Saxon.*

661. Æthelv. *lib.* 2. *cap.* 7.

Malm. *lib.* 1. *cap.* 2. & 4.

Annal. Saxon. Florent. Vigorn. Hunt. *lib.* 2.

bens, & forſan captus, mox, aut redemptus, aut elapſus, auctis inſtauratiſque viribus hoſtem profligaret. Actis igitur latè prædis per *Aſſandunum*, nunc *Aſtonam*, uſque ad mare progreſſus, etiam Vectam inſulam ſubegit, quam, idololatrico cultui eatenus deditam, miſſo illuc Eoppâ presbytero, ad Chriſtianam fidem convertere eſt conatus. Eodem anno Cudredus Quicelmi regis filius, ac Cenbertus Cedovallæ, qui poſtea regnavit, pater, & Finanus epiſcopus Lindisfarnenſis, obierunt. Hoc tempore Adelvalchum Auſtralium Saxonum regem, decimo tertio regni ſui anno, à Volphero ſubjugatum fuiſſe ſcribit Matthæus Florilegus. Ejuſdem certè Volpheri ſuaſu, gentilibus numinibus renunciâſſe Adelvalchum, & de lavacro exeuntem ab illo in Mercia ſuſceptum, atque, in adoptionis ſignum, *Meanvarorum* provinciolâ in agro Suthantonienſi & Vectâ inſulâ, nuper Cenovalcho ademptis, (anno ejuſdem Adelvalchi decimo tertio juxta Florilegum,) donatum fuiſſe, Beda aliique complures teſtantur.

Matth. Weſtm.

Bed. *lib.* 4. *cap.* 13.

54. Anno ſexcenteſimo ſexageſimo quarto habita eſt ſynodus Pharenſis in Deira, in qua de ritu feſti Paſchalis celebrandi, de tonſuræ ratione, aliiſque rebus eccleſiaſticis, acriter diſceptatum eſt. Romani Paſchales Dominicas à Luna decima quinta ad viceſimam primam; Britanni, Picti, Scoti & Hyberni, à decima quarta ad viceſimam, obſervabant. Romani, totâ ſupra aures capitis parte attonſâ, inferiorem, ad modum ſpineæ coronæ, qualem in paſſione ſua Chriſtus in capite portavit, intonſam relinquebant; Britanni, Picti, Scoti & Hyberni anteriore tantùm capitis parte tondebantur, rotundâ quidem tonſurâ, ſed imperfecto orbe ab aure ad aurem circum-

cumducto. Illi Petrum Apoſtolum inſtituti ſui authorem præ ſe ferebant; hi Aſiaticarum eccleſiarum exempla atque authoritatem obtendebant. Hos Auguſtinus, Laurentius aliíque ad eccleſiæ Romanæ conformitatem perducere irrito labore deſudârunt. Et cum Finano de iiſdem ritibus *Romanus* quidam, natione Scotus, ſed in Galliæ & Italiæ partibus educatus, haud ità pridem fruſtrà conflixerat. Quum verò Colmanus, itidem Scotus, Finano ſucceſſiſſet, gravior de iſtis rebus nata eſt controverſia. Igitur coacta eſt ſynodus in agro Eboracenſi, in loco qui *Streanſhalch* appellabatur, id eſt, ut Beda interpretatur, Sinus Phari; nunc *Whitby*, ſive *Whitebay*, id eſt, *Sinus Albus*, nuncupatur. Romanis partibus favebant Anfleda regina & rex Alfredus Oſuvii filius, qui nuper Adelvaldo patrueli in Deiræ regno ſucceſſerat. Cum iis erant Agilbertus, olim Saxonum Occidentalium, tunc autem Lutetiæ epiſcopus, Agatho, Vilfridus & Romanus presbyteri, ac Jacobus diaconus, qui cum Paulino veniens in regno Northumbrenſi hactenus reſederat. A parte adverſa ſtabat rex ipſe Oſuvius, utpote inter Scotos educatus, unà cum Colmano Lindisfarnenſi aliíſque Scotorum clericis, nec non Ceddo Orientalium Saxonum antiſtite, ejuſdem Concilii interprete, & Hildâ monaſterii Pharenſis fundatrice paritérque Abbatiſsâ. Præfatur ibi rex Oſuvius, oportere eos qui uni Deo ſervirent unam vivendi regulam obſervare, neque in ſacris ritibus diſcrepare, qui unum omnes in cœlis regnum exſpectarent; inquirendum potiùs quæ eſſet verior traditio, & hanc ab omnibus communiter ſequendam eſſe. Quum itaque Colmanus ſententiam ſuam explicuiſſet, Agilber-

Idem lib. 3. cap. 25. & 26.

Florent. Vigorn. Malm. lib. 1. cap. 3.

tus, qui Alfredi regis inviſendi gratiâ eò acceſſerat, reſpondere juſſus, quia Anglorum linguam haud ſatis calleret, pro ſe Vilfridum presbyterum monaſterii Ripponenſis Abbatem obtulit. Quum igitur Colmanus & Vilfridus diu inter ſeſe irrito labore altercarentur, tandem rex Oſuvius, veritus nè Petrus *oſtiarius* (quippe cui *datus* eſſe *claves regni cælorum* utérque aſſeuerat) ipſum ad fores advenientem haud intromitteret, Romanorum inſtituta, abdicatis Aſiaticis, tanquam minùs perfectis, amplectenda eſſe pronunciavit. Et quidem in hoc conventu modeſtiùs Colmanus, ferociùs ſe geſſiſſe Vilfri-
Bed. *lib.* 4. *cap.* 4. dus notatur. Colmanus, ubi ſpretam doctrinam ſuam, ſectámque eſſe deſpectam cerneret, Scotiam repetiit, cum iis quos in Lindisfarnenſi inſula congregaverat Scotis, & triginta ex Anglorum gente monachis, partem oſſium Aidani epiſcopi ſecum aſſumens. Et primò Jonam inſulam adiit, unde in Angliam miſſus fuerat, atque indè in Hyberniam navigans, commune Scotis Angliſque cum ſecutis monaſterium conſtruxit, in loco qui *Inisbofinda*, id eſt, *Inſula Vitulæ Albæ*, nuncupatur. Quibus ubi malè inter ſe conveniret, relictis illic Scotis, novum Anglis cœnobium, viz. *Magionenſe*, ædificavit. Abeunti Colmano ſuffectus eſt in epiſcopatu Lindisfarnenſi Tuda, apud Scotos Auſtrinos eruditus atque ordinatus; qui eodem anno, ſæviente per Britanniam & Hyberniam peſte, quam Ictericiam fuiſſe ſcriptor vitæ *Geraldi* Saxonis docet, extinctus eſt. Quatuor iſti præſules Scotici, Aidanus, Finanus, Colmanus
Steph. *in vita Wilfridi cap.* 10. & Tuda, quanquam in exigua *inſula delitescentes, nec pallio nec urbis nobilitate inſigniti*, per regnum tamen Northumbrenſe Eboracenſis Metropolitani

tropolitani jura, ut Stephanus Heddius & Simeon Dunelmenſis teſtantur, per annos triginta exercuerunt; quorum præclaram ſanctimoniam ac pietatem Beda eximiis ità celebrat eulogiis. Quantæ, inquit, parſimoniæ cujúſque continentiæ fuerint, etiam locus ille teſtabatur quem regebant, ubi, abeuntibus eis, exceptâ eccleſiâ, pauciſſimæ domus repertæ ſunt, hoc eſt, illæ ſolummodo ſine quibus converſatio civilis eſſe nullatenus poterat. Nil pecuniarum abſque pecoribus habebant; ſiquid enim pecuniæ à divitibus accipiebant, mox pauperibus dabant. Nam neque ad ſuſceptionem Potentium ſeculi, vel pecunias colligi, vel domos prævidere neceſſe fuit; qui nunquam ad eccleſiam, niſi orationis tantùm & audiendi verbum Dei causâ, veniebant. Rex ipſe, cùm opportunitas exegiſſet, cum quinque tantùm aut ſex veniebat, & expletâ in eccleſia oratione diſcedebat. Quòd ſi fortè eos ibi refici contingeret, ſimplici tantùm & quotidiano Fratrum cibo contenti, nil ultrà quærebant. Tota enim tunc fuit ſollicitudo Doctoribus illis, Deo ſerviendi, non ſeculo; tota cura cordis excolendi, non ventris. Unde & in magna erat veneratione tempore illo religionis habitus; ità ut ubicunque clericus aliquis aut monachus adveniret, gaudenter ab omnibus tanquam Dei famulus exciperetur. Síque in itinere pergens inveniretur, accurrebant, & flexâ cervice, vel manu ſignari, vel ore illius ſe benedici gaudebant. Verbis quoque horum exhortatoriis diligenter auditum præbebant. Sed & diebus dominicis ad eccleſiam ſive ad monaſteria certatim, non reficiendi corporis, ſed erudiendi ſermonis Dei gratiâ, confluebant. Porrò, ſi-

Sim. Dun. *in epiſt. de archiep. Eboracenſ.*

Bed. *lib.* 3. *cap.* 26.

quis ſacerdotum in vicum fortè deveniret, mox congregati in unum vicani, verbum vitæ ab illo expetere curabant. Nam neque alia ipſis ſacerdotibus aut clericis vicos adeundi, quàm prædicandi, baptizandi, infirmos viſitandi, &, ut breviter dicam, animas curandi, cauſa fuit; qui in tantum erant ab omni avaritiæ peſte caſtigati, ut nè territoria ac poſſeſſiones ad conſtruenda monaſteria, niſi à Poteſtatibus ſeculi coacti, acciperent. Hactenus Beda. Habuit autem Tuda, juxta Scotorum morem, eccleſiaſticæ tonſuræ coronam; ſed cum Romanis Paſcha obſervavit. Ceddus, Orientalium Saxonum epiſcopus, relictis Scotorum veſtigiis, ad propriam ſedem rediit, ac paulò poſtea monaſterium ſuum Leſtinghamienſe reviſens, prædictâ peſte ſublatus interiit. Eodem quoque anno obierunt Ercombertus Cantianorum & Adelvaldus Orientalium Anglorum reges, ac *Deuſdedit* Archiepiſcopus Cantuarienſis, Honorii ſucceſſor. Uxorem habuit Ercombertus Saxburgam, *Annæ*, Orientalium Anglorum regis, filiam, ex qua duos filios, Egbertum & Lotharium, totidémque filias, Ermenildam, atque Ercongotham ſanctimonialem, genuit. Patri, quum annos viginti quatuor regnâſſet defuncto, ſucceſſit Egbertus. Novem annos regnavit Adelvaldus, & Aldulphum, Æthelherii fratris ex Hereſuitha, Hildæ Abbatiſſæ ſorore, filium, habuit ſucceſſorem. Hoc tempore in Orientalium Saxonum provincia regnabant, poſt Suithelmum, Sebba Sevardi filius, ejúſque ex fratre Sigeberto parvo nepos Sigerus ſive Sigarus, regi Merciorum Volphero ſubjecti. E quibus Sigerus regionem præfatâ lue graviter afflictam conſpicatus, relictis

Bed. *lib.* 3. *cap.* 23. Florent. Vigorn.

Bed. *lib.* 3. *cap.* 30.

relictis Christianæ fidei sacramentis, cum sua parte populi in apostasiam dilapsus, fana pridem deserta restaurare, & simulacra adorare cœpit; eorum ope populum peste liberatum iri sperans. Quod ubi Volpherus comperit, Jarumanum (aliis Germanum dictum) Merciorum episcopum, Trumheri successorem, illò misit, qui prædicatione assiduâ pissque alloquiis regem populúmque ab errore sacrilego revocavit. Sebba autem, regni consors, à religione Christiana cum suis haudquaquam desciverat. Post *Tude* mortem rex Deirorum Alfredus Vilfridum presbyterum ab Agilberto aliísque undecim Francorum episcopis consecrari fecit, qui Eboracensi ecclesiæ præficeretur. At illo diutiusculè in transmarinis partibus demorante, rex Osuvius, suadentibus Quartadecimanis, *Ceaddam*, qui post fratrem *Ceddum* abbatiæ Lestinghamiensi præfuit, Cantuariam misit. Sed mortuo ante ejus adventum, utì dictum est, Archiepiscopo, ad Occidentalium Saxonum provinciam divertere necessum habuit *Ceadda*, ubi à Vina antistite Vintonienli, duobúsque aliis de Britonum gente præsulibus, ordinatus, episcopatum Eboracensem tribus annis sedulò administravit. Hunc nostri linguâ vernaculâ *Chad*, fratrémque ejus Ceddum *Ched* appellitant. Vilfridum redeuntem, ac ventis diversis in Sussexiam actum, incolæ adhuc pagani acri conflictu excepêre; sed sociis strenuè dimicantibus repulsi sunt hostes, solvénsque indè episcopus ad littus Cantianum appulit. Ab Egberto rege benignè exceptus est; & quia tunc temporis vacaret sedes Cantuariensis, presbyteros & diaconos ubi opus erat per illam regionem ordinavit.

Idem cap. 28.

Malm. de Pontif. lib. 3.

navit. Domum reverſus, *Ceaddam* Eboracenſibus præſidentem reperit; ideóque ad abbatiam ſuam Ripponenſem ſecedens, officio illic ſacerdotali jugiter functus eſt, invitante crebrò & rogante Volphero Mercio, ut aliquam terræ portionem ab ipſo acciperet, in qua vel monaſterium, vel etiam epiſcopatum fundaret.

666. Beda *lib.* 3. *cap.* 7. Florent. Vigorn. Anno ſexcenteſimo ſexageſimo ſexto *Vina*, epiſcopatu à Cenovalcho rege pulſus, Volpherum adiit, emptâque ab eo ſede Londinenſi, ejuſdem præſul ad mortem uſque permanſit; quod primum *Simoniæ* ſtigma Angliæ inuſtum eſſe memoratur. Anno ſequenti reges Oſuvius & Egbertus, habito inter ſe conſilio quid de ſtatu eccleſiæ Anglorum eſſet agendum, communi conſenſu Vighardum, genere Anglum, in eccleſiaſticis diſciplinis doctiſſimum, Romam miſerunt, in Deuſdedit Archiepiſcopi locum à Vitaliano Papa conſecrandum. Qui quum Pontifici miſſa à regibus donaria ſplendida tradidiſſet, itineríſque ſui cauſam exhibuiſſet, priuſquam voti compos fieri poſſet, & ipſe, & omnes ferè qui cum eo advenerant ſocii, peſte ſuperveniente prærepti ſunt. Vitalianus, nè incaſsùm cederet regum legatio, idoneum undique virum circumſpicit quem in Britanniam mitteret. Primò igitur Afrum quendam, nomine Adrianum, virum eruditiſſimum, Niridani juxta Neapolim cœnobii abbatem, accerſivit: qui ſeſe tanto gradui imparem profeſſus, alium de vicino virginum monaſterio, Andream nomine, obtulit. Ille ab omnibus eo honore dignus judicatus, corporis tamen valetudine prohibitus eſt; rurſúſque Adrianus interpellatur. Erat Romæ hoc

667. Beda *lib.* 4. *cap.* 1.

tempore

tempore monachus Adriano familiaris, nomine Theodorus, Tharſi in Cilicia natus, vir ſeculari & divinâ literaturâ egregiè inſtructus, linguarum Græcæ & Latinæ ſcientiſſimus, annos ætatis ſexaginta ſex emenſus. Hunc Adrianus Pontifici offerens, ut Archiepiſcopus ordinaretur anno ſexcenteſimo ſexageſimo octavo impetravit, eâ conditione interpoſitâ, ut ipſe proficiſcenti comitem ſe adjungeret, non modò doctrinæ coöperator, ſed etiam inſpector futurus, nè quos fortè homo Græcus Aſiaticorum ritus, à Romanis diſcrepantes, introduceret. Igitur *Biſcopio Benedicto* nobili Anglo tunc Romæ commoranti perducendos in Britanniam Pontifex commendavit. Theodorum, ab Agilberto aliiſque præſulibus Gallicis humaniſſimè aliquandiu tractatum, miſſus ab Egberto rege Redfridus præfectus ſecum in Cantium anno conſecrationis ſecundo tranſportavit. Primus ille Archiepiſcopus fuit cui omnis Anglorum eccleſia manus dare conſentiret. Qui utique *primus*, ut Guilielmus loquitur, *vigorem pontificalem* tam latè *exercuit*, *citráque & ultra Humbrum epiſcopos*, *hos pro placito poſuit*, *hos abegit*. Mox peragratâ Angliâ, locis opportunis epiſcopos conſtituit; & *Ceaddam*, cujus priorem ordinationem minimè comprobavit, modeſtâ ejus humilique ſubmiſſione delectatus, denuo conſecravit, & monaſterio Leſtinghamienſi, quò poſt triennem epiſcopatum ſe receperat, eductum, petente Volphero, ac concedente Oſuvio, eccleſiæ Licidfeldenſi antiſtitem, mortuo jam Jarumano, præfecit. Quo tempore Vilfridus Eboracenſis eccleſiæ tenuit epiſcopatum, nec non & omnium Northumbrorum, ſed & Picto-

668.

669.

Idem cap. 2. Malm. de Pontif. lib. 1.

Pictorum, quousque rex Osuvius imperium protendere poterat. Hoc etiam tempore Boselus senior, ac Botulphus abbas, & *Bruna* virgo Cambrobritannica, (Anglosaxonibus *Vinifreda* nuncupata,) claruerunt. Anno septuagesimo supra sexcentesimum rex Osuvius, anno regni vicesimo octavo, atque ætatis quinquagesimo octavo, ac decimâ quintâ calendarum Martiarum, defunctus est; qui, si ex ægritudine convaluisset, Romam adire, ibíque quod vitæ residuum foret transigere decreverat. Regnum ille non sine gravibus ærumnis administraverat, à Penda & Volphero Merciæ, Adelvaldo proprióque filio Alfredo Deiræ, regibus impugnatus: quibus tamen omnibus superior demum evasit. *Et primus quidem amplissimúsque*, inquit Malmesburiensis, *laudum ejus cumulus exstitit, quòd fratrem* Osuvaldum *& avunculum* Edovinum *nobiliter ultus, Pendam regem Mercíorum, illud vicinorum excidium, illud perduellionum seminarium, exitio dedit, ex quo tempore tam Merciis quàm omnibus penè Anglis vel ipse præsedit, vel præsidentibus imperavit.* Et à Beda inter reges potentissimos annumeratur. Uxorem habuit Anstedam, regis Edovini filiam, ex Cantio adductam: ex qua duos filios genuit, Egfridum & Alphuinum; ac tres filias, Alcstedam Pedæ, Ostridam Ætheldredo, Merciorum regibus, nuptas, atque Elstedam, Abbatissam *Pharensem.* Filium quoque nothum habuit nomine Alfredum, cujus crebra priùs se ingessit mentio. Hic est ille *Alfredus filius regis Anglorum*, quem *Moduenne* sive *Monenne* Biographi, acerbo quo laborabat morbo ab ea liberatum fuisse, tradunt. Sepultu est Osuvius,

670. Bed. *lib.* 4. *cap.* 5. Malm. *lib.* 1. *cap.* 3. Bed. *lib.* 2. *cap.* 5. Florent. Vigorn. *in genal.*

ut

ut & conjux ejus Anfleda, in ecclesia Pharensi. Cum Osuvio vixerunt Clodovæus & Clotharius, Francorum, Cindasuindus & Recesuindus, Visigothorum, Rodoaldus, Aribertus, Gondibertus & Grimoaldus, Longobardorum, in Gallia, Hispania & Italia, reges.

XI. *E G-*

XI. EGFRIDUS.

670. OSUVIO morienti filius ſucceſſit Egfridus, cujus etiam imperio ſeſe *Deiri*, *reprobato* Alfredo *notho*, ſubmiſerunt.

Malm. *lib.* 3. *de Pont.* Nec *ſuo* ille, ut habet Malmesburienſis, *officio deerat, regnum dilatando in Pictos, tuendo in Mercios. Picti enim, defuncto rege Oſuvio, parvi facientes teneram regis adoleſcentiam, prorunnt ultro & conſpirant in Northumbrenſes: quibus, cum ſubregulo Bernego, regius juvenis occurrens, ità paucis ſuis militibus innumerabilem Pictorum delevit exercitum, ut campi cadaveribus conſtrati planitiem amitterent, flumina curſu intercepto ſubſiſterent.* Ità Guilielmus. Eodem anno rex Occidentalium Saxonum Cenovalchus, graviſſimis regni ſui damnis ſe ideo ab hoſtibus ſæpiſſimè afflictum fuiſſe animo reputans, quòd tam diu Pontifice deſtituta eſſet provincia, Agilbertum Pariſienſem per nuncios humillimè deprecatur, ut ad Sedem priſtinam redire dignaretur. At ille, ut Bedæ verbis utar, ſe excuſans, & eò venire non poſſe conteſtans, quia epiſcopatu propriæ civitatis ac parochiæ teneretur aſtrictus; nè tamen obnixè petenti nil ferret auxilii, miſit pro ſe presbyterum nomine Eleutherium, nepotem ſuum, dicens quòd ipſe eum epiſcopatu dignum eſſe judicaret. Quem, honorificè à rege populóque ſuſceptum, rogatus Theodorus Archiepiſcopus antiſtitem iis ordinavit. Qui conſecratus, epiſcopatum Geviſſorum ex ſynodica ſolus ſanctione ſedulo moderamine re-unitum

Bed. *lib.* 3. *cap.* 7. *Annal. Saxon.* Florent. Vigorn.

671. geſſit. Anno proximè ſequenti Adrianus Abbas,

bus, ex Ebroini cuſtodia dimiſſus, ad Theodorum Archiepiſcopum pervenit, qui ipſum Auguſtiniano in Cantuaria monaſterio præfecit. Retinuerat verò illum Ebroinus, quòd ab Imperatore miſſum opinaretur, ad tranſigendum cum Britanniæ regibus adverſus Francos, apud quos ipſe Major domûs regiæ exſtitit. Anno ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſecundo Cenovalchus, anno regni ſui triceſimo primo, (annumerato illo uno anno quem cum patre conſors poteſtatis exegerat,) *moriens, regni arbitrium uxori Saxburgæ delegandum putavit. Nec deerat Mulieri ſpiritus ad obeunda regni munia*, inquit Malmesburienſis: *ipſa novos exercitus moliri, veteres tenere in officio, ipſa ſubjectos clementer moderari, hoſtibus minaciter infremere, prorſus omnia facere, ut nihil præter ſexum diſceneres: veruntamen plus quàm animos fœminæ anhelantem vita deſtituit vix annuâ poteſtate perfunctam.* Florilegus, poſt primum regiminis annum, *indignantibus regni magnatibus, ſub ſexu fœmineo militare nolentibus, regno depulſam* prodit. Illâ igitur anno ſexcenteſimo ſeptuageſimo tertio, vel juxta Florilegum expulsâ, vel juxta Malmesburienſem (cujus potior eſt authoritas) mortuâ, ſubreguli illud regnum inter ſe diviſerunt; quorum præcipuus *Centuſius, ſecundùm dicta regis Alfredi*, duobus annis regnavit. Eodem anno Egbertus Cantianorum rex, quum annos novem regnâſſet, defunctus eſt; quo locum donante, Baſſa, olim dux, tunc presbyter, Regulbienſe monaſterium fundavit. Cujus Egberti collatis cum Oſuvio conſiliis debetur gratia, quòd Theodorus atque Adrianus in Britanniam venerint, quorum operâ effectum eſt, ut Græcæ Latinæque linguarum,

Bed. *lib.* 4. *cap.* 1.

672.

Malm. *lib.* 1. *cap.* 2.

673.

Florent. *in Geneal.*

rum, metricæ artis, aſtronomicæ, arithmeticæ, cæteræque philoſophiæ ſtudia, eatenus intra Cantii limites coarctata, per omnia Anglorum regna efflorescerent. Neque unquam prorſus, inquit Beda, ex quo Britanniam petierunt, Anglis feliciora fuêre tempora; dum & fortiſſimos Chriſtianóſque habentes reges, cunctis barbaris nationibus eſſent terrori, & omnium vota ad nuper audita cœleſtis regni gaudia penderent. Et quicunque lectionibus ſacris eruditi cuperent, haberent in promptu magiſtros qui docerent. Et quidem Guilielmus Malmesburienſis adventum Theodori Archiepiſcopi & Adriani Abbatis temporum illius imputat gloriæ, doctorum virorum, & qui omnem literaturam imis medullis combiberant: quod niſi eſſet uſquequaque detritum, libenter, inquit, pergerem referre, quantum lucis tunc per eos orbi Britannico infulſerit; quomodo hinc Græci, hinc Latini, palæſtras literarum certantibus ſtudiis in unum contulerint, & inſulam, tyrannorum quondam nutriculam, familiare philoſophiæ domicilium effecerint. Sed hoc, & quicquid boni poteſt diebus Egberti adſcribi, attenuat facinus, quo Ætheldredum & Æthelbertum, filios patrui Ermenfredi, Thunnerò ſycophantâ aulico inſtigante, aut interemit, aut ab eodem interimi æquanimiter paſſus fuit. Cujus ſceleris diluendi causâ, territorium quoddam in Thanato inſula Domnenæ eorum ſorori tradidit, ubi illa monaſterium fundavit, & facta eſt prima ejus Abbatiſſa. Filios duos reliquit Egbertus, Edricum & Vidredum; ac fratrem Lotharium habuit ſucceſſorem. Hoc anno Theodorus Archiepiſcopus Cantuarienſis Hertfordiæ concilium celebravit, præſentibus Vilfrido

Bed. *lib.* 4. *cap.* 2.

Malm. *lib.* 1. *cap.* 1.

Vilfrido Northumbrenſium, Biſâ Orientalium Anglorum, Eleutherio Occidentalium Saxonum, Vinfrido Merciorum & Puttâ Roffenſium epiſcopis. Ubi ea quæ à Patribus tranſmarinis canonicè ſunt antiquitus decreta, cuſtodienda hîc ab Anglis decernuntur. Natum fuiſſe hoc tempore *Bedam Venerabilem*, ipſe in Eccleſiaſticæ hiſtoriæ fine, ætatis ſuæ annos dinumerans, oſtendit.

Anno ſexcenteſimo ſeptuageſimo quarto, vi- 674.
vente etiamnum Cenfuſio, ejuſdem filius Eſcuinus, & Cenovalchi frater Centuinus, in Occidentalium Saxonum provincia regnare cœperunt. Porrò alium Cenovalcho præter Centuinum Guilielmus Malmesburienſis fratrem tribuit, nomine Agelvinum, inter Sanctos relatum. Pater autem Eſcuini Cenfuſius Cenferti, Cenfertus Cuthigiſili, Cuthigiſilus Ceolulphi, Ceolulphus Chenrici regis filius exſtitit. Circa hæc tempora, ſuperſtite adhuc *Biſâ* Anglorum Orientalium præſule quarto, ſed graviſſimâ infirmitate ab adminiſtrando epiſcopatu prohibito, duo ſunt pro illo, Ecca & Beduinus, electi & conſecrati epiſcopi, illo *Dunwici* in Suffolcia, hoc *Helmhamiæ* in Norfolcia ſedem habente. Ab his Oſitha, Fridoaldi ducis ex *Vilburga* Volpheri regis ſorore filia, velum accepit. Hanc Moduenna ſeu Monenna inſtituerat, atque Edithæ virginis curæ commendaverat, quæ deinde Sigero Orientalium Saxonum regi deſponſata, ſed non nupta, in villa *Chiennſi* in Eſſexia, ſibi à Sponſo regio tradita, ſacrarum virginum cœtui præfuit. Offenſus à Vinfrido Merciorum antiſtite, per meritum cujuſdam inobedientiæ, Theodorus Archiepiſcopus eum de epiſcopatu depoſuit, &

Malm. de Pontif. lib. 2.

Annal. Saxon. Florent. Vigorn.

in ejus loco Saxulphum ordinavit; quod anno
675. ſexcentesimo ſeptuagesimo quinto factum esse
Florent. notat Florentius. Quo etiam tempore idem
Vigorn. Ercenovaldum Londini episcopum constituit.
Hoc anno, juxta Bedfordiam, Escuinus cum
Volphero conflixit: quod prælium ità describit
Hunt. *lib.* 2. Huntingdonensis. Escuini, inquit, *regis anno secundo fuit pugna gravissima inter eum & Volpherum regem Merciensem. Rex verò Merciensis, patriâ & avitâ virtute usus, aliquantulùm præstantior pugnâ fuit. Utrique tamen exercitus terribiliter contritus est, & multa millia utrinque ad inferos demersa sunt.* Post hanc pugnam Volpherus in Northumbrenses *efferatus*,
Malm. *lib.* 3. *de Pont.* ut Malmesburiensis loquitur, *ductavit exercitum, quippe qui meminisset patrem suum ab eis interemptum. Itaque veniebat animo regi fidenti, ut aut sarciret dispendium, aut acquireret regnum. Enimvero prosequebatur eum fortuna non bona, nec penè prosperior quàm paterna; nisi quòd terga turpiter nudatus, inglorius effugit, nec multis pòst diebus superstes, partem provinciarum Northumbrorum regi Egfrido cessit.*
Florent. Vigorn. Volpherus igitur in fata concedens, duos liberos ex Ercomberti Cantiani filia Ermenilda susceptos reliquit, viz. Cenredum, & Vereburgam sanctimonialem. Excessit anno regni decimo septimo, qui regum Merciorum primus in tota gente sua Dæmoniorum culturam destruxit, & penitùs eradicavit, Christique nomen ubique locorum regni sui prædicare jussit,
Malm. *lib.* 1. *cap.* 4. & multis in locis ecclesias ædificavit. Sed hæc & quæcunque ejus bona inficit & deprimit gravis Simoniæ nota, quòd primus regum Anglorum sacrum episcopatum Londini cuidam Vinæ ambitioso venditârit. Successit ei frater

Æthel-

Æthelredus, cujus permiſſu alter frater Merovaldus in *Hecana*, ſive agro Hereſordienſi, regnavit, Mereſini & Mildredæ, Milburgæ & Milgithæ pater. Poſt Merovaldi mortem, regnavit ibi alter frater Mercelmus. Hoc anno obiit Cenſuſius; annóque ſequenti (ſeu morte naturali, ſeu vi alienâ, incertum) ejus filius rex Eſcuinus. 676.

Rex Merciorum Æthelredus, inſolenti quodam Lotharii reſponſo incenſus, cum ingenti exercitu Cantium, abſque ullo eccleſiarum aut monaſteriorum reſpectu, ſæviſſimâ populatione vaſtavit, civitatem quoque Roffenſem communi clade abſumpſit; Lothario rege, bellatore non ignavo, ſe tam potenti hoſti imparem confeſſo, & obviàm procedere verito.

Anno ſexcenteſimo ſeptuageſimo octavo, 678.
ortâ inter regem Egfridum & Vilfridum epiſcopum diſſenſione, pulſus eſt ſede ſuâ antiſtes, & duo in ejus locum ſubſtituti epiſcopi, viz. *Boſa*, qui Deirorum, & *Eta*, qui Berniciorum provinciam gubernaret; ille in civitate Eboraci, hic in Haguſtaldenſi & Lindisfarnenſi eccleſiis, cathedram habens epiſcopalem; ambo de monachorum collegio in epiſcopatûs gradum aſciti. Cum quibus & *Ethedus* in provincia Lincolnienſi, *quam nuperrimè* (ſcilicet intra noviſſimum triennium) *rex Egfridus, ſuperato in bello & fugato Volphero, obtinuerat*, ordinatur epiſcopus. Vilfrido invidiam conflaverant inimici quidam, quòd abbatias complures haberet; quòd aureis & argenteis vaſis ſibi miniſtrari faceret; quòd clientum turba, nitore veſtium ſuperbiens, illius latus obambularet. Quæ ubi fama ad Theodorum perlata eſt, is non moratus, inconſulto Vilfrido, tres

Bed. *lib.* 4. *cap.* 12.

Malm. *lib.* 3. *de Pont.* Florent. Vigorn.

præſules memoratos in ejus diœceſi conſecravit; ſatius eſſe dicens, ut tres alerentur epiſcopi unde unus tumebat, ſufficere tantos ſumptus tantæque diœceſis circuitum tribus quatuórve epiſcopis. Romam igitur contendere decrevit Vilfridus, ut Papam de hiſce rebus certiorem faceret: ſed ſtructas ſibi in Gallia inſidias præſentiens, Friſiam navigio petiit, ibíque, à rege & populo honorificè exceptus, inſtantem hyemem exegit. Continuò ad ejus prædicationem Adelgiſus rex, gentilem tumorem inflexus, faciliorem in cæteros prædicationis viam aperuit. Hunc quum ad Vilfridum tollendum vel pellendum allicere conatus eſſet Ebroïnus, dux Francorum, aurum immenſum pollicitus, irritus fuit. Chartam enim, audiente Vilfrido & epulante, in triclinio lectam Adelgiſus in ignem projecit, dicens, Sic ardeat qui pactum cum amico initum pro auri cupiditate diſſolvit. Haud ità multis poſt Vilfridi abſceſſum diebus, Ætheldredus rex Merciorum, arma in Northumbrenſes induens, fraternas injurias ultum ire cupiebat. Occurrit ei animoſus Egfridus, ſolito terrore acturum exiſtimans. Conſerto itaque gravi prælio juxta fluvium Trentam anno ſexcenteſimo ſexageſimo nono, fuſæ fugatæque ſunt Egfridi copiæ, occisúſque eſt ejus frater Alphuinus, annos circiter octodecim natus. Victor Mercius provinciam Lincolnienſem recuperat, & Ethedum antiſtitem ejicit. (Vinfridum quoque, quondam epiſcopum, tunc verò abbatem, regno ſuo excedere jubet, quòd Egfrido faviſſe argueretur. Is Gallico littori fortè appulſus, in Theodericum regem & Ebroïnum incidit, quibus ex Britannia mandatum erat, ut Vilfridum epiſcopum

679. Bed. *lib.* 4. *cap.* 21. Malm. *lib.* 3. *de Pont.*

pum caperent & ſpoliarent. Quem illi, errore nominis acti, ſociis occiſis & rebus ablatis, abire ſiverunt. Luit ergò ille ambiguitatem, aut potiùs ſimilitudinem vocabuli, alienúmque periculum ſuo redimens, vel nudus profugit à latronibus.) Quum autem materies belli acrioris inter reges populóſque feroces videretur, Theodorus Archiepiſcopus cœptum tanti periculi funditus extinxit incendium, eâ lege, ut Ætheldredus, retentâ ſibi quam occupaverat regione, certam aliquam pro interfecto Alphuino pecuniæ mulctam regi ultori numeraret. Cujus fœdera pacis multo exinde tempore inter eoſdem reges eorúmque regna durârunt. Interea Vilfridus, Friſiâ diſcedens, *ad Dagobertum regem tranſrhenanorum* ſive Auſtraſiorum *Francorum venit. Ille non immemor, quòd ipſum quondam factione magnatum pulſum, & do Hybernia ad ſe venientem, hoſpitio receperit, & equis ſociiſque adjutum patriæ remiſerit, benignè habuit, multiſque fruſtrà precibus fatigavit, ut Stratburgenſem* in ſuo regno *epiſcopatum* ſuſcipere dignaretur. Hic Dagobertus haud alius eſt quàm Sigeberti Auſtraſii filius, quem à Grimoaldo Domûs Regiæ Majore, regnum ad filium ſuum Childebertum transferre moliente, attonſum, atque in Scotiam, id eſt, Hyberniam, relegatum, Scriptores Francici memorant, de ejus reſtitutione nihil prodentes. Quanquam poſt Childerici patruelis obitum rediiſſe eum, atque illic regnâſſe, ex Guilielmi Malmesburienſis de Vilfrido verbis modò citatis, quæ ille ex Stephano Heddio, Dagoberti & Vilfridi ſynchrono, deſumpſit, luculentiſſimè conſtat. Fuiſque ille ultimus Auſtraſiæ rex. Enimvero Vilfridus Romam perveniens, atton-

St ph. *de Vi. Wilfr.*

attonitam ſui exſpectatione urbem offendit. Nam Theodorus monachum quendam nomine Cenovaldum, accuſationes ſcriptas deferentem, præmiſerat. Quapropter ab Agathone Papa coactum eſt epiſcoporum abbatúmque complurium in Conſtantiniana Baſilica Concilium, qui de Vilfridi cauſa eccleſiarúmque Anglicanarum ſtatu cognoſcerent. Illi eum immeritò ſede ſuâ depulſum, ac proinde confeſtim reſtaurandum eſſe, decernunt. Mox inter epiſcopos, contra Eutychianos & Monotheletas concilium agitantes, reſidere juſſus, fidei rationem pro ſe ac comprovincialibus reddidit; quam Papa cæteríque omnes catholicam atque orthodoxam eſſe pronunciárunt. Hinc gloriabundus in patriam remeavit, aditúque, ægre licèt, ad regem impetrato, Scita Pontificis ſigillata prætendit. Quæ ubi ille coram aliis epiſcopis relegi feciſſet, tantùm à reverentia Romanæ Sedis abfuit, ut, *decreta illa coempta pretio* cauſatus, *quia Romani muneribus ſe lenocinentur*, ſuis omnibus ſpoliatum, comitibúſque in diverſa deductis, carceri rex mancipáret; donec amitæ propriæ Æbbæ Abbatiſſæ ſuaſu emollitus, redditis quæ abſtulerat, liberum ex ipſius ditione abire ſineret. Ergò pulſus natali ſolo Vilfridus, Occidentalium Saxonum provinciam petiit, exceptúſque ibi à quodam Bertualdo, viro nobili, paucis omnino diebus latebram fovit. Siquidem rex Merciorum Ætheldredus, *cui vir ille parebat*, (erat enim filius fratris ejus, forſan Pedæ regis aut Oſuardi,) acriter per nuncios ei præcepit, ut nè uno quidem die ipſum retineret. Hæc in aſſentationem Egfridi præſtitit, cui & fœdere & affinitate junctus fuit. Bertualdum illum ipſum

Malm. *lib.* 3. *de Pont.*

ipſum eſſe qui primus ex Anglorum gente Abbas Glaſtonienſis fuit, exiſtimo, quòd idem quoque Malmesburienſis, alibi, etiam eum *fratrii Æthelredi regis Merciorum filium* vocat; qui nullâ aliâ ratione Æthelredo paruiſſe hîc dici poſſit, quàm mero cultûs atque obſervantiæ reſpectu, qualem nepotes patruis exhibere ſolent; niſi duntaxat quòd tunc temporis in ejus regno commoraretur, cùm ejus Abbatia in Viliſaxonum regione poſita eſſet. Nihil enim Mercio in *Geviſſos* juris competebat, quorum reges hoc ipſo tempore Glaſtoniam tenuiſſe probant Cenovalchi & Centuini Donationes eidem Bertualdo conceſſæ. Ubi autem loci Vilfridum ille exceperit, incompertum eſt. Indè autem, monaſteriolo jam ibi ædificato Vilfridus relictis monachis ſuis, profugus ad Auſtrales Saxones divertit. Rex Adelvalchus, auditis peregrinationis cauſis, prompto ad auxiliandum antiſtiti animo concurrit, ſpondétque, ſeſe eum inimicis nec prece velle prodere, nec pretio diſtrahere. Quâ tutelâ fretus præſul, ad peragendum inter populum adhuc paganum miniſterii opus ſe accingit: tantúmque profecit, ut concedente, immo multùm gaudente rege, primos provinciæ duces ac milites ſacro fonte ablueret. Rex ipſe pridem, utì dictum eſt, in Merciorum provincia baptizatus Volpherum regem habuerat Suſceptorem; uxorémque Ebbam duxerat Anfridi filiam, in ſua inſula, id eſt, Vectiorum provincia, ab Eoppa baptizatam. Anfridus enim fratérque Anherus, prædicante illo, fidem Chriſtiánam cum ſuo populo ſuſceperant. Tota autem præterea Vecta inſula idolis adhuc litavit. Ante Vilfridi adventum, Dicullus quidam Scotus, aliíque fra-

Idem in Antiqu. Glaſton.

Bed. *lib* 4. *cap.* 13.

tres quinque vel ſex, monaſteriolum permodicum, in loco qui *Boſcehamia* vocatur, ſylvis & mari circundatum, habitaverant, humili & paupere vitâ Deo famulantes. Sed provincialium nemo eorum vel vitam æmulari, vel prædicationem audire, curabat. Per integrum triennium nulla illis in locis pluvia ceciderat, unde fames acerbiſſima plebem invadens impiè nece proſtravit, ità ut ſæpe quadraginta ſimul aut quinquaginta homines inediâ macerati procederent ad præcipitium aliquod ſive ripam maris, & junctis miſerè manibus pariter omnes, aut ruinâ perituri, aut fluctibus abſorbendi, deciderent. Verùm ipsâ die quâ baptiſma fidei gens illa ſuſcepit, pluvia deſcendit ſerena & copioſa, refloruit terra, rediitque viridantibus arvis annus lætus & frugifer. Porrò, Wilfridus fame diuturnâ afflictos piſcando victum quærere docuit. Adeóque illi, abjectâ priſcâ ſuperſtitione & exſufflatâ idololatriâ, Deum verum bonorum omnium largitorem coluerunt atque adorârunt. Nam cæteram plebem Eoppa, Padda, Brucelinus & Odda, presbyteri, vel tunc, vel tempore ſequente baptizabant.

680. Anno octogeſimo ſupra ſexcenteſimum co-
Bed. *lib.* 4. *cap.* 17. acta eſt à Theodoro Archiepiſcopo ſynodus Hatfeldiæ in agro Hertfodienſi, præſentibus Egfrido Northumbrenſium, Ætheldredo Merciorum, Aldulpho Orientalium Anglorum & Lothario Cantianorum regibus, quibus Centuinum Viſiſaxonem addit Huntingdonienſis, præ-
Hunt. *lib.* 4. ſidente ipſo Theodoro, qui etiam concilii Acta deſcripſit. Hîc Anglicana Eccleſia fidem ſuam exponit, quæ vera & catholica eſſe deprehenditur; ac ſe Generalia quinque illa quæ tunc exſtabant Concilia, nec non orthodoxas alias Patrum

Patrum ſanctorum Conſtitutiones, & Lateranam nuperam ſub Papa Martino primo contrà Eutychianos & Monotheletas ſynodum, libenter ſuſcipere ac tueri profitetur. Adfuit huic Concilio Joannes Romanæ Sancti Petri eccleſiæ Archicantor, & Sancti Martini in vicinia Abbas, ab Agathone Papa tranſmiſſus, ut Anglorum fidem canonúmque obſervationem exploraret, & exortas inter Theodorum cæteróſque ſuos coëpiſcopos (ſiquà poterat) diſſenſiones ſepeliret, Anglóſque curſum canendi annuum edoceret. Ætheldredus Merciorum rex, ſuadente Offero Vicciorum, id eſt, Vigornienſium, ſubregulo, Theodorum accerſitum exoravit, ut regno ſuo, quod unico hactenus epiſcopo contentum fuerat, in parochias diviſo, locis opportunis antiſtites conſtitueret. Itaque ille diœceſim cui tunc Saxulphus pontificali regimine præfuit in quinque parochias diſpertiit ; ex quibus idem Saxulphus eccleſiam Licidfeldenſem, ubi deceſſores ſui ſederant, retinuit. Ad Vigornienſem eligitur *Tadfridus*, quo ante ordinationem defuncto, *Boſelus* junior pro eo conſecratur. Leiceſtrenſi *Cutbovinus*, Hereford-dienſi *Putta* præficiuntur. *Sidnaceſtrenſis*, cui pagus Lincolnienſis ſubjicitur, *Adelvino* conſertur. Illud nunc planè intercidit oppidum, ex cujus ruinis vicinum accreviſſe *Gainsburgum* credibile eſt. Dorceſtriæ quoque in pago Oxonienſi eodem tempore *Eſblamus* quidam præponitur. Hæc in præſentem annum, in Chronico, Florentius conjicit ; quæ tamen in ſuo epiſcoporum catalogo, ad Chronici calcem adjecto, ad annum præcedentem refert. Hoc autem anno Hilda illuſtris Abbatiſſa, annos ætatis ſexaginta ſex emenſa, defungitur. Anno

Florent. Vigorn.

Bed. *lib.* 4. *cap.* 24.

proximè

681. proximè ſequenti Theodorus è Mercia in Northumbrenſium provinciam tranſiit, ibíque, triennio poſt pulſum ſede Vilfridum, eccleſiæ Haguſtaldenſi proprium antiſtitem dedit, nomine Tumbertum, relicto Etâ in Lindisfarnenſi; atque Ethedum, ex pago Lincolnienſi reverſum, quia rex Ætheldredus, ut antea monuimus, provinciam recepiſſet, eccleſiæ Ripponenſis primum, eundémque ultimum, epiſcopum conſtituit; & Trumovinum *ad provinciam Pictorum, quæ tunc temporis Anglorum erat imperio ſubjecta*, antiſtitem ordinavit. Eodem anno Centuinus Occidentalium Saxonum rex, juxta Annales & Huntingdonienſem, viz. ſeptimo regni ſui anno, Cambrobritannos bello aggreſſus eſt, *eóſque malè reſiſtentes victoriosu & vehemens cædè & incendiis uſque ad mare fugavit.* Factum hoc anno ſequenti Florentius & Matthæus Florilegus malunt. Quo quidem anno rex Britonum Cadovalladrus, abdicato regno, in Armoricam ad cognatum regem Alanum, Salomonis nepotem, conceſſiſſe videatur, ſi illos quadraginta octo annos ei aſſignemus, quos ejus patri Cadovalloni Galfridus perperàm, contra luculentam hiſtoriæ fidem ac veritatem, tribuit. Hâc enim ratione *annos duodecim* ille *viriliter & pacificè*, ut ejuſdem Galfridi verbis utar, regnaverit; quibus elapſis, deinde gravi ac diuturnâ ægritudine laborare cœpit, câque occaſione exortum eſt inter Britones civile diſſidium. Hinc illi à Cenovalcho Geviſſorum rege geminatâ clade affecti ſunt. Mox fame acerbâ, ac ſubſecutâ peſte horrendâ, per annos aliquot peſſundati, Centuino ingruenti obſiſtere nequiverunt. Unde ſolum vertere coactus eſt princeps infauſtus, ut

Annal. Saxon. Hunt. *lib.* 2.

Florent. & Matth. Weſtm.

Galfr. *lib.* 9. *cap.* 6.

ut aliunde auxilium impetraret. Anno proximo Sigerus Orientalium Saxonum rex vitâ excessit, adeóque Sebba rex, socio ante se defuncto, solus exinde regno potitus est. Anno sequenti, qui fuit sexcentesimus octogesimus quartus, rex Egfridus, misso Hyberniam cum exercitu duce Berto, sive Bertredo, vastavit miserè gentem innoxiam, & nationi Anglorum semper amicissimam, ità ut nec ecclesiis quidem aut monasteriis manus parceret hostilis. At insulani, & quantùm valuêre armis arma repellebant, & invocantes Divinæ auxilium pietatis, cœlitus se vindicari continuis diu imprecationibus postulabant. Interea Theodorus Archiepiscopus Concilium *Tuifordiæ* juxta fluvium *Alnum*, sive *Alaunum*, in comitatu Northumbriæ coëgit; ubi depositio Tumberto Haguſtaldensi episcopo, Cudbertus unanimi omnium consensu in ejus locum eligitur. Qui ubi nullis aut nunciis aut literis inflecti potuit, ut monasterio suo egressus eò accederet, tandem rex Egfridus & Trumovinus Pictorum episcopus, qui synodo intererant, cum aliis religiosis ac potentibus viris, Farnam insulam haud procul à Lindisfarnia dissitam navigio petierunt, ubi ille vitam egit solitariam, multisque precibus expugnatum abduxerunt. Itaque concordi totius Concilii voluntate superatus, ad præsulatum suscipiendum adigitur. At quoniam ipse ecclesiam Lindisfarnensem, in qua priùs utique conversatus fuerat, arctiùs diligeret, placuit ut Cudbertus illam, *Etâ* ad Haguſtaldensem reverso, gubernandam susciperet. Non tamen statim decreta est ordinatio, sed peractâ hyeme, quæ imminebat, in ipsa solennitate Paschali completa est Eboraci, anno sex-

683. Matth. Vestm.

684. Bed. *lib.* 4. *cap.* 26.

Idem cap. 28.

685. ſexcenteſimo octogeſimo quinto, præſente rege Egfrido, convenientibus ſeptem ad ejus conſecrationem epiſcopis, in quibus ipſe Theodorus primatum tenebat. Quo etiam tempore Trumovinus Chartæ donationis cujuſdam ab Egfrido conceſſæ ità nomen ſuum appoſuit, *Ego Trumwine Pictorum epiſcopus ſubſcripſi.* Sed illo haud diu titulo lætatus eſt. Siquidem Egfridus, qui præcedente anno Egbertum, doctorem celeberrimum, nè Scotiam, (ſcilicet Hybernicam, non Albanicam,) nil ſe lædentem, impugnaret, monentem audire noluerat, nunc etiam, multùm prohibentibus amicis, & præcipuè Cudberto prædicto, exercitum temere ad vaſtandam *Pictorum* provinciam duxit; à quibus, fugam ſimulantibus, in anguſtias montium inacceſſorum introductus, & cum maxima copiarum parte extinctus eſt, anno ſuæ ætatis quadrageſimo, regni autem decimo quinto, die calendarum Juniarum decimo tertio. Ex illo tempore ſpes cœpit & virtus regni Anglorum Northumbrenſium *fluere ac retro ſublapſa referri.* Nam & Picti terram poſſeſſionis ſuæ, (quam tenuerunt Angli,) & Scoti qui erant in Britannia, & Britonum quoque pars nonnulla libertatem receperunt. Ubi inter plurimos vel interemptos gladio, vel ſervituti addictos, vel de terra Pictorum fugâ lapſos, etiam Trumovinus antiſtes receſſit cum ſuis qui erant in monaſterio Abercorniæ, ubi ille ſedem ſuam epiſcopalem habuerat. Quæ quidem Abercornia tunc temporis non Pictici, ſed Anglici juris fuit, ſed hoſtibus nimiùm vicina, utpote juxta fretum ſita quod Anglorum terras Pictorúmque diſterminavit. Imminutâ Northumbrenſium poſt Egfridi mortem

M. S. in biblioth. Cotton.

Bed. *lib.* 4. *cap.* 26.

tem potentiâ, tranſlata eſt ab iis ad Occidentales Saxones Monarchia. Quid autem nonnullos Scriptores recentes moverit, ut, rege hoc excluſo, Merciorum reges ſtatim poſt Oſuvii mortem ad illud faſtigium attollerent, nullus video; cùm quicquid Oſuvius moriens relinqueret, Egfridus abſque ullo diſpendio univerſum, nihilo potentiâ inferior patre, conſervaret, adjectâ etiam Deirâ, & aliquantiſper Lincolniâ. Et Theodorus Archiepiſcopus ipſum, in ſua ad Hatfeldienſe Concilium præfatione, primum, ante Ætheldredum Mercium cæteróſque reges, nominat: quod dignitatis ac præeminentiæ causâ factum eſſe non eſt quòd dubitemus. Uxores habuit duas Egfridus, Atheldridam, atque Ermenburgam. Fuit Atheldrida *Anne* Orientalium Anglorum regis filia, primò Auſtralium Girviorum, id eſt, paludicolarum ſive paluſtrium, regulo Tumberto nupta, qui paulò poſt nuptias peractas obiit. Cum Egfrido annos duodecim tranſegit; ſed in utroque thalamo virgo illibata permanſit. Tandem impetratâ conjugis licentiâ, ſeculo renunciavit, conditóque Elienſi monaſterio, facta ejuſdem prima Abbatiſſa illic conſenuit. Vulgò Sancta *Audry* nuncupatur. Sorores Atheldridæ, ut obiter id notemus, erant, Saxburga natu major, Cantii regina, & Vitburga ſanctimonialis, atque Æthelburga, *Anne* filia naturalis, & Sedrida, quam mater ex priore marito ſuſtulerat: quæ omnes Abbatiſſæ evaſerunt. Fratrem Atheldridæ tribuit Guilielmus Malmesburienſis Germanum nomine, in Burienſi Sancti Edmundi eccleſia cum Botulpho ſepultum, & *Sanctii* titulo ornatum: qui forſan eſt Joannis Spedæi *Ferminus*. Altera Egfridi uxor

Malm. *lib.* 2. *de Pont.*

uxor Ermenburga, incertis edita natalibus, Vilfrido episcopo infensissima, ac plurimarum ei ærumnarum causa exstitisse memoratur. Sed nec ullos ex illa liberos Egfridus suscepit. Cum eo vixerunt Theodericus & Childericus, Francorum, Bamba & Eringius, Visigothorum, Grimoaldus, Garibaldus & Bertharius, Longobardorum, in Gallia, Hispania & Italia, reges.

XII. CEDO.

XII. *CEDOVALLA.*

EGFRIDO occiſo ſucceſſit in regno Northumbrenſi frater Alfredus, vir in Scripturis Sacris doctiſſimus. Is, quia nothus erat, factione optimatum, quamvis ſenior, regno indignus æſtimatus, in Hyberniam ſeu vi, ſeu indignatione ſeceſſerat. Ibi & ab odio fraterno tutus, & magno otio literis imbutus, omni philoſophiâ compoſuerat animum. Quocirca imperii habenis habiliorem æſtimantes, qui quondam expulerant ultro expetiverunt; neceſſitas medelam ad preces refudit. Nec eos ille ſuâ ſpe fruſtratus eſt, quin ferè deſtructum regni ſtatum, quamvis intra fines anguſtiores, nobiliter recuperavit. Non enim iiſdem terminis quibus *pater & frater* regnum tenuit, quòd *Pictis* recenti victoriâ inſolenter abuſi, Anglóſque longâ pace ignaviores aggreſſi, fines eorum ab Aquilone decurtaverant. Et Britones, receptâ libertate, in Lenoxia circa Britannodunum, & in Cumbria, nova regna erexerunt. Olim illa duo regna uni principi cum interpoſitis regionibus paruerunt; quod regnum à Legendariis aliquando *Cambrenſe*, aliquando, à civitate Arcluda, (id eſt, Britannoduno,) *Arecluta* dicebatur. Et poſt Danorum appulſum eadem rurſus in unum coaluerunt. Funeſtus iſte annus regibus fuit. Jam enim Lotharius Cantianorum rex, initâ cum Auſtralibus Saxonibus pugnâ, quos contra patruum Edricus Egberti filius aggregaverat, corpus jaculo trajectus, ex ipſo vulnere, inter medendum, anno regni ſui duodecimo, vitam effudit.

Bed. *lib.* 4. *cap.* 26. Malm. *lib.* 1. *cap.* 3. 685.

effudit. Hujuſce belli cauſam authores reticent: ſed ex vitæ ſancti *Ricardi* ſcriptoribus probabile videtur, ideo ad arma ventum eſſe, quòd Lotharius Ricardum filium (quem illi Angliæ regem appellant) poteſtatis conſortem aſſumpſerit; unde offenſus Edricus, qui, quanquam patruo impuber ceſſerat, patrueli tamen adultus cedere noluit, ab Adelvalcho auxilium imploraverit, ut regnum paternum ſibi vendicaret. Narrat Guilielmus Malmesburienſis nonnullos ſenſiſſe, fratres ambos, Egbertum & Lotharium, citâ morte merito crudelitatis fuiſſe abſumptos; quòd Egbertus filios patrui innocentes occiderit, Lotharius martyres propalatos irriſerit. Lotharii uxor, Sigeri Orientalium Saxonum regis filia, & Offæ qui poſtea ibi regnavit ſoror, fuiſſe perhibetur. Edrico regnum capeſſente, Ricardus in Germaniam trajecit, & à Suevis in regem electus eſt. Uxorem duxit Bonnam, Bonifacii Moguntini ſororem, ex qua Villibaldum, Aichſtadii primum epiſcopum, Vinibaldum & Valpurgam genuit; ac tandem Italiam adiens Lucæ obiit. Sed interim notandum eſt, alium Ricardum Anglum, Andriæ in Italia epiſcopum, ante Auguſtini adventum (forſan in pueritia barbaro Anglorum ethnicorum more venundatum) floruiſſe, utpote anno quadringenteſimo quinquageſimo quinto natum; & eccleſiæ Sancti Michaelis Archangeli, qui anno quadringenteſimo nonageſimo ſecundo in monte Gargano apparuiſſe ferebatur, conſecrationi cum Rogerio Cannenſi epiſcopo interfuiſſe. Sed ut redeam unde digreſſus ſum; dum ità bello ferveret Cantium, apud Occidentales Saxones regiæ indolis nobile germen Cedovalla emicuit. Fuit ille

Idem lib. 1. cap. 1.

Arnold. Wion. *Lign. vitæ.*

Offic. eccleſ. Andr. in feſt. S. Ric.

ille Cenberti filius, Ceaddæ nepos, *Cuthæ* ſive *Cuthovini* pronepos, Ceulini magni regis abnepos. Tres enim filios habuit Cuthovinus, Ceaddam Cedovallæ avum, Cudam Inæ proavum, & Cinibaldum Oſuvaldi Clitonis avum. Cedovallæ hujus nobilitas pariter ac ſtrenuitas effecêre ut in affectati regni ſuſpicionem veniret. Erat enim immodicæ ſpei juvenis, & qui nullam occaſionem exercendæ virtutis præterire nõſſet. Qui cùm jamdudum efficacibus ſtudiis bilem principum ſuæ patriæ irritâſſet, factione conjuratorum in exſilium actus eſt. Hanc ille amplexatus injuriam, ut omni milite ſpoliaret provinciam, quicquid bello idoneum erat abduxit. Namque ſeu miſeratione fortunarum ejus infracta, ſeu virtute delectata, tota ferè pubes exſulem ſecuta eſt. Ille igitur in Auſtralium Saxonum provinciam diſceſſit; ubi Wilfridus (qui *Selſeiæ*, ab Adelvalcho rege ei donatæ, tunc temporis Sedem epiſcopalem habuit) ad ſe conſilii causâ venientem promptè refecit, præbens ei & ſuis cùm equitaturas tum pecunias. Is verò dum omnibus iraſcitur, omnibus infrendet, rex Adelvalchus primum furentis impetum excepit, manum conſerere auſus. Sed cum omni populo quem ductaverat cæſus, provinciam ſuam atroci cæde ac depopulatione atterendam reliquit, quum annos triginta ſeptem regnâſſet. At mox expulſus eſt Cedovalla à ducibus regis Berthuno & Authuno, (quem Florentius Æthelhunum vocat,) è Cantio cum exercitu veterano redeuntibus, qui regnum illud deinceps tenuerunt. Jam Centuinus, anno regni ſui cum Eſcuino conſorte undecimo, poſt Eſcuini mortem nono, obierat; ac Cedovalla, in patriam reverſus, *cæpit*

Annal. Saxon. Florent. Vigorn.

Malm. lib. 1. cap. 2.

Idem lib. 3. de Pont.

Bed. lib. 4. cap. 15.

Annal. Saxon. Florent. Vigorn.

demùm, ut Annales Angloſaxonum loquuntur,
Bed. *lib.* 4. *regnum occupare*; quod anno proximè ſequenti,
cap. 12. qui fuit ſexcenteſimus octogeſimus ſextus, de-
686. victis atque amotis ſubregulis, qui varias ejuſdem partes obtinuerant, ſibi confirmavit, & duodecimus Anglorum Monarcha evaſit.

Florent. Vigorn. Rex igitur Cedovalla, collecto grandi exercitu, iterum in Auſtrales Saxones ducit, conſertóque prælio, victum Berthunum interfecit, & graviore ſervitio regionem, fugato aut ſub jugum miſſo Authuno, ſubegit. Guilielmus Malmesburienſis pro *Berthuno* perperàm *Edricum* habet, quem non Auſtralium Saxonum, ſed Cantianorum regem exſtitiſſe conſtat, & ſine ullo ſubditorum amore aut reverentia reg-
Hunt. *lib.* 4. nâſſe Huntingdonienſis ſcribit. Progreſſi in Cantium Cedovalla ejúſque frater Mollo, regnum illud nemine obſiſtente fœdiſſimis graſſationibus devaſtârunt, atque ingenti prædâ onuſti receſſerunt. Poſt Adelvalchi cædem Arvaldus quidam in Vecta inſula regnavit, quam Merciorum fiduciâ repugnare auſam, & ad regum Geviſſorum obſequium redire nolentem, ferociter cum Mollone aggreſſus eſt Cedovalla. Pagano ille cultui nondum publicitus renunciaverat, ſed animo tamen in religionem Chriſtianam propenſo fuit ac benevolo. Itaque voto ſe obſtrinxit, quòd quartam inſulæ (ſi eam caperet) ac prædæ partem Deo donaret. Capti igitur Vectâ, nimiùm in incolas deſæviit victor, quos univerſos delere, novóſque ex proprio regno colonos ſubintroducere, decreverat. Vilfrido autem terram quam voverat cum manubiis dedit; qui eam ſuo ex ſorore nepoti *Bernuino* clerico commendavit, tradito ei *Hildilâ* presbytero, qui prædicandi illic & baptizandi

munere

munere fungeretur. Et ſic converſis Vectenſibus rex tandem exoratus pepercit. Interea duo pueri regii, fratres ſcilicet aut filii Arvaldi regis, fugâ de inſula, imminentibus hoſtibus, in vicinam Jutarum in agro Hantonienſi provinciolam dilapſi ſunt. Illi in villa quæ tunc *Ad Lapidem* vocabatur, nunc autem *Stonhamia* dicitur, proditi, atque à rege victore occidi juſſi ſunt. Quod cùm Cimbertus quidam presbyter, monaſterii in loco qui olim *Redfordia*, id eſt, *vadum arundinis*, poſtea conſtructo ponte *Redbrigia* appellabatur, poſiti Abbas audiiſſet; Cedovallam, qui tunc iiſdem in partibus occultus, ſanandis quæ à Vectenſibus inflicta fuerant vulneribus intentus, demorabatur, adiit: petiitque ut, ſi neceſſe eſſet pueros interfici, priùs eis liceret fidei ſacramentis imbui. Annuente rege, edoctos fidem Chriſtianam, & fonte ſalutari ablutos, de cœleſti vita perfruenda certiores fecit; qui proinde animas inſtante carnifice læti Deo reddiderunt. Nunc demum Theodorum, ætate admodum provectum & morti propinquum, diſſidiorum ac ſimultatum pœnitere cœpit. Unde cum Vilfrido in gratiam redire cupiens, Æthelredum Merciorum & Alfredum Northumbrenſium reges ei, miſſis literis, conciliavit; effecitque ut Alfredus, illi quondam amiciſſimus, ſponte invitatum, poſt profligata ab eodem apud Auſtrales Saxones & Vectenſes pagana deliria, in epiſcopatum Eboracenſem & Haguſtaldenſem, amotis Bosâ, & Joanne qui Etæ defuncto ſucceſſerat, lubens reſtitueret. Jámque univerſa Anglia Chriſto nomen dederat. Edricus Cantianorum rex, haud diuturno tyrannidis ſucceſſu gloriatus, citra biennium regno & vitâ ſpoliatus occubuit.

Malm. *lib.* 3. *de Pont.*

Idem lib. 1. *cap.* 1. *de reg.*

Poſt quem *Vidredus* ejus frater regnavit, conſortem poteſtatis *Suabertum*, aliósque quoſdam tyrannos, aliquantiſper pati coactus. Unde Beda, reges dubios, qualis erat Suabertus, vel externos, qualis Cedovalla, regnum illud per aliquod temporis ſpatium defuncto Edrico diſperdidiſſe prodit. Suaberti hujus & Oſuvii magni Northumbrenſium regis donationum Chartas Auguſtiniano monaſterio conceſſas, cum falſa *Datorum* adnotatione, memorat hiſtoria Cantuarienſis; quæ forſan inter ſuſpectas rasáſque illas cœnobii Auguſtiniani Chartas numerandæ fuerint, quarum Gervaſius in Chronico, ad annum milleſimum centeſimum octogeſimum primum, meminit. Cudbertus epiſcopus Lindisfarnenſis, duobus annis in epiſcopatu peractis, Farnam inſulam ac monaſterium ſuum repetiit, ibíque anno ſequenti, qui fuit 687. ſexcenteſimus octogeſimus ſeptimus, è vivis exceſſit, & in eccleſia Lindisfarnenſi ſepultus eſt; cujus epiſcopatum Vilfridus anno uno adminiſtravit. At Mollo, impetratis à fratre Cedovalla copiis, iterum Cantianos inteſtino bello diſſidentes adoritur. Allexerat enim eum, inquit Huntingdonienſis, præteriti anni lucrum glorioſum, & famæ pretium non exoſum. Pergens igitur in Cantium, & non inveniens qui ei reſiſteret, terram prædando in ſolitudinem ferè redegit. Cùm verò hoſtes effœminatos duceret, & nihil ſibi pro viribus prævideret, haud ità ut ſperabat imparatos aut animi vacuos provinciales offendit. Siquidem poſt plurima incommoda vicatim & oppidatim accepta, tandem animati, inquit Malmesburienſis, ad manus veniunt, congreſsúque ſuperiores Mollonem in terga vertunt; ipsóque cum duodecim

Bed. *lib.* 4. *cap.* 26. & *lib.* 5. *cap.* 9.

Gervaſ. Dorob. *in chron.*

Bed. *lib.* 4. *cap.* 28, 29.

Hunt. *lib.* 4.

Malm. *lib.* 1. *cap.* 1.

decim tantùm militibus in tugurium quoddam compulſo, domunculam ſuccendunt, atque ipſum ſociósque nequicquam fortiter reſiſtentes comburunt. Cedovallam ipſum hîc victum fuiſſe ſolus Malmesburienſis tradit: quanquam pro tuente contrariam ſententiam Huntingdonienſi faciunt Angloſaxonum Annales, Florentius Vigornienſis, & Ranulphus Cestrenſis, qui, poſt Mollonem concrematum, *eodem anno iratum Cedovallam rurſus Cantium vaſtâſſe*, produnt; & Abbas Jorvallenſis, qui Mollonem à Cedovalla *miſſum*; & Guilielmus Thornus, qui eundem, nullâ omnino factâ regis Cedovallæ mentione, Cantuariam veniſſe, & à civibus victoribus cum duodenis commilitonibus in domo quadam ad quam confugerat extinctum eſſe, teſtantur. (Mollo iſte, ut eum Huntingdonienſis deſcribit, *laudabilis & gratioſus, terribilis erat viribus & decorus aſpectu, ideóque & omnibus amabilis erat, & fama prærogativâ clariſſimus.*) Hæc igitur audiens Cedovalla, rurſus ingreſſus eſt Cantium, inquit Henricus, ubi mirabili cæde & innumerâ ſatlatus rapinâ, cùm non inveniret quid cæderet vel raperet, ad ſua ſævus vindex & magnus victor rediit. Et quidem ipſe Malmesburienſis, eum non deſtitiſſe, aut à provincia pedem retuliſſe, fatetur, quin dolorem ſuum crebris accolarum diſpendiis ac ſtragibus farciret, reíque ultionem cumulatiorem in ſucceſſorem *Inam* transfunderet.

Florent. Vigorn. *Annal. Saxon.* & *Polychron. lib. 5. cap.* 20. Joan. Brompt. Thorn. *Abbat. Auguſt.* Hunt. *lib.* 4. Joann. Brompt. *Polychr. lib.* 5. *cap.* 20. Malm. *lib.* 1. *cap.* 1.

Anno ſexcenteſimo octogeſimo octavo rex Cedovalla, gloriæ & victoriarum ſatur, quum jam per integrum biennium feliciter regnâſſet, ac quicquid Cenovalcho Volpherus ademerat ſtrenuè recuperâſſet, relicto imperio Italiam con-

688. Bed. *lib.* 5. *cap.* 7.

contendit: quo in itinere à Cuniberto Longobardorum rege honorificè ſuſceptus eſt. Rómámque perveniens, ab ipſo Pontifice Sergio, quod magno animi affectu pridem expetiverat,
689. fonte ſalutari, anno proximè ſequenti, die ſancto Sabbati Paſchalis ablutus, & mutato nomine *Petrus* appellatus eſt. Atque in albis adhuc poſitus, languore correptus, poſt unam ſeptimanam aut circiter, duodecimo calendarum Maiarum die defunctus, atque adeò voti compos effectus eſt. Quippe qui, Bedâ teſte, ſperaverat, quòd ibi *mox baptizatus, carne ſolutus, ad æterna gaudia jam mundus tranſiret.* In eccleſia Sancti Petri ſepultus jacet, ejuſque monumento inſcriptum eſt, jubente Pontifice, hoc epitaphium.

Culmen, opes, ſobolem, pollentia regna, triumphos,
Exuvias, proceres, mœnia, caſtra, lares,
Quæque patrum virtus, & quæ congeſſerat ipſe,
Cedvalla *armipotens liquit amore Dei;*
Ut Petrum Sedémque Petri rex cerneret hoſpes,
Cujus fonte meras ſumeret almus aquas,
Splendificúmque jubar radianti carperet hauſtu,
Ex quo vivificus fulgor ubique fluit.
Percipiénſque alacer redivivæ præmia vitæ,
Barbaricam rabiem nomen & indè ſuum
Converſus convertit ovans, Petrúmque vocari
Sergius Antiſtes juſſit, ut ipſe Pater.
Fonte renaſcentis, quem Chriſti gratia purgans,
Protinus albatum vexit in arce Poli.
Mira fides regis; clementia maxima Chriſti,
Cujus conſilium nullus adire poteſt.
Soſpes enim veniens, ſupremo ex orbe Britanni,
Per varias gentes, per freta, pérque vias,
Urbem Romuleam vidit, templúmque verendum
Aſpexit Petri myſtica dona gerens.

Candidus

Candidus inter oves Christi sociabilis ibit;
Corpore nam tumulum, mente superna tenet.
Commutâsse magis sceptrorum insignia credas,
Quem regnum Christi promeruisse vides.

Addita etiam est hæc inscriptio. *Hic depositus est* Cedovalla, *qui &* Petrus, *rex Saxonum, sub die duodecimo calendarum Maiarum, indictione secundâ, qui vixit annos plùs minùs triginta, imperante Domino Justiniano piissimo Augusto, anno ejus consulatûs quarto, Pontificante Apostolico viro Sergio Papâ anno secundo.* Uxorem habuit Cedovalla nomine Cendritham, quæ unà cum marito terras quasdam Theodoro Archiepiscopo donâsse legitur. Ex illa sobolem aliquam, quæ tamen in regno haud successit, eum suscepisse, primum epitaphii carmen subinnuit. Insignem Guilielmi Malmesburiensis censuram de hujusce regis in ecclesiam munificentia neutiquam prætermisero. Arduum, inquit, memoratu est, quantùm etiam ante baptismum inservierit pietati, ut omnes manubias, quas jure prædatorio in suos usus transcripserat, Deo decimaret. In quo, etsi approbamus affectum, improbamus exemplum, juxta illud, *Qui offert sacrificium de substantia pauperis, est quasi qui immolat filium in conspectu patris.* Ità Guilielmus. Porrò, idem Cedovalla ante susceptum aut baptismum aut regnum, dum adhuc tantùm esset subregulus, concessæ ab Eleutherii successore, Heddio episcopo, Glastonienſibus Donationis Chartæ promptus consenserat, eámque propriâ manu confirmaverat. Tres ei annos Annales Anglosaxonum & Florentius, à regno inchoato, duos solummodo Beda & Malmesburiensis, à regno confirmato eos dinumerantes, assignant. Hunc regem turpi

Thorn. *Evident. eccles. Christ. Cant.*

Malm. *lib. 1. cap. 2.*

Galfr. *lib.* 9. *cap.* 6. errore Galfridus, propter nominum ſimilitudinem, cum Cadovalladro Britanno confundit, Bedam quoque teſtem arceſſere auſus, Cadovalladrum ſuum per Bedæ *Cedovallam juvenem* deſignari ſomnians; quem tamen Beda, *de regio genere Geviſſorum*, id eſt, Occidentalium Saxonum, fuiſſe aſſerit; & mox, *Geviſſorum*, non Britonum, *regem* expreſsè vocat. Et Cedovallam noſtrum Cenberti Saxonis, non Cadovallonis Britanni, filium exſtitiſſe, Annales Angloſaxonum, Florentius Vigornienſis, & univerſi antiqui rerum Angloſaxonicarum ſcriptores, qui ejus genealogiam pertexunt, unanimi conſenſu teſtantur. Cedovalla juxta Bedam annum unicum, Cadovalladrus annos undecim juxta Galfridum in tranſmarinis partibus exegit. Cedovalla aliquandiu paganus fuit, Cadovalladrus nunquam; quem proinde à Sergio Papa non baptizatum fuiſſe, ſed *confirmatum*, Galfridus fabulatur. Cedovallam, rebus ad vota fluentibus, *relicto imperio propter Dominum regnúmque perpetuum, veniſſe Romam*, Beda aliique ſcribunt; Cadovalladrum hoſtes fugientem & miſeriis obrutum eò perrexiſſe, quòd ſibi in Britannia ulteriùs regnare haud conceſſum eſſet, ipſe fatetur Galfridus, adjectâ lepidiſſimâ hâc fabellâ. Cadovalladro, inquit, reditum in patriam molienti, *intonuit vox Angelica, dum claſſem pararet, ut cæptis ſuis deſiſteret. Nolebat enim Deus Britones in inſula Britannia diutiùs regnare, antequam tempus illud veniſſet quod Merlinus Arturo prophetaverat. Præcepit etiam illi, ut Romam ad Sergium Papam iret, ubi, peractâ pœnitentiâ, inter beatos annumeraretur. Dicebat, populum Britonum per meritum ſuæ fidei inſulam in futuro adepturum*, poſt-

poſquam fatale tempus ſuperveniret. Non id tamen priùs futurum, quàm Britones, reliquiis ejus potiti, illas abs Roma in Britanniam aſportarent. Tunc deinde, revelatis etiam cæterorum Sanctorum reliquiis, quæ propter paganorum irruptionem abſconditæ fuerant, amiſſum regnum recuperarent. Hujuſce fabulæ, cæterorúmque figmentorum quibus Romana Cadovalladri peregrinatio nititur, vanitatem perſpiciens David Poëlus, non ipſum, ſed ejus filium Edovallum, Romam profectum eſſe affirmat, hiſce Bernardi Guidonii verbis adductus. Per idem, inquit, tempus *Etboal* rex Britonum, cùm per decem annos multis regulis obviâſſet, & plura mala illis irrogâſſet, tandem ipſis in pacem devenientibus, ſuper Occidentales Saxones regnavit annis duobus. Videns autem Britanniam multis miſeriis contritam, regnum ſprevit terrenum propter æternum, & Romam veniens, paucis diebus tranſactis, migravit ad Chriſtum. Et paulò póſt: Hîc ex toto illud regnum antiquiſſimum Britonum corruit, quod omnibus ferme regnis diuturnius fuit; à tempore Heli ſacerdotis uſque ad hoc tempus, per annos mille octingentos viginti quinque. Hîc pro *Etboal* idem Poëlus *Edoal* reponendum eſſe cenſet, ità ut ille, regno hæreditario cedens *Ivoro* cognato, Romam abiret. Quum verò monumenti inſcriptio, juxta Bedam, non Britonum, ſed Saxonum regem illic eſſe conditum, luculentè indicat, pro *Etboal* potiùs *Cetboal* reponendum eſſe exiſtimaverim, quo nomine Cedovalla intelligendus fuerit, qui re verâ, ut habet Guidonius, *ſuper Occidentales Saxones regnavit annis duobus*; quod de Cadovalladro aut Edovallo dici non poteſt. Nec obſtat, quòd ille ibi *Britonum*

Powell. *Chron.* *Wall.* Robert. Cœnal. *lib.* 2. *per.* 2.

Bed. *lib.* 5. *cap.* 7.

rex

rex vocatur, *& regnum antiquiſſimum Britonum* in eo deſiiſſe perhibetur; quum à Galfrido in illum errorem induci Guidonium, & tranſmarinis Scriptoribus familiare ac uſitatiſſimum eſſe, Anglos cum Britonibus & Britones cum Anglis confundere, liqueat. Quòd autem per decem annos multis regulis obviáſſe dicitur, cum Angloſaxonum narrationibus optimè cohæret, qui regnum abavitum repetentem, ab inimicis exſulare coactum, & poſt annos aliquot reverſum, *cæpiſſe denuo regnum occupare*, docent, priora quædam molimina ſubinnuentes.

Caradoc. Lancarv. & Humf. Lhudd. Centuino autem haud ſucceſſiſſe Cadovalladrum, agnoſcit Caradocus Lancarvanenſis, qui eodem Centuino regnante *Ivorum* in Britanniam trajeciſſe narrat, quem tamen poſt Cadovalladri diſceſſum appuliſſe in confeſſo eſt. Cadovalladrum igitur in Armorica obiiſſe, & Edovallum reducem cum Ivoro regnâſſe, vero magis eſt conſentaneum. Quem utique nonnulli

Galfr. *lib.* 9. *cap.* 6. *Edwallonem* nuncupant, Galfridus verò *Wallonem* appellat, & ab eo Britones nominari *Wallenſes* ſomniat. Quæ de ænea Cadovallonis imagine & equo æneo ſuper occidentalem Londini portam erectis, & celebratis pro eo in Sancti Martini eccleſia divinis obſequiis, hiſtoria Britannica refert, de Cedovalla noſtro Angloſaxonum Monarcha dici veriùs poſſe videantur; cui talia honoris officia perſolvere *Inas* ſucceſſor potuerit, eo modo cognati optimè meriti memoriæ parentans, quippe qui, fortitudine propriâ atque audaciâ, communem utrique Ceulini regis familiam, depulſis Ceolrici rebellis poſteris, ad dignitatem regiam revocaverit feliciter atque reſtituerit. Præſertim quum Londinum in Inæ dominationem tum con-

conceſſiſſe, ex ejus legum præfatione, ubi *Ercenovaldum* præſulem Londinenſem ille *ſuum epiſcopum* vocat, manifeſtò apparet. Cedovalla Paulo diacono *Theobaldus* dicitur, qui aliquantò longiùs quàm Guidonius à vero illius nomine aberrat. Ejus verba hæc ſunt. *His diebus Theobaldus rex Anglorum Saxonum, qui multa in ſua patria bella geſſerat, ad Chriſtum converſus, Romam properavit, qui ad Cunibertum regem veniens, ab eo mirificè ſuſceptus eſt.* Sed danda eſt venia illis peregrina nomina detorquentibus. Præclaras hoc tempore in Anglia radices egit religio, ubi *moris erat, ut, veniente in villam clerico vel presbytero, cuncti ad ejus imperium verbum auditurî confluerent, libenter ea quæ dicerentur audirent, libentiùs ea quæ audire & intelligere poterant operando ſequerentur.* Cum Cedovalla vixerunt Theodericus, Francorum, Eringius & Egica, Viſigothorum, Bertharius & Cunibertus, Longobardorum, in Gallia, Hiſpania & Italia, reges.

Paul. *de Longob. geſt. l. 6. c. 15.*

Bed. *lib. 4. cap. 27.*

XIII. *INAS.*

688. *Annal. Saxon.* EODEM anno quo Cedovalla rex Angliâ exceſſit, Cudberti demortui ſucceſſor Edbertus epiſcopatum Lindisfarnenſem ſuſcepit, Vilfrido eccleſias Eboracenſem & Haguſtaldenſem retinente. Annóque
689. *Aſſer. Meneν.* proximè ſequenti, quo Romæ defunctus eſt idem Cedovalla, ſucceſſit ei tum in Occidentalium Saxonum regno, tum in ſuprema Anglorum Monarchia, *Inas* cognatus, quippe qui fuit *Cenredi* filius, *Ceolvaldi* nepos, *Cudæ* pronepos, *Cuthovini* ſive *Cuthæ* abnepos, *Cenlini* regis atnepos. *Ciſſam*, Abendonienſis cœnobii fundatorem, *Inæ* patrem fuiſſe tradit Malmeſburienſis: cui tamen hac in re aſſentiri haudquaquam poſſumus, quum ex Aſſerio Meneveníi, Annalibus Angloſaxonum, Florentio Vigornienſi, & ipſius Inæ legum præfatione, Cenredum ejus patrem exſtitiſſe conſtat; niſi illum fuiſſe binominem dixerimus, quod Angloſaxonibus rarò uſitatum fuit. Ciſſam hunc, ſub Centuino Geviſſorum rege, Viltoniæ & Bercheriæ regulum fuiſſe, docet ejuſdem Abendonienſis monaſterii hiſtoriola. Inam, Campoduni in pago Gloceſtrenſi, ſummum Anglorum Monarcham, in generali regum Angloſaxonicorum conventu, contra *Ivorum* & *Inirium* Britones, hoc anno electum fuiſſe, Seberto (ſeu potiùs Sebbâ) Orientalium Saxonum rege grandævo adhortante, hoſtéſque aliquoties fortiter profligâſſe, tradit Joannes Caſtoreus. Primo Inæ regni anno obiit Benedictus Biſcopius, qui, rege Egfrido territoria largiente, cœnobia

Malm. lib. 2. de Pont.

Monaſt. Anglic.

Chron. Cambr.

Camd. in Dobun.

Malm. lib. 1. cap. 3.

Vert-

Veremuthenſe & *Girvienſe*, in quibus Beda ab illo & Ceolfrido educatus eſt, in agro Dunelmenſi exſtruxit; quinquies Romam adiit, & ex partibus tranſmarinis omnium primus artifices lapidearum ædium & vitrearum feneſtrarum, cum ingenti librorum copia, Angliam advexit. Neque enim antea lapidei tabulatûs domus in Britannia niſi perrarò videbantur, neque perſpicuitate vitri penetratâ lucem ædibus ſolaris jaciebat radius. Anno regis Inæ ſecundo Theodorus Archiepiſcopus Cantuarienſis, octo ſuper octoginta ætatis annos emenſus, poſt annos viginti duos in epiſcopatu tranſactos, decimo tertio calendarum Octobrium die vitam cum morte commutavit. Hic cœptam ab Honorio Archiepiſcopo Angliæ in parochias diſtributionem perfecit, ut Antiquitates Eccleſiæ Chriſti Cantuariæ teſtantur. Huc uſque, juxta Annales & Florentium, archipræſules Dorobernenſis eccleſiæ fuêre Romani, poſtmodum Anglici. Anno ſexcenteſimo nonageſimo primo Vidredus & Suabertus, redactis in ordinem cæteris regni inſeſſoribus, pacificè Cantio præeſſe cœperunt, unde hinc Beda Vidredi regis annos dinumerat. Hoc tempore Vilfridus, præſulatu ab Alfredo rege plurimíſque epiſcopis pulſus, ad regem Merciorum Ætheldredum ſeceſſit; qui ſponte recedentis Saxulphi epiſcopatum in duas parochias diſpertiit, ac Licetfeldenſi *Heddam*, Leiceſtrenſi Vilfridum præfecit. Mox Oſtforûs, in monaſterio *Pharenſi* inſtitutus, Româ rediens, in Vicciorum ſive Vigornienſium provinciam divertit, cui poſt *Oſſerum Oſricus* ſubregulus præfuit. Cúmque Boſelus epiſcopus, ægritudine prægravatus, ſuo munere per ſe fungi non poſſet,

690. *Annal. Saxon.* Florent. Vigorn.

691.

Bed. *lib.* 4 *cap.* 23.

pro

pro eo in epiſcopatum Oſtforus electus, ac, jubente rege Ætheldredo, à Vilfrido, quia Cantuarienſis ſedes adhuc vacaret, ordinatus eſt.

692. Bed. *lib.* 5. *cap.* 10, 11, 12. & Florent. Vigorn. Qui anno proximo è vivis ſublatus, Eguinum habuit ſucceſſorem. Illo etiam anno Egbertus ſacerdos Anglicus, diu in Hybernia verſatus, Germanis, à quibus Angli traxêre originem, evangelium annunciare in animo habuit. Sed adverſante vento prohibitus, quum & ſocius ejus Vigbertus qui transfretaverat nihil proficeret, Villibrodo presbytero & Suidberto, aliiſque viris ſanctis & induſtriis, idem ſibi munus peragendum ſuſcipere perſuaſit. Quos adventes Pipinus Francorum dux gratanter amplexus, in Friſiam, unde Radbodum regem expulerat, miſit; ubi permultos ab Idololatria ad Chriſtianam fidem converterunt. E quibus, ſuccedente tempore, Villibrodus primus epiſcopus Ultrajectenſis factus eſt. Alii autem duo presbyteri, nomine *Hevaldi*, diverſâ capillorum ſpecie diſtincti, unde hic *albus*, ille *niger* appellatus eſt, eos ſecuti, cujuſdam villici qui illos exceperat ſcelere circumventi, ab agreſtibus paganis atroci morte ſunt affecti. Sed haud inultam ſacerdotum necem paſſus eſt ſatrapa Saxonicus quem adire inſtituerant, qui homicidas interemit, corúmque vicum incendio consumpſit.

Bed. *lib.* 5. *cap.* 9. & Florent. Hoc autem anno Bertualdus, quondam Glaſtonienſis, tunc Regulbienſis abbas, in Archiepiſcopum Cantuarienſem electus, &

693. anno ſequenti, qui fuit ſexcenteſimus nonageſimus tertius, à Godovino Galliæ metropolitano conſecratus eſt. Circa hæc tempora, juxta eruditiſſimum D. Henricum Spelmannum, rex Inas leges ſuas, Cenredi patris ſui adhuc ſuperſtitis atque Heddii Vintonienſis & Ercenovaldi Lon-

dinenſis

dinenſis epiſcoporum conſilio, promulgavit, quæ deinceps *Weſtſaxonlaga*, id eſt, Occidentalium Saxonum Jus, appellabantur. Quod nè ulteriùs differamus, efficit Ercenovaldi mentio, cujus eccleſiam anno proximè ſequenti Gualtherus rexiſſe dignoſcitur, utì mox patebit. Anno enim ſexcenteſimo nonageſimo quarto Sebba, rex Orientalium Saxonum pientiſſimus, quum annos triginta regnâſſet, ægritudine correptus, conſentiente etiam uxore, ſeculo renunciavit, & ab Ercenovaldi ſucceſſore Gualthero monachicum, quem diu antea expetiverat, habitum ſuſcepit, brevíque poſtea defunctus, & in eccleſia Paulina Londini ſepultus eſt. Regi huic & monacho ſucceſſerunt filii Sighardus & Senofredus. Eodem anno rex Inas Cantianos aggreſſus eſt, cognati ſui *Mollonis* combuſtionem pleniùs ſeveriúſque vindicaturus, de qua nondum ejus ira in illos defremuerat. Provinciales, inquit Malmesburienſis, parumper reſiſtere auſi, mox omnibus tentatis, & viribus in ventum effuſis, cùm nihil in pectore Inæ quod ignaviæ conduceret reperiſſent, diſpendiorum ſuorum intuitu deditioni conſuluêre. Tentant regium animum muneribus, ſollicitant promiſſis, nundinantur pacem triginta millibus auri marcis, ut pretio mollitus bellum ſolveret, metallo præſtrictus receptui caneret. Quâ ille pecuniâ ſuſceptâ, delicti gratiam fecit, in regnum reverſus. Ranulphus Ceſtrenſis, Cantianos ter mille libras; Florentius, ter mille ſeptingentas quinquaginta; Annales Angloſaxonum, viros triginta regi ultori tradidiſſe ſcribunt. Exinde Vidredus Cantii rex pacato ſolus regno fruebatur, mortuo inter hæc Suaberto: codémque anno concilium Becanceldenſe cogi præcepit, atque,

694. Bed. *lib.* 4. *cap.* 11.

Malm. *lib.* 1. *cap.* 2.

Polychr. lib. 5. *cap.* 20. Florent. Vigorn. *Annal. Saxon.*

Bed. lib. 4. cap. 26. que, ut Bedæ verbis utar, religione simul & industriâ gentem suam ab extranea invasione liberavit: annóque regni sui quinto Concilium Berghamstadiense celebravit. Anno sexcentesimo nonagesimo septimo Mercii qui Suthumbrenses dicebantur, id est, illa pars Merciorum quæ est à Boreali parte Trentæ fluminis, reginam Ostridam, Ætheldredi regis uxorem, Egfridi regis Northumbrorum sororem, Osuvii filiam, crudeliter peremerunt. Quod forsan in ultionem *Pedæ* regis factum est, quem à sua conjuge, ejusdem reginæ sorore, Alcfleda, sublatum crediderint. Merciorum primatibus istud flagitium Beda inurit. Et sanè viros potentissimos fuisse reginæ interfectores verisimile est, quos nullas tanti sceleris pœnas aut ejus marito Ætheldredo aut filio Ceolredo dedisse uspiam legimus. Anno proximè sequenti Bertus, sive Bertredus, (& Brithricus juxta Florilegum,) dux ille Northumbrensis quem, ab Egfrido rege missum, Scotos Hybernienses vastâsse pridem memoravimus, dum prædicti domini sui cædem in Pictos vindicaturus, eorum regionem populatur, ab iisdem ipse occiditur.

696. 697. Bed. in epit. Florent. Vigorn. Matth. Westm. 698. Bed. in epit. Hunt. lib. 4.

703. Malm. lib. 3. de Pont. Anno septingentesimo tertio Alfredus rex Northumbrensium & Bertualdus Archiepiscopus Cantuariensis in ejusdem regis ditione Concilium coëgerunt. Ibi Wilfrido varia intentantes crimina, tandem pacificè suadere, post irritas Alfredi minas, adorsi sunt, ut, quia frequentissimæ dissensiones in ecclesia Dei ejus causâ pullulabant, ipse voluntate suâ possessionibus & episcopatu cederet, & hanc renunciationem scripto firmaret: hoc ejus commendaret famam, hoc accumularet gloriam, si privatus mallet sub quiete degere, quàm pro suo pontificatu

ficatu vel per ſe vel per alios procellas ſeditionum movere. Reſpondit Vilfridus, Se primum fuiſſe qui verum Paſcha in Northumbria Scotis ejectis docuerit, qui cantus eccleſiaſticos antiphonatim inſtituerit, qui Benedicti regulam à monachis obſervari jufſerit; pro quibus omnibus nunc ſenem, & ſeptuaginta ferè annorum pontificem, hoc in munere recipere, ut cogatur ſeipſum ſcripto damnare: nôſſent ergò, ſe illud non facturum, quin potiùs Sedem Romanam appellare, ſiquis eorum eccleſiaſticum conflictum præſumeret eò provocare. Itaque Vilfridus, haudquaquam eâdem quâ Colmanus Scotus lubentiâ præſulatum dimittere volens, jam ſeptuagenarius Romam meditatur. Nec diu moratus mare tranſiit, viámque permenſus urbem introiit: ubi mox Joannes Papa, clienti præclarè merito favens, coacto concilio, & exauditâ causâ, ipſum ab omni crimine exſortem pronunciavit, ſcriptâque de eo reſtituendo ad Ætheldredum & Alfredum epiſtolâ inſtructum remiſit. In qua nimirum epiſtola nunc primùm, poſt devolutam à Northumbrenſibus ad Viſiſaxones Monarchiam, Mercii regis nomen Northumbrenſi præpoſitum occurrit. Anno autem proximè ſequenti Ætheldredus, regno quod per triginta annos adminiſtraverat Cenredo Volpheri fratris filio per manus tradito, in Bardneienſi cœnobio monachus, & mox abbas efficitur. Ille igitur allatas à Vilfrido jam reverſo Pontificis literas gratanter ſuſcipiens, acerſito Cenredo, ut quæ petebantur omnia complerentur haud gravatè impetravit. Nec ſegniùs Bertualdus Archiepiſcopus, Papam reveritus, ideóque pacem non aſpernanter ambiens, in unanimitatem fraternæ concordiæ accurrit. 704. Malm. *lib.* 1. *cap.* 4.

Alfredus Northumbrenſium rex, nunciis ad ſe ex parte Vilfridi directis, ſerenum primò reſponſum retulit; mox autem redeuntibus die condicto ait, Se quidem legatorum perſonis, quòd eſſent & vitâ graves & aſpectu venerabiles, honorem ut parentibus deferre; cæterùm aſſenſum legationi omnino abnuere, quòd eſſet contra rationem, homini, jam bis à toto Anglorum concilio damnato, propter quælibet Papæ ſcripta communicare. Et hîc miratur Malmesburienſis, quòd illi viri quos ſanctiſſimos celebrat Antiquitas, Theodorus, Bertualdus, Joannes, Boſa, nec non Hilda Abbatiſſa, digladiabili odio Vilfridum impetierint. Sed Alfredus acerbâ correptus valetudine, ſidque ſibi ideo contigiſſe ratus, quamvis ætate jam provectus, quia Pontificis literas ſpreverat, promiſit, ſi ſibi viventi adduci potuiſſet antiſtes, ſe Papæ juſſa incunctanter facturum; ſique ipſe morte præventus voti effectu careret, hæredem ut faceret adjuravit. Brevíque poſtea, anno ſeptingenteſimo quinto, quum annos novendecim & aliquot inſuper menſes regnáſſet, Driffeldiæ in Eboracenſi pago animam efflavit, ibidémque ſepultus eſt. Succeſſit ei Oſredus filius octennis, ſub Bertfridi ducis ſtrenuiſſimi tutela. Quo tempore Edulphus quidam tyrannidem meditatus, rebellione concitatâ, Oſredum & Bertfridum in urbe regia Bamburgo obſedit. Illum Vilfridus, amicum quondam fuiſſe recordatus, adire haud inconſultum exiſtimavit; adverſus quem adeò ſtultus efferbuit, ut eum continuò de regno ſuo exire juberet, ni omnibus ſuis exſpoliatus cum dedecore ejici vellet. At reſiſtente fortiter Bertfrido, cæteri proceres in auxilium advolant, quorum

705. *Annal. Saxon. Florent. Vigorn.*

Malm. lib. 3. de Pont.

rum ope hoſtes abigit, ipſúmque tyrannum captum imperio bimeſtri ac vitâ exuit. Hoc tempore defunctus eſt Heddius Occidentalium Saxonum epiſcopus: poſt cujus mortem provincia illa in duas eſt parochias diſpertita, duæque Sedes epiſcopales inſtitutæ ſunt, altera Vintoniæ in agro Suthantonienſi, cui Daniel, altera Schireburnæ in Dorſetenſi, cui Aldhelmus præficitur. Danielem iſtum fuiſſe genere Britonem, & *Congarsburienſium* in pago Somerſetenſi epiſcoporum poſtremum, ac, rege Inâ donante & conſentiente, ad *Fontanenſem* ſive *Vellenſem* in eodem pago ſedem epiſcopatum tranſtuliſſe, Glaſtonienſis Chronici, anno milleſimo ducenteſimo quinquageſimo nono exarati, conſarcinator prodit; cujus narrationis ſit fides penes authorem. Fuit Aldhelmus Maildulphi Scoti diſcipulus, & Abbas monaſterii inſignis, in loco qui ab ipſis *Maildulphaldhelmesburia*, ac poſtea contractiùs Malmesburia, dicebatur. Qui non ità pridem, jubente ſuæ (id eſt, Viſiſaxonum) gentis ſynodo, in agro Viltonienſi habitâ, (quam neſcio quare eruditiſſimus D. Henricus Spelmannus *Mercianam* appellat, cum Viltonienſes ad Geviſſos, non Mercios, ſemper ſpectâſſe conſtat,) librum ad Gerontium Cornubiæ regem contra Britonicum feſti Paſchalis celebrandi morem ſcripſerat. Scripſit & De virginitate ad Hildelidam Berecingenſem abbatiſſam librum, quem, in exemplum Sedulii, geminato opere, & verſibus hexametris & proſâ compoſuit. Alios quoque tractatus, viz. De veteris ac novi Teſtamenti floribus, De charitate, De ſenſibilium rerum natura, De regulis pedum metricorum, De Metaplaſmo, & De metrico dialogo, poëtica

Bed. *lib.* 5. *cap.* 19. Florent. Vigorn.

Uſſer. *in Primord. cap.* 5.

Polychr. lib. 5. *cap.* 22.

quædam, aliquáſque epiſtolas, exaravit; primúſque omnium Anglorum Latina complurá quæ hactenus exſtant edidit volumina. Eodem anno obiit Saxulphus epiſcopus Licidfeldenſis, cui ſucceſſit Heddius. At dux Bertfridus, Edulpho cæſo, Concilium juxta Niddum fluvium in agro Eboracenſi, hortante Bertualdo Archiepiſcopo, fieri conſenſit; ubi, poſt aliquantum utriuſque partis conflictum, annitentibus duce ipſo & Elfledâ Pharenſi abbatiſſâ, regis Oſredi amitâ, decretum eſt, ut Joannes, Boſâ jam defuncto, in Eboracum migraret, Haguſtaldenſem verò ſedem Vilfridus reciperet. Et ſic diuturnæ controverſiæ ac diſſenſioni finis demum eſt impoſitus.

Annal. Saxon.

Bed. *lib.* 5. *cap.* 20. Malm. *lib.* 3. *de Pont.*

709. Anno ſeptingenteſimo nono Cenredus Merciorum & Offa Saxonum Orientalium reges, atque Eguinus Vigornienſis epiſcopus, (cujus tamen nullam omnino Beda mentionem ullibi facit,) Romam adierunt, Conſtantino pontificatum adminiſtrante; ibíque Cenredus & Offa attonſi ſeculo renunciárunt, vitámque illic monachicam exinde tranſegerunt. Quinque annis regnavit Cenredus, & ſucceſſorem habuit Ceolredum Ætheldredi patrui filium. Fuit Offa Sigeri regis filius, Sighardi & Senofredi ſucceſſor, qui Ciniſuithæ Pendæ filiæ nuptias ambiens, illius ſuaſu ad commutandum cum cucullo ſceptrum adductus eſt; poſt quem Selredus Sigeberti *boni* filius apud Orientales Saxones regnavit. Eguinus, patriam repetens, abbatiam Eveſſamienſem in pago Vigornienſi fundavit, qua de re Papam conſulturus profectionem memoratam ſuſceperat; & coacto in Varvicenſi provincia Alnoceſtrenſi concilio mox interfuit. Eodem anno deceſſit Aldhelmus epiſcopus Schire-

Bed. *lib.* 5. *cap.* 20. *& in epit.* *Annal. Saxon.*

Spelm. *Concil.* Malm. *lib.* 1. *cap.* 2. Florent. Vigorn. *Annal. Saxon.*

Schireburnenſis, cujus conſilio rex Inas monaſterium Glaſtonienſe, funditus dirutum, de novo fundare ac magnificè adaugere cœpit. Hujus patrem Centenium nonnulli Inæ regis fratrem exſtitiſſe perhibuerunt, quorum tamen ſententiam Guilielmus Malmesburienſis explodit. Idem Aldhelmus alia præter Malmesburienſe cœnobia, tum in Occidentalium Saxonum tum in Merciorum provinciis, habuit, pro quorum libertate impetratum à Sergio Papa privilegium, ab Ina atque Ætheldredo regibus confirmari olim, priuſquam factus eſſet epiſcopus, curaverat. Tunc etiam obiit Vilfridus epiſcopus olim Eboracenſis, anno ætatis ſeptuageſimo ſexto, ubi epiſcopatum per annos quadraginta quinque & menſes aliquot tenuiſſet. Paulò ante Aldhelmi mortem, Auſtrales Saxones, diœceſi Vintonienſi eatenus à Vilfridi diſceſſu ſubjecti, proprium annuente Inâ epiſcopum nomine Edbertum ſortiti ſunt. Anno ſeptingenteſimo decimo rex Inas ejúſque cognatus *Nunna* contra Gerontium Cornubienſium regem dimicarunt: cujus pugnæ principio, inquit Huntingdonienſis, occiſus eſt dux Higbaldus; ad ultimum verò Gerontius cum ſuis faciem ab Anglis avertit, & fugiens arma & ſpolia ſequentibus reliquit. Hunc Æthelvardus *Vuth-Giretem* vocat, alii *Gherentem*, Aldhelmus in ſuæ epiſtolæ præfatione *Geruntium*. Hoc etiam anno Adriano monaſterii Auguſtiniani abbati defuncto ſucceſſit Albinus; & Bertfridus Northumbrenſium dux (quem Florilegus *Offerum* appellat) cum Pictis acriter conflixit, eorúmque maximam multitudinem ſternens, Egfridi regis & Berti ducis ultor exſtitit. Sola Bedæ Epitome chronologica iſtam Bertfridi victoriam,

Malm. *lib.* 1. *cap.* 2. & 4.

710. Hunt. *lib.* 2. *Annal. Saxon.* Florent. Vigorn.

Æthelv. *lib.* 2. *cap.* 12. Hunt. *lib.* 2. Matth. Weſtm.

Bed. *epit.*

am, contra cæteros omnes rerum Angloſaxonicarum Scriptores, in annum ſequentem conjicit.

711. Circa hæc tempora Nectanus Pictorum rex, miſſis ad Ceolfridum cœnobiorum Vermuthenſis & Girvienſis abbatem nunciis, poſtulavit ut exhortatorias ſibi literas mitteret, quibus potentiùs eos redarguere valeret, qui Paſcha haud eodem cum Romanis Angliſque tempore obſervarent; ſimul & de tonſuræ modo vel ratione quâ clericos inſigniri deceret ut ſcriberet expetiit. Excepto quòd etiam ipſe in his non parva ex parte eſſet imbutus. Et architectos ſibi mitti oravit, qui juxta Romanorum morem eccleſiam de lapide ingenti facerent, promittens hanc in honorem Sancti Petri dedicandam; ſe quoque ipſum cum ſuis omnibus Romanæ eccleſiæ conſuetudinem ſemper imitaturum; in quantum duntaxat, tam longè à Romanorum loquela & natione ſegregati, eam ediſcere poſſent. Cujus votis precibúſque favens Ceolfridus, unà cum architectis epiſtolam illam quæ apud Bedam exſtat ei deſtinavit. Quâ rex acceptâ, cum optimatibus ſuis decrevit, Romanum feſti Paſchalis celebrandi, nec non tonſuræ, morem per totum regnum ſuum eſſe obſervandum. Ex quo tempore pax inter Northumbrenſes & Pictos diu viguit.

Bed. *lib.* 5. *cap.* 22.

715. Anno ſeptingenteſimo decimo quinto rex Inas contra Ceolredum Mercium *Vodenberge* in pago Viltonienſi, juxta *Vodeni foſſam*, dubio Marte pugnavit: *adeò* autem *horribiliter*, inquit Huntingdonienſis, *pugnatum eſt utrinque, ut neſciatur cui clades deteſtabilior contigerit.* Anno proximo idem Ceolredus vitam ſceleſtam cum infauſta morte commutavit, ut Bonifacius Moguntinus in ſua ad Æthelbaldum regem epiſtola

Annal. Saxon. Florent. Vigorn. Hunt. *lib.* 4.

716. Bonif. *epiſt.* 19. Malm. *lib.* 1. *cap.* 4.

ſic

ſic teſtatur. *Ceolredum præceſſorem venerandæ Celſitudinis tuæ*, inquit, *ſtupratorem ſanctimonialium & eccleſiaſticorum privilegiorum fractorem, ut teſtati ſunt qui præſentes fuerant, apud comites ſuos ſplendidè epulantem malignus ſpiritus arripuit, qui eum ad fiduciam damnandæ legis Dei ſuadendo pellexit, peccantémque ſubitò in inſaniam mentis convertit, ut ſine pœnitentia & confeſſione furibundus & amens, & cum diabolo ſermocinans, & Dei ſacerdotes abominans, de hac luce, ſine dubio, ad tormenta inferni migrârit.* Octavo ille regni anno defunctus, & Licidfeldiæ ſepultus eſt, cui ſucceſſit Æthelbaldus. Oſredus rex Northumbrenſium, quum annos undecim regnâſſet, petulantis laſciviæ pœnas hoc anno juxta lacum Vinandrium in agro Lancaſtrenſi victus dedit, Cenredi & Oſrici cognatorum conjuratione oppreſſus: de quo hæc habet idem Bonifacius; *Oſredum quoque ſpiritus luxuriæ fornicantem, & per monaſteria Nonnarum ſacratas virgines ſtuprantem & furentem agitavit, uſque quò ipſe glorioſum regnum, & juvenilem vitam, & ipſam luxurioſam animam, contemptibili & deſpectâ morte perdidit.* Succeſſit ei prædictus Cenredus Cuthovini ducis filius. Ætheldredus quondam Merciorum rex, pòſt autem Bardneienſis cœnobii abbas, deceſſit, & in eodem monaſterio conditus eſt. Ceolfridus quoque, cœnobiorum Vermuthenſis & Girvienſis abbas, Romam contendens, in itinere apud Lingonas in Gallia moritur, & in eccleſia tergeminorum martyrum, Speuſippi, Eleuſippi & Meleuſippi, ſepelitur. Egbertus Anglus presbyter celeberrimus ex Hybernia diſcedens, ubi peregrinam diu vitam ſacris ſtudiis incumbens egerat, ad docenda Columbæ monaſteria perrexit; quúm-

Malm. *lib.* 1. *cap.* 3. Hunt. *lib.* 2. Bonif. *epiſt.* 19.

Florent. Vigorn.

Bed. *lib.* 5. *cap.* 23.

que eſſet & *doctor ſuaviſſimus*, & eorum quæ agenda docebat executor devotiſſimus, ab univerſis libenter auditus, etiam Hyenſes ſive Jonenſes Scoticæ nationis monachos ad Romanum Paſchalis obſervandi temporis atque tonſuræ eccleſiaſticæ morem perduxit, ſub decimo eorum abbate Dunchado, ibíque per annos tredecim uſque ad vitæ exitum commoratus eſt. Qui autem de eodem Hyenſi monaſterio in Pictorum regno degentes morem illum ſuſcipere noluerunt, ſequenti anno, quo obiit Dunchadus, à Nectano rege trans *dorſum Albaniæ* expulſi ſunt. Anno proximo, qui fuit ſeptingenteſimus decimus octavus, defuncti ſunt Cenredus Northumbrenſium rex, poſt breve duorum annorum regimen; & Ingiſilus, Inæ regis frater, & *Egberti* magni regis abavus. Cenredo ſucceſſit Oſricus, quem cum ejuſdem nominis Mercio Vicciorum ſive Vigornienſium regulo nonnulli temere confundunt, qui ſcilicet regulus, Gloceſtriæ Bathoniæque, regis Inæ permiſſu, cui urbes illæ parebant, virginibus monaſteria poſuiſſe fertur.

717. *Annal. Ulton.*

718. Florent. Vigorn.

Anno ſeptingenteſimo viceſimo primo habitum eſt Romæ ſub Gregorio ſecundo concilium, cui Sedulius epiſcopus Britanniæ de genere Scotorum, cujus forſan ſedes Britannoduni fuerit, & Fergufius ſive potiùs Fergufius epiſcopus Scotiæ Pictus, ſubſcripſerunt. Nunc etiam rex Inas Glaſtonienſis monaſterii ac Petri & Pauli ibidem eccleſiæ ſtructuram, quam ſuadente Aldhelmo dudum auſpicatus erat, ſplendidè abſolvit, multíſque prædiis Abbatem Beroaldum Hemigiſili ſucceſſorem ac cœnobitas, & *Magno* illo quod vocatur donavit *Privilegio*, ſi quarta appoſita Indictio rectè ſe habeat; & quicquid

721. Uſſer. *Primord. cap.* 16.

quicquid iis ab anteceſſoribus ſuis Cenovalcho, Centuino & Cedovalla fuerat conceſſum, Æthelburgæ reginæ, Bertualdi archiepiſcopi ac Baldredi & Athelardi regulorum hortatu, confirmavit. Ipſi etiam Baldredus & Athelardus eidem cœnobio prædia contulerunt. *Privilegii Magni* prædicti exemplaria apud Guilielmum Malmesburienſem, Uſſerium Armachanum atque Henricum Spelmannum exſtant. Hoc tempore Daniel epiſcopus Vintonienſis Romam peregrinus adiit; rex verò Inas Clitonem quendam, id eſt, regii ſanguinis virum, nomine Cenulphum, occidit. Sive autem illum lege damnatum, ſive bello victum ſuſtulerit, authores omnino tacent. Joannes epiſcopus Eboracenſis, quum jam præ nimia ſenectute adminiſtrando præſulatui minùs ſufficeret, ordinato pro ſe circa anni hujus initium presbytero ſuo Vilfrido juniore, ad monaſterium ſuum Beverlaci poſitum ſeceſſit, ibíque paucos poſt menſes vitâ exceſſit, ſepultúſque illic, *Beverlacenſis* exinde agnominatus eſt. Regionem adjacentem Beda *Sylvam Deirorum* vocat. Anno proximè ſequenti, dum Inas Saxones Auſtrales nuper rebelles ad obſequium redigere ſatagit, alter Clito, nomine Albertus, forſan in ultionem Cenulphi Clitonis, in ipſum inſurrexit, & *Tantone* caſtrum in pago Somerſetenſi, non ità pridem à rege conſtructum, occupavit. Sed Æthelburga regina, collecto exercitu, receptum caſtrum ſolo æquavit, exturbato Alberto, qui protinus ad Auſtrales Saxones fugâ ſe contulit, à quibus in regem ſuſceptus adlectúſque eſſe videatur; & mox illi cum Ina prælium haud incruentum conſeruêre. Sed anno ſeptingentéſimo viceſimo quinto, quum per triennium ſæviiſſet

Malm. *antiq. Glaſton.* Uſſer. *Primord. cap. 6.* Spelm. *Concil.* *Annal. Saxon.* Florent. Vigorn. Bed. *lib. 5. cap. 6.*

722. *Annal. Saxon.* Florent. Vigorn. Hunt. *lib. 4.*

725.

ſæviiſſet illud bellum, rex Inas, hoſtes ſtrenuè aggreſſus, inſigni eos pugnâ funditus profligavit, ipſum Albertum interfecit, Saxonéſque Auſtrales iterum ſub jugum miſit; quos Danielis Vintonienſis epiſcopi juriſdictioni, mortuo ante hæc Edberti Selſeienſis antiſtitis ſucceſſore Eollâ, ſubſtravit. Ad hunc annum nonnulli præfatam Inæ in Glaſtonienſes munificentiam referunt, atque in Indictionis, non Anni Domini, ad *Magnum Privilegium* adnotatione, eratum eſſe ſentiunt, adeóque pro Indictione IV^a, Indictionem VIII^am eſſe reponendam exiſtimant. Hoc tempore Vidredus Cantii rex, triceſimo quinto regni ſui anno ineunte, defunctus eſt, qui cunctas ſuæ ditionis eccleſias à tributis liberas fecit, primúſque regum Angloſaxonicorum chartas & diplomata ſcripta eccleſiis conceſſiſſe memoratur, ſi veteri cuidam eccleſiæ Cantuarienſis M. S^o. codici fidem adhibeamus; quod antiquiorum noſtratium principum præſulúmque chartas ſignatas haud immeritò ſuſpectas reddit. Tres filios reliquit, Æthelbertum, Edbertum & Aldricum; ex quibus Æthelbertus patri ſucceſſit, aſſumpto ſecum in regni ſocietatem Edberto fratre. Hoc anno, qui fuit imperatoris Leonis Iſauri nonus, ſuum *Beda de Temporum ratione* tractatum abſolvit. Uxorem habuit rex Inas nomine Æthelburgam, fœminam ſanè regii generis & animi, quæ, ut Malmesburienſis narrat, dum crebrò viri inſtillaret auribus, ut mundanis rebus vel extremis annis valefacerent, & ille hortantem de die in diem differret, aſtu tandem vincere parat. Cùm enim quadam vice apud villam ingenti tumultu regales luxus explicuiſſent, poſterâ die cùm diſceſſiſſent, villicus ex reginæ con-

Bed. *lib.* 5. *cap.* 19.

Spelm. *Concil.*

Bed. *lib.* 5. *cap.* 24. Florent. Vigorn. Hunt. *lib.* 4.

Malm. *lib.* 1. *cap.* 2.

conſcientia palatium quantâ potuit deformitate, tam ſimo pecorum quàm aggere ruderum, infamat. Poſtremò, in lecto ubi cubuerant porcam noviter enixam collocat. Interea cùm jam plus milliario proceſſum eſſet, illa maritum uxoriis delinimentis aggreditur, rogans ut illuc unde abierant neceſſariò pedem referant, magni diſcriminis rem fore ſi non exaudiat. Re non difficulter impetratâ, rex videns locum, pridie Sardanapalicis deliciis parem, nunc fœdâ ſolitudine deformem, miratur, tacitóque judicio oculi rem examinans, ad mulierem rediit. Tunc illa occaſionem aucupata, lætúmque ſubridens, Et ubi ſunt, ait, Domine conjunx, heſterni ſtrepitus? ubi aulæa Sidoniis ſuccis ebria? ubi paraſitorum diſcurrens petulantia? ubi Dædala vaſa pondere metallorum menſas ipſas onerantia? ubi terrâ maríque exquiſita ad gulæ lenocinium obſonia? Nonne omnia fumus & ventus? nonne omnia tranſierunt? & væ his qui hæſerint, quia ſcilicet tranſibunt. Nonne omnia ſicut fluvius præceps & currens in mare? & væ his qui hæſerint, quia ſcilicet trahentur. Cogita, quæſo, quàm miſerabiliter defluent carnes, quæ modò in deliciis nutriuntur. Nonne nos qui ingurgitamur uberiùs, putreſcimus miſeriùs? Potentes potenter tormenta patientur, & fortioribus fortior inſtat cruciatio. Nec plura locuta, maritum compulit in ſententiam exemplo, quam fruſtrà inſuſurraverat verbo. Nam poſt triumphales bellorum manubias, poſt multarum virtutum gradus, ſummum culmen perfectionis meditatus, Romam abiit. Ibi nè pompam ſuæ converſionis faceret, non publicis vultibus expoſitus crinem depoſuit, ſed, ut ſolius Domini oculis placeret, amictu plebcio tectus

clàm

clàm conſenuit. Nec deerat tanti dux fœmina facti; quæ cùm antea virum ad hoc audendum incitâſſet, tunc mœrentem verbis lenire, & labantem exemplis erigere, prorſus quod ad ſalutem ejus ſpectaret nihil dimittere. Ità mutuâ charitate connexi, temporibus ſuis viam hominum ingreſſi ſunt. Hactenus Malmesburienſis.

Bed. *lib.* 5. *cap.* 7. Regem iſtum Beda appellat *Hun*, eúmque triginta ſeptem annis imperium tenuiſſe prodit. Quod ipſum Ranulphus Ceſtrenſis facit. Florentius regnum ejus ab anno ſexcenteſimo octogeſimo octavo arceſſens, & in anno ſeptingenteſimo viceſimo octavo terminans, quadraginta annos ei tribuere videtur. Annales Angloſaxonum, Bedæ numerum primò retinentes, tamen ejus regnum ab anno ſexcenteſimo octogeſimo nono exorſi, & in eundem cum Florentio annum deſinentes, triginta novem ei aſſignant.

Florent. Vigorn.

Annal. Saxon.

Malm. *lib.* 1. *cap.* 2. Annos duodeſexaginta, forſan pro duodequadraginta, habet Guilielmus Malmesburienſis.

Hunt. *lib.* 4. Matth. Veſtm. At Bedæ ſuffragantur Huntingdonienſis & Florilegus, quorum ille initium Athelardi, hic Inæ diſceſſum, in annum ſeptingenteſimum viceſimum ſeptimum conjicit. Quâ quidem ratione ille annos triginta ſeptem completos, atque unum aut alterum præterea menſem, regnaverit. (Uterque verò, tum Henricus tum Matthæus, cum *Annalibus* Angloſaxonum quoad Inæ regni principium conſentiunt.) Anno, inquit Florilegus, ſeptingenteſimo viceſimo ſeptimo, Inas rex felix & potens, Athelardo cognato ſuo regnum ſuum relinquens, Romam petiit, ut pro regno temporali commutaret æternum. Quò cùm perveniſſet, fecit in civitate domum, conſenſu & voluntate Gregorii Papæ, (nimirum ſecundi,) quam *Scholam Anglorum* appellari

727.

fecit,

fecit. Ad quam reges Angliæ, & genus regium, cum epiſcopis, presbyteris & clericis, in doctrina & fide catholica erudiendi venirent, nè quid in eccleſia Anglicana ſiniſtrum aut catholicæ unitati contrarium doceretur, & ſic in fide ſtabili roborati, ad propria remearent. Fecit præterea, juxta domum præfatam, eccleſiam in honorem beatæ Virginis Mariæ fabricari, in qua Anglis Romam advenientibus divina celebrarentur myſteria, & in qua poſſent (ſi quem ex Anglis Romæ mori contingeret) ſepeliri. Et hæc omnia ut perpetuæ firmitatis robur obtinerent, ſtatutum eſt *generali decreto*, per totum regnum Occidentalium Saxonum, in quo prædictus Inas regnabat, ut ſingulis annis de ſingulis familiis denarius unus, qui Anglicè *Romeſeot* appellatur, beato Petro & eccleſiæ Romanæ mitteretur, ut Angli ibidem commorantes vitale ſubſidium indè haberent. Ità Matthæus. Cæterùm ad *Generale Decretum*, ultimò memoratum, quod attinet; ſive illud Inæ jam Romæ agentis, & ſeculares facultates necdum ſtatim exuentis; ſive etiamnum in Anglia præſentis, & quæ memoravimus animo molientis, authoritate, paulò ante diſceſſum ſuum fuerit ſancitum; ſive bis Romam Inas adiverit, primò poſt conſummatam Glaſtonienſis monaſterii ſtructuram, (quod *Liber ejuſdem abbatiæ* M.S. in Collegio S. Trinitatis Cantabrigiæ adſervatus apertè narrat,) deinde poſt regnum abdicatum; aliis relinquo diſquirendum. Præfatæ autem Donationis ità etiam meminit Ranulphus Ceſtrenſis: Rex, inquit, *Inas*, commendato regno ſuo Veſſaxonum Athelardo cognato ſuo, Romam profectus eſt. Qui primus omnium regum denarium ex ſingulis domibus *Polychr. lib. 5. cap. 24.*

mibus regni ſui beato Petro fertur conceſſiſſe, quod diu ab Anglis *Romeſcot*, Latinè verò *Denarius Petri*, vocabatur. Ejus pietatem ità celebrat Malmesburienſis: Quantus, inquit, in Dei rebus fuerit, indicio ſunt leges ad corrigendos mores in populo latæ; in quibus vivum ad hoc tempus puritatis ſuæ reſultat ſpeculum. Quum verò idem Guilielmus, *non ſolùm Cantuaritas, ſed & Orientales Anglos hæreditarium ejus excepiſſe odium, omni nobilitate primò pulsâ, poſt etiam bello fusâ*, nullâ omnino factâ belli contra Auſtrales Saxones geſti, quos ejus anteceſſor Cedovalla priùs domuerat, mentione, retulerit; pro *Orientalibus Anglis* ibi reponendos eſſe *Auſtrales Saxones*, liquidò conſtat; quum laceſſitos ab eo Anglos Orientales, nemo præterea uſpiam memoraverit; ſubactos autem ab eodem fuiſſe bello quaſi hæreditario Auſtroſaxones, univerſi conſentiant. Porrò, *Orientales* quoque *Saxones* ei paruiſſe, hinc eſt colligere, quòd in legum ſuarum proœmio, Ercenovaldum antiſtitem Londinenſem diſertè, ut antea dictum eſt, *Epiſcopum ſuum* vocat. Crebrò apud Authores veteres Anglorum regis titulo Inas decoratus occurrit, & à Simeone Dunelmenſi Rex famoſiſſimus per totius fines gentis Anglorum appellatur; ac proinde jure optimo inter ſummos Monarchas collocatur. Fratrem unicum habuit nomine Ingiſilum, Egberti regis abavum; duáſque ſorores, Cuthburgam, & Quenburgam. Cuthburgam, poſt primæ ſuæ conjugis mortem, duxit Alfredus rex Northumbrenſium: quæ tamen haud multò poſtea, conjugio vitæ moniali poſthabito & diducto, primùm Bercingenſem ſub Hildelida abbatiam in agro Eſſexienſi poſitam ingreſſa, mox, ipſa magiſtra

Malm. *lib.* 1. *cap.* 2.

Spelm. *Concil.*

Annal. Saxon. Florent. Vigorn. Malm. *lib.* 1. *cap.* 2.

magiſtra Regulæ, Vinburnæ in pago Dorſetenſi vitæ reſiduum tranſegit. Uxorem Inas rex unicam habuit, Æthelburgam prædictam, quæ protinus poſt mariti diſceſſionem eandem abbatiam Bercingenſem adiit, utì narrat Ranulphus Ceſtrenſis, ibíque demum, poſt Hildelidæ, quæ ejus ſoror exſtitit, obitum, facta Abbatiſſa conſenuit. Ipſe Inas Romæ monachus effectus vitam illic cum morte commutavit, & in præfata Sanctæ Mariæ eccleſia ſepultus eſt. Audaculus verò quidam interpolator, qui varios regis Edovardi Confeſſoris legibus centones intertexuit, minuſculis in Guilielmi Lambardi Archæonomia characteribus deſcriptos, utpote in exemplari vetuſtiori & genuino minimè comparentes, regem Inam, contra univerſos rerum Angloſaxonicarum ſcriptores, bigamum fuiſſe, ultimámque duxiſſe uxorem *Gualam*, à qua *Gualliæ* nomen Cambriæ inditum foret, cúmque ea Cambriam ac Cornubiam totúmque Cadovalladri regnum obtinuiſſe, fingit. Hujuſce autem fabulæ vanitas exinde redarguitur, quòd Æthelburgæ ſuaſu Inam petiiſſe Romam, ibidémque attonſum nullam poſtea duxiſſe conjugem, docent Authores probatiſſimi. Ipſum quoque de *Gualà* hac regina imaginaria, Cambriæ nomen imponente, figmentum, à Galfrido primitus excogitatum, Giraldus Cambrenſis Galfrido contemporaneus haud immeritò explodit. Ejuſdem verò farinæ ſunt & cætera præfati interpolatoris de Arcturio ad eaſdem leges aſſumenta. In Chronico Cambrobritannorum *Inas* rex peràm *Ivas* dicitur, & cum *Ivoro* Britanno (ut apud Hiſtoriam Britannicam Cedovalla cum Cadovalladro) ineptè confunditur; & Centuino, non Cedovallæ, ductâ ejus cognatâ Æthelburgâ,

Polychr. lib. 5. cap. 24.

Lambard. Archæon.

Galfr. lib. 9 cap. 6. Girald. Cambr. Deſcrip. cap. 7.

Chron. Cambr.

thelburgâ, ſucceſſiſſe, & Britannis æquè ac Viſiſaxonibus imperâſſe, contra luculentam hiſtoriæ fidem, perhibetur. Quum tamen *Inam* non *Alani* Armoricæ regis, quod de *Ivoro* dicendum eſt, ſed Cenredi Viſiſaxonis filium exſtitiſſe, & Britannis ſatis infeſtum fuiſſe, jam oſtendimus. Sub hoc rege floruerunt Guthlacus eremita Crolandienſis, ejúſque ſoror *Pega* ſanctimonialis; & in Hybernia Geraldus Saxo. Cum Ina vixerunt Clodovæus, Childebertus, Dagobertus, Clotharius & Chilpericus, Francorum, Egica, Vitiza, Rodericus & Pelagius, Viſigothorum, Cunibertus, Luidbertus, Reginbertus, Aribertus, Anſprandus & Luidbrandus, Longobardorum, in Gallia, Hiſpania & Italia, reges.

XIV. *ÆTHEL-*

XIV. ÆTHELBALDUS.

INÆ Romam diſcedenti ſucceſſit, in regno Viliſaxonum Athelardus cognatus, in ſuprema Anglorum Monarchia rex Merciorum Æthelbaldus ſive Adelbaldus. Huic pater fuit *Alvius* ſive *Alvion*, avus *Eoppa*, Pendæ regis frater. Erat ille, juxta Ingulphum, *elegantis ſtaturæ, validus corpore, bellicoſus animo; ſed corde nimium elatus, & lubricæ temeritatis ſtillator immoderatus, unde multa perpeſſus eſt diſcrimina.* Ille igitur, *perſequente ipſum huc illuc rege Ceolredo*, Crolandiam ad Confeſſorem ſuum Guthlacum, *exinanitis ſuis ſuorúmque viribus, exſul pervenit.* Qui mœrentem benignè conſolatus, *generis ſui dominationem, inimicorum conculcationem, & populorum principatum brevi abſque ulla pugna, plaga vel ſanguinis effuſione*, eventurum illi prædixiſſe fertur. Quocirca, mortuo Ceolredo, Merciorum regno potitus, Abbatiam Crolandienſem in Guthlaci eremitæ jam demortui memoriam atque honorem fundavit, & opulentis prædiis eximiè locupletavit. Quúmque hæreditariæ ditioni magna cum prudentiæ ac ſtrenuitatis fama annos undecim præfuiſſet, abſcedente *Iná*, decimusquartus Anglorum Monarcha evaſit. At Athelardum Occidentalium Saxonum regem (quem Æthelburgæ reginæ fratrem fuiſſe docet *Magnum* illud *Privilegium* Glaſtonienſibus conceſſum) primo regni ſui anno res novæ excepere runt. Surgentes enim ejus primitias frequenter interpolavit *Oſwaldus* regii ſanguinis adoleſcens; & provincialibus in rebellionem concitatis,

727. Ingulph. *Croland. hiſtor.*

Malm. lib. 1. cap. 2.

citatis, bello eum perſequi conatus eſt. Tandem ad manus ventum, acerrimèque pugnatum
Hunt. *lib.* 4. eſt. *Cùm autem juvenis, impar numero regalibus turmis, pondus prælii diu pertuliſſet, & ultrà* perſtare non poſſet, fugâ ſaluti conſuluit. Hanc
728. pugnam Annales & Florentius in annum ſeptingenteſimum viceſimum octavum conjiciunt,
Annal. Saxon. cujus nimirum pars prior, ſive inchoans, cum
Florent. Vigorn. definente primi anni regni Athelardi, quo conſertum eſſe hoc prælium omnes conſentiunt,
Chron. Cambr. optimè concurrerit. Eodémque anno rex Mer-
Bed. *lib.* 5. *cap.* 24. ciæ Æthelbaldus cum Britannis prope Abergevenniam conflixit. Anno ſeptingenteſimo vi-
Idem in epit. ceſimo nono Oſricus Northumbrenſium rex,
Florent. Vigorn. quum annos undecim regnâſſet, defunctus eſt. Occiſum fuiſſe volunt Annales Angloſaxonum,
729. tametſi quoad mortis annum à Beda & Florentio perperàm diſcedunt. Succeſſit ei Ceolulphus, quem ipſe vivens adoptaverat. Fuit
Annal. Saxon. ille Cenredi regis fratruelis, & Cudæ filius,
Hunt. *lib.* 4. Cuthovini nepos, Ledoaldi pronepos, Egualdi abnepos, Aldhelmi atnepos, Ogæ (qui Idæ primi Northumbriæ regis ex concubina filius
730. exſtitit) trinepos. Anno proximè ſequenti Oſuvaldus ille Clito præfatus, vir ſtrenuiſſimus, defunctus eſt, quum jam plurimas Athe-
Florent. Vigorn. lardo regi moleſtias turbáſque excitâſſet, regni
Annal. Saxon. apicem ſibi jure deberi obtendens, quippe qui Æthelbaldi filius, Cinibaldi nepos, Cuthovini pronepos, Ceulini regis abnepos, arctiſſimo neceſſitudinis ac cognationis gradu præcedentes
Joann. Brompt. *Chron.* reges duos contingebat. Ejus patrem Æthelbaldum cum magno rege Merciorum Æthelbaldo Abbas Jorvallenſis ineptiſſimè confundit. Intra poſtremum hoc quadriennium ab Inæ diſceſſu proximè elapſum, rex Æthelbaldus Viſi-

Viſiſaxones, bello civili laborantes & miſerè obtritos, tribúſque præliis à Britonibus juxta Caradocum Lancarvanenſem ſuperatos, ingenti collecto exercitu fortiter adortus, imperata facere coëgit. Quo ſucceſſu cæteri etiam citra Humbrum reges territi ſeſe ei ſubmiſêre. Unde Beda, Eccleſiaſticam ſuam hiſtoriam anno ſeptingenteſimo triceſimo primo abſolvens, ubi variarum cis Humbrum provinciarum epiſcopos recenſuiſſet, iſta ſubjicit: *Et hæ omnes*, inquit, *provinciæ, cæteræque Auſtrales ad confinium uſque Humbri fluminis, cum ſuis quæque regibus, Merciorum regi Æthelbaldo ſubjectæ ſunt.* Eodémque anno Bertualdo archiepiſcopo Cantuarienſi mortuo ſuffectus eſt Tatuinus. Hiſtoriam illam Beda Ceolulpho Northumbrenſium regi dicavit, utpote principi non ſolùm ad cætera idoneo, ſed cui præterea non defuit literarum peritia acri animo & alacri ſtudio comparata; eligens nimirum in illo authoritatem bene dicta roborandi propter imperium, & ſcientiam perperàm dicta emendandi propter ingenium. Fuêre tamen in Northumbria qui hunc talem tantúmque virum odio rebelli impeterent; unde *ejus regni & principia & proceſſus tot ac tantis redundâſſe rerum adverſantium motibus, ut quid de his ſcribi debeat, quémve habitura ſint finem ſingula, necdum ſciri valeat*, Beda conqueritur. Sed & alii, ipſum anno ſequenti *captum & attonſum*, mox autem, quo pacto incertum, libertati *reguóque reſtitutum* eſſe, narrant. Illo certè anno, juxta *Bedæ Auctarium*, pro Vilfrido juniore, ſponte ut videtur aſſentiente, Egbertus, regis Ceolulphi cognatus, Eboraci factus eſt epiſcopus, aut potiùs eidem Vilfrido datus eſt adjutor. Anglis

Chron. Cambr.

Bed. lib. 5. cap. 24.

731.

Malm. lib. 1. cap. 3.

732.

Simeon Dunelm. Roger. Hoved. Matth. Weſtm. Bed. epit.

hoc tempore fœderati erant Picti, Scoti pacati; Britones Cumbrenſes & Alcludenſes, partim ſui juris, partim Anglorum ſervitio mancipati. Recrudeſcente inter Mercios & Occidentales Saxones diſcordiâ, rex Æthelbaldus, juxta Angloſaxonum Annales & Fabium Æthelvardum

733. anno ſeptingenteſimo triceſimo tertio, Somertonæ villam regiam caſtrúmque obſidione cinxit, & in poteſtatem redegit. Cum iis conſentit Huntingdonienſis, bellúmque iſtud in ſeptimum Athelardi Viſiſaxonis annum conjiciens, ità deſcribit: Æthelbaldus rex Merciæ fortiſſimus, congregato terribili exercitu, obſedit *Somertonam*, caſtris diſpoſitis per gyrum: cúmque non eſſet qui auxilium incluſis afferret, vel includentibus reſiſtere poſſet, eam recepit in ſuam poteſtatem. Æthelbaldus igitur rex Mercenſis, maximâ virtute ſuper reges coætaneos provectus, omnes provincias Angliæ uſque ad Humbrum flumen, cum ſuis regibus, ſibi ſubjectas eſſe voluit & fecit. Ità Henricus. Fuit olim hæc *Somertona* primarium pagi Somerſetenſis oppidum, unde ab Aſſerio Menevenſi provincia illa crebrò *Somertonenſis* appellata eſt.

Annal. Saxon. Æthelv. lib. 2. cap. 14. Hunt. lib. 4.

Aſſer. in vita Alfredi.

734. Anno ſeptingenteſimo tricefimo quarto obiit Tatuinus Archiepiſcopus Cantuarienſis: quo etiam anno, juxta Angloſaxonum Annales, Florentium Vigornienſem & Malmesburienſem, aliósque eorum ſequaces, inclytiſſimum illud Anglorum decus, clariſſimum Britanniæ ſydus, Beda venerabilis defunctus eſt. Sed qui *Auctarium* ad ejus Epitomen Chronologicam concinnavit, Annales Ultonienſes, Simeon Dunelmenſis, Rogerius Hovedenus, & Thomas Stubbeſius, ejus mortem in annum proximè ſequentem

Simeon de Ebor. Archiep. Stubb. Act. Pontif. Ebor.

735.

tem conjiciunt: pro quibus facit ipſius diſcipulus Cudbertus junior, qui, ut Florentius ingenuè fatetur, morienti præceptori cum plurimis aliis interfuit, vitámque illius deſcripſit, cúmque *anno ſeptingenteſimo triceſimo quinto, ante Aſcenſionem Dominicam, feriâ quartâ, octavâ calendarum Junii, circa horam decimam, in magna mentis devotione & tranquillitate ultimum è corpore ſpiritum efflâſſe*, animámque Deo reddidiſſe, teſtatur. Sic finem is vivendi fecerit anno ſuo climacterico, die Maii viceſimo ſexto, primúmque in monaſterio Girvienſi ſepultus, deinde in eccleſia Dunelmenſi prope Cudbertum epiſcopum tumulatus eſt. Per univerſam adeò Europam ejus fama inclaruerat, ut, ad enodandas quaſdam Sacræ Scripturæ quæſtiones, ejus auxilio ſublimitas Romana indigeret; miſiſſque eapropter ad Ceolfridum abbatem literis, Sergius Papa ipſum ad ſe mitti poſtularet. Veruntamen illum Romam adiiſſe hiſtoricorum noſtrorum veterum nemo diſertè affirmat. Utcunque talis ille tantúſque exſtitit, ut doctior fuerit ſanctiórve, ſtatuere admodum ſit difficile. Eodem anno vitâ exceſſit Pectelmus, ex Angloſaxonum genere primus *Candidæ Caſæ* ſive *Whitternæ* in Gallovidia epiſcopus. Quem utique virum Hector Boëtius ſtupendâ quadam metamorphoſi, etiam Bedâ citato teſte, in regionem transformat, ac *Pictimiam* vocat. Eo quoque anno, qui fuit Ceolſulphi Northumbri ſeptimus, epiſcopatu Eboracenſi, quem per annos quindecim adminiſtraverat, Vilfridus junior penitùs ſe exuit, cujus ex coadjutore ſucceſſor Egbertus prudentiâ ſuâ & cognati potentiâ Sedem ſuam protinus in genuinum ſtatum reformavit. Paulinus certè, primus

Florent. Vigorn.

Malm. *lib.* 1. *cap.* 3. Matth. Veſtm.

Florent. Vigorn.

Boët. *lib.* 9.

Bed. *lib.* 5. *cap.* 24.

Simeon Dunel. Roger. Hoved.

Bed. *epit. contin.* Stubb. *Pontif. Eborac.* Malm. *lib.* 3. *de Pontif.*

primus ejuſdem antiſtes, vi hoſtium loco pulſus, ac Roſſæ diem obiens, ibidem illud Inſigne Pallii quod ab Honorio Papa ſuſceperat reliquit. Cæteri poſt eum tantæ urbis præſules, ſimplici Epiſcopi vocabulo contenti, nihil altius anhelârunt. At verò Egbertus inthronizatus, animoſioris ingenii homo, (cogitans, *quòd ſicut ſuperbum eſt ſi appetas indebita, ità ignavum ſi negligas debita,*) *multâ* Sedis Romanæ *appellatione* Pallium reparavit. Hic omnium liberalium artium, inquit Malmesburienſis, armarium fuit, & nobiliſſimam bibliothecam Eboraci conſtituit. Cujus rei teſtem idoneum advocat Alcuinum, in epiſtola ad Carolum Auguſtum ità dicentem; *Date mihi exquiſitioris eruditionis ſcholaſticæ libellos, quales in patria habui, per bonam & devotiſſimam magiſtri mei Egberti Archiepiſcopi induſtriam; &, ſi placet Excellentiæ veſtræ, remittam aliquos ex pueris noſtris, qui excipiant indè quæque neceſſaria, & revehant in Franciam flores Britanniæ.* Ad hunc Egbertum Beda epiſtolam ſcripſit, quam unà cum paucis aliis ejuſdem tractatiunculis D. *Jacobus Waræus* haud ità pridem in lucem edidit.

Idem lib. 1. *de Pontif.*

Tatuino in Archiepiſcopatu Cantuarienſi ſucceſſit Nothelmus, quem ferunt illum eſſe Londinenſis eccleſiæ presbyterum, quem, in prologo Hiſtoriæ Anglorum, Beda refert multo ſibi emolumento fuiſſe ad geſta compaginanda, ex Romano ſcrinio allatis epiſtolis quæ eſſent illi operi neceſſariæ. Hunc anno proximo, qui

736. *Annal. Saxon.* Florent. Vigorn.

fuit ſeptingenteſimus triceſimus ſextus, Gregorius tertius Papa Pallio donavit. Annóque ſequenti *Fridigitha* Occidentalium Saxonum regina, Athelardi regis uxor, & *Fortherius* (ſive *Fordredus*) epiſcopus Schireburnenſis, Romam

737.

adierunt,

adierunt, illic vitæ reſiduum exacturi. Fortherio ſucceſſit *Herewaldus*, quem *Sigebaldus* quidam rex Viſiſaxonicus, in ſua ad Bonifacium Moguntinum epiſtola, *Erenwaldum* vocat. Quis autem iſte *Sigebaldus* fuerit, ſive idem qui alio nomine *Athelardus* à noſtratibus hiſtoricis nuncupatur, ſive ejuſdem frater aut filius regni conſors, ſive alius quiſpiam præpollens ſub eo regulus, nec ipſe Bonifacianarum epiſtolarum editor Nicolaus Serarius ſatis expedit, nec unquam alibi reperire potui. Viſiſaxonem fuiſſe liquet, quia Danielem antiſtitem Vintonienſem ipſe *ſuum epiſcopum* appellat. Eodem anno Ceolulphus Northumbrenſium rex, quum annos octo regnâſſet, monaſticum in Lindisfarnenſi cœnobio habitum accepit. Cui anno proximè ſequenti deſignatus ab ipſo Edbertus ſucceſſit; cujus pater *Eta* Ceolulphi regis patruus, Cudæ frater, & Ledoaldi ex Cuthovino filio nepos exſtitit. Hujus Edberti frater fuit præfatus Egbertus Archiepiſcopus. Anno quadrageſimo ſupra ſeptingenteſimum rex Merciorum Æthelbaldus per impiam fraudem vaſtabat partem Northumbrorum; erátque rex eorum Edbertus occupatus cum ſuo exercitu contra Pictos: cúmque non eſſet qui ingruenti reſiſtere poſſet, prædâ arreptâ quantam voluit, ſecum ad ſuos tranſvexit. Quod tamen nonnulli ſub interregno inter Ceolulphum & Edbertum contigiſſe autumârunt. Anno ſeptingenteſimo quadrageſimo primo rex Athelardus, quum Occidentalibus Saxonibus annos quatuordecim præfuiſſet, moriens, Cudredum cognatum (vel, ut Florilegus Simeonem & Hovedenum ſecutus mavult, fratrem) habuit ſucceſſorem. Mortuo etiam

Bonif. epiſt. 49. 2

Bed. *epit. continuat.*

Malm. *lib.* 1. *cap.* 3. Hunt. *lib.* 4.

738.

740. Bed. *epit. continuat.* & Hunt. *lib.* 4. & *Abbas Jorvall.*

741. *Annal. Saxon.* Florent. Vigorn.

etiam Nothelmo, Cudbertus à Mageſetenſi, id eſt, Hereſordienſi ſede ad Cantuarienſem transfertur. Anno ſeptingenteſimo quadrageſimo ſecundo celebratum eſt Concilium *Clivenſe* primum ſub Archiepiſcopo Cudberto & Rege Æthelbaldo, quo Vidredi regis privilegia de Cantianarum eccleſiarum libertate, in Becanceldenſi & Berghamſtadienſi ſynodis conceſſa, per totum Merciorum quoque regnum obſervanda confirmantur.

742. Spelm. *Concil. ex* Jocelin. *& alio M. S.*

743. *Annal. Saxon.* Florent. Vigorn. Hunt. *lib.* 4 Matth. Weſtm. *Abb. Jorvall.*

Anno ſeptingenteſimo quadrageſimo tertio Æthelbaldus & Cudredus, paulò antea diſcordes, tunc autem ſimul pacificati, ut Huntingdonienſis verbis utar, pugnaverunt viribus conjunctis contra Britannorum innumerabilem multitudinem. Cúmque reges fortiſſimi, exercitúſque eorum clariſſimi, inter ſe diviſi, hinc & indè certatim, & quaſi ex invidia, Britannorum phalanges percutientes ſternerent; nequiverunt tantum bellandi onus perferre Britanni. Fugam igitur eligentes dederunt terga percutientibus, & ſpolia ſequentibus. Reges autem victorioſi remeantes ad ſua, triumphalibus gaudiis ſuſcepti ſunt. Ità Henricus. Hoc anno moritur Vilfridus epiſcopus Vigornienſis,

744. cui ſuffectus eſt Mildredus. Annóque proximo alter Vilfridus, ſcilicet quondam Eboracenſis antiſtes, è vivis exceſſit. Quo quidem anno recuperatum fuiſſe ab ejus prædicto ſucceſſore Egberto Pallium, Florentius aliíque nonnulli tradunt: quos cum Simeone Dunelmenſi cæteríſque prioris ſententiæ aſſertoribus haud aliter conciliare poterimus, quàm ſi dicamus, tractatam eſſe Egberti per integrum novennium in curia Romana cauſam, anno ſcilicet ſeptingenteſimo triceſimo quinto inchoatam, & hoc demum

demum anno conſummatam: cui etiam opinioni favere quodammodo videtur Malmesburienſis, *Pallium multâ throni Apoſtolici appellatione reparatum* eſſe, ſcribens. Conſertum hoc anno inter Pictos & Britones prælium memorant Simeon Dunelmenſis & Rogerius Hovedenus. Quam pugnam cum illa eandem eſſe opinor, quam Caradocus Lancarvanenſis, luxato uti ſolet chronologiæ ordine, ad annum abhinc ſextum refert, & *Magedaucenſem* vocat, eâque Pictorum regem Dalarganum (ſive Thalarganum) cecidiſſe narrat. Daniel epiſcopus Vintonienſis, ſenectute admodum gravatus, præſulatu ſponte dimiſſo, privatus in ſua civitate aliquantiſper reſedit, ſuffecto ſibi Humfrido; annóque proximè ſequenti defunctus eſt: quem annum epiſcopatûs ejus quadrageſimum tertium fuiſſe, Annales Angloſaxonum & Florentius produnt; qui ipſi tamen in hoc cum Beda conſentiunt, haud ante annum ſeptingenteſimum quintum eccleſiæ eum Vintonienſi præpoſitum fuiſſe; unde primos tres annos Congarsburienſi forſan & Fontanenſi ejus præſulatibus, à Glaſtonienſi Chronographo memoratis, eſſe aſſignandos, haud incredibile videatur. Anno ſeptingenteſimo quadrageſimo ſexto Selredus Orientalium Saxonum rex, anno regni ſui triceſimo octavo, interfectus eſt; quomodo autem vel à quo occiſus fuerit, Hiſtorici non dicunt. Matthæus Florilegus octennio citiùs trucidatum cenſet, à Simeone Dunelmenſi & Rogerio Hovedeno deceptus, qui *Suetbertum* quendam Orientalium Saxonum regem eo tempore *obiiſſe* ſcribunt, quem unà cum Selredo potiùs aliquandiu regnâſſe veri ſimilius eſt. Poſt hunc Selredum regno illi admotus eſt Suithredus.

Malm. *lib.* 3. *de Pont.*

Chron. Cambr.

Annal. Saxon. Florent. Vigorn.

745.

746.

Malm. *lib.* 1. *cap.* Hunt. *lib.* 4.

dus. Magnam Germanorum partem religione Chriſtianâ imbuerat Vinfridus Anglus, mutatóque à Papa nomine, *Bonifacius* appellatus, & Moguntinus Archiepiſcopus factus eſt. Hunc Papa Gregorius tertius ſacramento aſtrinxerat, nè conterminarum gentium mores notitiæ ejus ſubtraheret. Ille igitur congentiles ſuos Angloſaxones, à primæva pietate degeneres, luxuriâ, crapulâ, ebrietate, libidine, ſacrilegio, cæteríſque ejuſmodi vitiis infames ſordere audiens, quæ non ſolùm reges, proceres atque populum, ſed & Clerum ipſum coïnquinaverant, miſſis ad Cudbertum Archiepiſcopum literis, graviter hæc coarguit, ſynodúmque propter ea corrigenda indicendam monet: quod ipſum quoque à Zacharia Papa Gregorii ſucceſſore factum. Sed & Æthelbaldum regem Sanctimoniales captantem liberrimâ reprehendit epiſtolâ. Quibus rebus adducti Rex atque Archiepiſcopus, ut tanto malo obviàm irent, Concilium ſecundum *Clivenſe*, anno ſeptingenteſimo quadrageſimo ſeptimo, in agro Varvicenſi coëgerunt. Ubi quàm plurima decreta, ad Eccleſiæ morúmque reformationem apprimè conducentia, ſunt ſancita; quæ omnia Bonifacius, ad ſe à Cudberto tranſmiſſa, lætus accepit, literáſque ad eundem gratulatorias reſcripſit. Locus in quo Concilium hoc inſigne celebratum eſt *Clivus* dicitur, Anglicè *Cliffe*, quem in Cantium transfert Camdenus, quanquam nullus rex Cantianus aut huic aut priori interfuiſſe memoratur; neque adeò eſt probabile, Merciorum reges, à quibus crebræ in hoc loco coactæ ſunt ſynodi, in aliena eas ditione toties edicere voluiſſe. Ad eos igitur potiùs accedo qui in Mercia collocant. In hoc Concilio, indulta antehac

Malm. *lib.* 1. *cap.* 4.

747. *Idem lib.* 1. *de Pontif.* Matth. Veſtm. Spelm. *Concil.*

Camd. *in Cant.*

hac eccleſiis privilegia confirmavit omnia auxitque rex Æthelbaldus, integrámque vitæ emendationem in poſterum ſpopondit. Anno ſeptingenteſimo quadrageſimo octavo obiit Edbertus rex Cantianus, anno regni ſui vicefimo tertio, ſuperſtite adhuc fratre Æthelberto, qui proinde ei ſucceſſiſſe perperàm dicitur; quem tamen fratrem natu maximum fuiſſe Beda apertè docet, & immediatè patri ſucceſſiſſe, Florentius in Genealogia regum (*triginta ſex regni annos* ei tribuens) & Florilegus docent; quibus accenſendus eſt Huntingdonienſis, qui tres *Vitredi* filios conjunctim regnáſſe, in fine quarti ſui libri prodit. Ille poſt fratris Edberti mortem Ardulphum quendam, aut ſuum forſan aut Edberti filium, regni conſortem habuit. Qui duo reges, Bonifacio Moguntino familiares effecti, ipſum literis quæ etiamnum exſtant amiciſſimis ſalutárunt. Porrò, *Ardulphus Edberto, Abbati Regulbienſi, terram unius aratri juxta Berghamſtadium, cum omnibus ad eam pertinentibus, liberam ab omnibus ſecularibus ſervitiis conceſſiſſe*, in Evidentiis eccleſiæ Chriſti Cantuarienſis (quamvis luxato temporum ordine) memoratur.

748. *Annal. Saxon. Florent. Vigorn. Malm. lib. 1. cap. 1. Florent. in Geneal. Matth. Veſtm. Hunt. lib. 4. Epiſt. Bonif. 40, & 77. Guil. Thorn.*

Eodem anno occiſus eſt Chenricus, Cudredi Viſiſaxonum regis filius ſtrenuiſſimus, qui, ut Huntingdonienſis loquitur, ætate tener, ſed armis acer, annis parvus, ſed vigore magnus, quum ſucceſſibus ſuis inſtaret, fortunámque nimis ſollicitaret, immoderationem animi cædes militari ſeditione illata punivit. Anno proximo Alphualdus Orientalium Anglorum rex, qui poſt Aldulphum fratrem regnavit, defunctus eſt; cujus regnum, juxta Florilegum, *Beorna* & *Æthelbertus* inter ſe diviſerunt, quos Simeon

Annal. Saxon. Florent. Vigorn. Hunt. lib. 4.

749. *Matth. Veſtm.*

Simeon Dunelm. Roger. Hoved.

Simeon Dunelmenſis & Rogerius Hovedenus appellant *Hun-Beannam* & *Albertum*. Seditionem præfatam Viſiſaxonicam mox conſecuta eſt rebellio, dum incentores præcipui, nè regis irritati principíſque cæſi pœnas luerent,

Æthelv. *lib.* 2. *cap.* 16.

Æthelhuno comiti, *pro aliqua*, ut Æthelvardus loquitur, *invidia reipublicæ* Cudredum laceſſenti, ſeſe aggregant. Ille, ut Huntingdonienſis habet, bellum movens in Dominum, licèt numero militum longè ipſo debilior eſſet, prælium anno quinquageſimo ſupra ſeptingenteſimum conſerere auſus, diu & graviſſimè Martio perſtitit in campo, probitáſque comitis excelſa loco millium fuit. Cúmque ei jam penè victoria lætis applauderet alis, infixum tandem corpori vulnus, & animo perjurium, juſtam regis cauſam triumphare compulerunt. At Æthelhuni virtute opus ſibi adverſus Mercios eſſe perſpiciens Cudredus, rediit cum eo in gratiam.

750. *Annal. Saxon.* Florent. Vigorn. Hunt. *lib.* 4.

Bed. *epit. contin.*

Edberto Northumbrenſium regi, bellis Picticis diſtento, arma, utì dictum eſt, intulerat rex Merciorum Æthelbaldus, qui, ſponſionum Clivenſium immemor, tumore priſtino faſtúque inflatus, Saxonibus Occidentalibus nimiùm gravis moleſtúſque incubuit. Quocirca Cudredus atque Edbertus, ut illatas injurias ulciſcerentur, hoc anno contra Æthelbaldum & Oenguſſam Pictum ſurrexerunt; ex quibus, Edbertus pagum *Chylenſem* Pictis diuturno bello fractis ademptum cum aliis regionibus ſuo regno addidit. Cenulpho quoque Lindisfarnenſi epiſcopo ſuccenſens, quòd Offam Alfredi filium, regii generis virum, ad Cudberti reliquias, ut

Simeon Dunelm. Roger. Hoved.

hoſtes innocentem perſequentes declinaret, confugientem, indéque vi abſtractum, nefandâ nece interimi paſſus eſſet; ei manus injecit, ipſúmque

que captivum in urbem Bamburgum duxit, ac Lindisfarnenſem Sancti Petri eccleſiam aliquantiſper obſideri fecit, quouſque regi de tanto ſcelere ſatisfieret. Enimvero Cudredus, anno ſeptingenteſimo quinquageſimo ſecundo, qui fuit regni ſui duodecimus, cùm jam regis Æthelbaldi ſuperbas exactiones & inſolentiam ferre non poſſet, occurrit ei cum legionibus vexillatis apud *Burfordiam* in pago Oxonienſi, omni ſpe vivendi libertati poſtpoſitâ. Adduxit autem ſecum Æthelhunum prædictum comitem jam ſibi concordem, cujus viribus fretus & conſilio, belli diſcrimen ingredi potuit. Æthelbaldus verò rex regum cum Mercenſibus Cantianos adduxerat, Orientaléſque Saxones & Anglos, copiáſque multiplices. Aciebus igitur diſpoſitis cùm in directum tendentes appropinquarent, Æthelhunus præcedens Viſiſaxones, regis Inſigne, ſcilicet *draconem aureum*, gerens, transforavit vexilliferum hoſtilem. Unde clamore orto, pars Cudredi valde confortata eſt, ſtatímque acies hoſtiles ſibi invicem offenderunt. Ergò tonitruum belli, ſicut offenſionis armorum, & ſonitûs ictuum, clamoríſque cadentium, terribiliter exarſit; bellum maximum & inæſtimabile incipitur, quod vel Mercenſes vel Viſiſaxones uſque in longam poſteritatem vincenti ſupponeret. Videres igitur acies loricis criſpantes, galeis acutas, lanceis hirſutas, vexillis depictas, auro reſplendentes, parvo tempore ſanguine perfuſas, lanceis caſſas, ruinâ diſſipatas, cerebris aſperas, viſu horrendas. Congregantes autem ſe ad vexilla utrinque procaces & fortiſſimi viri, gladiis & ſecuribus amazonicis rem agentes, acies funeſtè aciebus irruebant. Memoria fugæ nulla, ſpes victoriæ utrinque

752. *Annal. Saxon.* Florent. Vigorn. Hunt. *lib.* 4. Roger. Hoved. *Abbas Jorvall.* Matth. Weſtm.

que certa: Mercenſes ſuperbiæ tumor invitabat, Viſiſaxones ſervitutis horror accendebat. At ubicunque Æthelhunus prædictus aciebus ſe infigebat, via ruinarum patebat, dum ſecuris ejus timendiſſima modo fulminis corpora ſimul & arma diſſecaret. Rex autem fortiſſimus Æthelbaldus quácunque ruebat, ſtrages hoſtilis fiebat, dum gladio ejus invictiſſimo eſſent arma pro veſte, oſſa pro carne. Cùm igitur quaſi duo ignes diverſis in partibus impoſiti obſtantia quæque conſumerent, contigit ut ſibi obviàm rex & comes venirent. Uterque verò alteri terribiliter vehementérque infrenduit, dexteram excuſſit, séque in armis collegit, & ictibus immenſis arma inſtantia pares laceſſunt. Deus autem, qui ſuperbis reſiſtit, animo regis ſuperbi ſolitam confidentiam dempſit. Cùm igitur nec animum ſuum nec vires ipſe recognoſceret, pugnantibus adhuc ſuis primus fugam territus cœpit; adeóque læta Cudredo victoria provenit. Hanc pugnam adeò dithyrambicè ab Huntingdonienſi, Hovedeno & Jorvallenſi depictam, nos ipſis eorum verbis uſi hîc exhibuimus. Anno 753. autem ſeptingenteſimo quinquageſimo tertio Cudredus rex denuo cum Britonibus pugnans, ex eis quàm plurimos interfecit, quippe qui victori regis Æthelbaldi fruſtrà reſiſtentes, citò fugam inceperunt, cladémque maximam ſine hoſtium detrimento dignè pertulerunt. 754. Annóque proximè ſequenti Cudredus bellator inclytus, quum annos quatuordecim regnáſſet, vitam cum morte commutavit. (Quo tempore Cantuaria fortuito conflagravit incendio.) Arripuit regnum cognatus ejus *Sigebertus Sigeriei* filius, vir apud ſuos ſævitiâ immanis, idém-

Annal. Saxon. Florent. Vigorn. Hunt. *lib.* 4.

Malm. *lib.* 1. *cap.* 2.

idémque ſoris ignaviâ perinfamis; quocirca conſpirante omnium odio, poſt annum ſolio deturbatus, meliori, ſcilicet Cenulpho, regii ſanguinis viro, locum fecit. Sed, ut ferè in talibus fit, quum magnitudine calamitatis aliquos ad gratiam ſui revocâſſet, eorum virtute provincia Suthantonienſis in obſequio detenta eſt. Verùm cùm nec ſic ceſſaret, modíſque omnibus malè tractaret ſubditos, legéſque vel ad commodum ſuum depravaret, vel pro commodo ſuo devitaret, Cumbranus comes nobiliſſimus, qui fideliſſimè ei adhæſerat, populi querimonias regi ſero expoſuit: quem, quia ipſi ſuaſerat ut clementiùs ageret, ac inhumanitate depoſitâ amabilem omnibus ſe præberet, mox impiâ nece juſſit interfici, ſuíſque ſævior & intolerabilior tyrannidem auxit. Congregati igitur proceres & populus totius regni cum Cenulpho rege, Sigebertum *providâ deliberatione & unanimi conſenſu* prorſus regno expulerunt; qui, non minora meritis extimeſcens, in magnam *Anderidæ* ſylvam fugiens ſe abſcondit, ibíque *diu moratur*; ubi quidam Cumbrani comitis ſubulcus inventum, domini ſui vindex, anno ſeptingenteſimo quinquageſimo ſexto obtruncavit. Eodem anno Edbertus Northumbrenſium & Oenguſſa Pictorum reges, jam concordes, duxerunt exercitum ad urbem Alcludam, id eſt, Britannodunum, in Lenoxia, ibíque Britones indè conditionem receperunt. Poſt decem verò dies interiit exercitus penè omnis quem duxit *Deovama* ad *Neoburgum*, id eſt, ad novam civitatem; qui *Deovama*, ſi Hovedeni mentem rectè capio, Britonicus quidam dux aut regulus (Alcludæ captionem ulciſci cupiens) fuiſſe videatur.

755. Hunt. *lib.* 4. Florent. Vigorn. 756. Simeon Dunelm. Roger. Hoved.

Anno

757. Anno proximo, qui fuit ſeptingenteſimus quinquageſimus ſeptimus, & Cenulphi Viſiſaxonis primus, (à Sigeberti cæde numeratus,) rex Æthelbaldus, quum annum unum ſupra quadraginta regnâſſet, *Secanduni* in agro Varvicenſi à ſuis militibus, triceſimo Monarchiæ anno, ſeditione concitatâ, noctu interemptus, & Repanduni in pago Derbienſi ſepultus eſt. Quo ſcelere patrato, *Beornredus*, rebellionis ac perduellionis incentor, regiæ dignitati ſe pauliſper ingeſſit, ſed mox ab Offa victus ejectúſque eſt. Hunc alii cæſum, alii duntaxat fugatum tradunt. Æthelbaldum à Cudredo fuiſſe ibi prælio trucidatum, Huntingdonienſis ejúſque ſequaces ſomniârunt, quem utique Cudredum ante biennium obiiſſe Scriptores probatiſſimi conſentiunt. Ipſum Æthelbaldum proximo poſt Cudredum anno deceſſiſſe, Annales Angloſaxonum & Florentius narrant; quod cum annorum numero illius regimini ab omnibus tributo neutiquam conſiſtere poterit. Nos igitur in anno mortis ejus deſignando Bedæ *Auctarium*, Simeonem & Rogerium ſecuti ſumus. Nulla hujuſce regis uxor legitima aut proles uſpiam memoratur. Cum eo vixerunt Theodericus, Childericus & Pipinus, Francorum, Luidbrandus, Hildebrandus, Rachiſius & Aiſtulphus, Longobardorum, in Gallia & Italia, reges.

Bed. *epit. contin.*

Malm. *lib.* 1. *cap.* 4. Hunt. *lib.* 4.

Bed. *epit. contin.* Simeon Dunelm. Roger. Hoved.

XV. *OFFA.*

XV. *OFFA.*

ÆTHELBALDO regi, poſt victum Beornredum, eodem anno, tum in Merciorum regno, tum in ſuprema Anglorum Monarchia, ſucceſſit Offa Dingſirti filius, Enulphi nepos, Oſmodi pronepos, Eoppæ, qui Pendæ regis frater fuit, abnepos. Vir ingentis animi, ut Malmesbur. loquitur, & qui omnia quæ mente concepiſſet, efficere proponeret. Annóque proximo Edbertus Northumbrenſium rex, quum annos viginti regnâſſet, Ceolulphi cognati exemplum ſecutus, monachúſque factus, dehortantibus regni proceribus vicinísque regibus, ſucceſſorem ſibi filium Oſulphum ſtatuit. Hoc tempore, ut Florentius docet, *Orientalibus Saxonibus Suithredus, Auſtralibus Saxonibus Oſmundus, Orientalibus Anglis Beorna, reges præfuerunt.* Æthelbertus autem ſive Albertus, quem, ut ſuprà dictum eſt, regni conſortem *Beorna* habuit, obiiſſe antehac videtur. Anno ſequenti Oſulphus rex Northumbrenſium, ubi annum unicum regnâſſet, à ſuis miniſtris facinorosè occiſus eſt; cui Mollo Adelvaldus eodem anno à ſua plebe electus ſucceſſit. Anno ſexageſimo ſupra ſeptingenteſimum Æthelbertus Cantianorum rex, anno regni ſui triceſimo ſexto, deceſſit, quum annos undecim Edberto fratri ſuperfuiſſet. Huic Aldricus frater ſucceſſit. Anno proximo defunctus eſt Oenguſſa rex Pictorum, quem Bedæ Continuator *tyrannum* & *carnificem* appellat. Eodem anno rex Northumbrenſium Mollo Adelvaldus Oſuvium ducem, ſibi rebellem, prælio Elduni juxta Mailroſiam conſerto

757. Bed. *epit. contin.* Malm. *lib.* 1. *cap.* 3. Simeon Dunel. Roger. Hoved.

758.

Florent. Vigorn.

759.

760. Florent. *in Genealog.* Malm. *lib.* 1. *cap.* 3.

761. Bed. *epit. contin.*

Simeon Dunelm.

Florent. Vigorn. victum interfecit. Locum pugnæ Florentius *Clivum Edovini* vocat. Annóque ſequenti rex
762. victor Atheldridam duxit uxorem in oppido
Roger. Hoved. Cataracta. At Ceolulphus quondam rex, tunc verò monachus, in Lindisfarnenſi cœnobio animam efflavit, & *Northamiæ* ſepultus eſt. Qui,
Simeon Dunelm. monachus ipſe factus, effecit ut monachis Lindisfarnenſibus vinum vel cerviſiam bibendi licentia indulgeretur, quum antea, juxta antiquam Aidani epiſcopi traditionem, cum magna diſtrictione, futuræ vitæ ſervientes, non niſi lac vel aquam bibere ſolerent. Ejus mortem in
764. annum ſeptingenteſimum ſexageſimum quartum Simeon & Rogerius conjiciunt. Qui annus duplici malo infauſtus fuit. Nix enim ingens gelu ligata, à principio hyemis penè uſque ad medium veris, terram oppreſſit, cujus vi arbores & olera magna ex parte aruerunt, ac marina animalia inventa ſunt mortua. Nec minùs infeſtum ſenſit ignem Anglia, adeò ut Londinum, Eboracum, Doncaſtria, multæque aliæ urbes villæque, ac monaſteria complura,
765. repentinis incendiis conflagrarent. Anno ſeptingenteſimo ſexageſimo quinto Mollo Adelvaldus, quum per ſexennium regno ſatis impigre functus eſſet, inſidiis Alcredi Fincleiæ in agro
Florent. Vigorn. Dunelmenſi circumventus occubuit. Poſt quem idem Alcredus, Ænovini filius, Birnhomi nepos, Boſæ pronepos, Blocmani abnepos, Alarici atnepos, Idæ trinepos, in regnum ſuſceptus eſt. Anno proximo obiit Egbertus Archie-
766. Roger. Hoved. piſcopus Eboracenſis, anno epiſcopatûs ſui triceſimo quarto. Anno autem abhinc altero Ed-
768. Simeon Dunelm. bertus, quondam rex Northumbrenſium, defunctus, & juxta fratrem ſuum Egbertum præſulem Eboraci in eccleſiæ cathedralis porticu

ſepultus

ſepultus eſt. Eodémque anno rex Alcredus uxorem duxit nomine *Oſgernam*. Anno ſequenti Cataracta villa regia à Beornredo quodam tyranno ſuccenſa eſt, qui etiam ipſe infelix eodem anno talionem luens incendio periit; quem quidem eundem eſſe cum Mercio illius nominis tyranno depoſito, Matthæus Florilegus aliíque nonnulli autumárunt. Anno ſeptingenteſimo ſeptuageſimo primo *Offa rex Merciorum*, ut Simeon & Rogerius loquuntur, *Heſtingorum gentem ſubegerat*. Quinam verò fuerint iſti Heſtingi, nemo hactenus ſatis explicavit. Nonnulli Haſtingos ſcribunt, & Danos intelligunt, quos necdum ad Anglicana littora unquam appuliſſe, primúmque iſthùc poſt annos abhinc ſedecim advectos fuiſſe, omnes antiqui conſentiunt. Neque enim piratas Offa ſubegiſſet, ſed exturbáſſet. Alii Eſtanglos habent, quos tamen ante nefariam regis Æthelberti cædem ab Offa laceſſitos fuiſſe nuſpiam legimus. Cùm igitur victos ab Offa Northumbrenſes Henricus Huntingdonienſis, Radulphus de Diceto & Abbas Jorvallenſis, abſque ulla temporis deſignatione, memorant; nos pro *Heſtingis Eſtingos* eſſe reponendos opinamur, eóque nomine partem Northumbrenſium ad orientale, id eſt, Germanicum mare degentium intelligimus. Nam *Eſting* apud veteres Angloſaxones *Orientalem hominem* aut *Orientalem filium* denotavit. Et Northumbrenſes regi Offæ aut hoc aut nullo ſuccubuiſſe bello deprehendimus. Anno ſeptingenteſimo ſeptuageſimo quarto Offa, Cantium ingreſſus, *Otfordiæ* cum Aldrico rege conflixit; ubi clade horrendâ utrinque peractâ, clarus demum Mercius belli ſucceſſibus effulſit, & fuſis fugatíſque hoſtibus cum triumpho

769. Matth. Veſtm.

771. Simeon Dunelm. Roger. Hoved.

Matth. Veſtm. Hunt. *lib.* 4. *Abbrev. Chron.* Joann. Brompt.

774.

pho receſſit. Sunt qui hoc bellum temere cum priore confundunt, & pro *Heſtingis Eſcingos*
Bed. *lib.* 2. *cap.* 5. ſcribunt, quod nomen Beda Cantianorum reges (non *gentem*) ab Eſco Hengiſti filio traxiſſe prodit. Quibus tamen refragatur temporum ratio; ac Rogerius Hovedenus & Matthæus Florilegus duo iſthæc bella apertiſſimè diſtinguunt.

Eodem anno Alcredus Northumbrenſium rex, quum annos novem regnâſſet, conſilio & conſenſu ſuorum, omni regiæ familiæ ac principum
Simeon Dunelm. Roger. Hoved. deſtitutus ſocietate, exſilio imperii majeſtatem mutavit, primóque ab Eboraco in urbem Bamburgum, poſtea ad regem Pictorum nomine Cinocum cum paucis fugæ comitibus, ſe contulit. Qui verò ipſum expulerant, Mollonis Adelvaldi filium Ætheldredum (qui & Æthelbertus dicitur) ei ſuffecerunt. Annóque proximè ſequenti prædictus Cinocus (ſive Cenegus) vitâ exceſſit.
775.

Anno ſeptingenteſimo ſeptuageſimo octavo, qui fuit Cenulphi Viſiſaxonis viceſimus quartus, idem Cenulphus cum Offa Merciorum rege juxta Benſingtoniam in pago Oxonienſi grave prælium geſſit, quo, quamvis eſſet ipſe bellator haud ignobilis, vjctus tamen, eandem villam regiam unà cum ejuſdem caſtro hoſtibus poſſidendam relinquere neceſſum habuit. Poſt hanc victoriam, Offa in Cambrobritannos eorúmque regem Conanum, Roderici filium ac ſucceſſorem, arma convertit: quibus ultra *Devam* ac *Vagam* fluvios ſubmotis, regiones campeſtres ac planiores inter eos & Sabrinam poſitas Saxonibus replevit, & foſſam ingentem mirando opere ad disjungendos ab Anglis ſuis Britannos, à Devæ oſtio uſque ad Vagæ, per nonaginta plùs minùs millia paſſuum duxit, quæ ab
778. Florent. Vigorn. Malm. *lib.* 1. Hunt. *lib.* 4.
Simeon Dunelm.

ejus

ejus nomine hodiéque *Claudh Offæ*, id eſt, *Foſſa Offæ*, nuncupatur. Tales quoque aliæ quædam occurrunt Foſſæ: quales ſunt, *Vodeni Foſſa*, Viſiſaxones, & *Sancti Edmundi Foſſa*, (vulgò *Dæmonis* dicta,) Orientales Anglos, à Merciis diſterminantes. Poſt hæc igitur *Poviſiæ* reguli Curiam ſuam ad *Mathravalam* in pago *Montis Gomerici* transferre ſunt coacti. Monachus Sancti Albani, qui vitam Offæ deſcripſit, reges ab ipſo ſuperatos *Mermodii* Cambrobritannorum regis opem implorâſſe narrat; à quo ille, ſpecie tractandi ac tranſigendi de pace deceptus, dum Chriſti Domini Natalitia ſecurus hoſtium celebrat, gravi primùm clade afſectus eſt. Sed inſtauratis confeſtim refectiſque copiis, Offa Mermodium prælio ingenti profligavit, & foſſam præfatam exinde feliciter perfecit. Quis iſte fuerit *Mermodius*, nullâ aſſequi conjecturâ poſſum, quum nullus illiuſce nominis rex Britannicus in *Chronico Cambriæ* memoratur; ni monachus Albanenſis forſan eo nomine Mervinum, Conani regis generum, ac deſignatum hæredem & ſucceſſorem, intelligit, cui utique ſuprema rei bellicæ jura ac munia ſenio confectus ſocer demandaverit. Eodem anno quo Benſingtoniæ pugnatum eſt, juxta nonnullos, aut anno ſequenti, juxta alios, Æthelbaldus & Herbertus, regis Northumbrenſis duces, domino ſuo rebellantes, Aldulphum Boſæ filium, militiæ regiæ præfectum, apud *Clivum Regis* victum occiderunt; & poſtea duos alios regis duces, Cenulphum & Eggam, acri apud Hilathirnam prælio interfecerunt. Rex autem Ætheldredus, ducibus militibúſque perditis, ſpe omni abjectâ profugit, quum annos quatuor aut quinque regnâſſet: poſt quem vic-

Liber S. Albani.

789.

Hunt. *lib.* 4. Roger. Hoved.

tores Alphualdum, Oſulphi filium, regem conſtituerunt. Simeon Dunelmenſis ſolus Aldulphum, Cenulphum & Eggam ab Æthelbaldo & Herberto regis juſſu trucidatos fuiſſe narrat, quem ea propter à Northumbrenſibus nobilium cædem vindicantibus ejectum innuit. Anno autem octogeſimo ſupra ſeptingenteſimum duo alii proceres, Osbaldus atque Athelardus, *Beornam* comitem, ſummum Alphualdi regis Juſtitiarium, plùs æquo ſævientem, coacto exercitu, *Seltonæ* in ſuis propriis ædibus ſuccenderunt; qui tamen nihil mali ultrà ipſi regi intentâſſe memorantur. Anno igitur proximè ſequenti ſynodus apud Acleam in epiſcopatu Dunelmenſi celebratur; & Vereburga, Ceolredi quondam Merciorum regis conjux, (admodum grandæva) obiit: cujus tamen mortem Simeon & Rogerius in annum ab hoc alterum differunt. Illam certè eandem eſſe cum Sancta Vereburga regis Volpheri filia, &, patrueli nuptam, paucis cum eo annis vixiſſe, ac virginitatem more illis temporibus haud inuſitato conſervâſſe illibatam, & poſt citum mariti obitum velatam fuiſſe, lubens autumaverim. Anno ſeptingenteſimo octogeſimo quarto miſſi ab Adriano Pontifice legati Gregorius Oſtienſis & Theophylactus Tudertinus epiſcopi in Angliam venerunt, Concilium de fide primitus ſuſcepta retinenda, aliiſque ad eccleſiæ regimen pertinentibus, coacturi; & ab Offa Merciorum & Cenulpho Viſiſaxonum regibus, jam concordibus & in unum convenientibus, honorificè ſuſcepti, Papæ iis ſyngrammata tradiderunt. Relicto autem in Mercia Theophylacto, Gregorius ad Alphualdum Northumbrenſium regem, tunc in remotioribus regni ſui partibus demorantem, contendit.

780. Simeon Dunelm. Roger. Hoved.

781. Florent. Vigorn.

783. Simeon Dunelm. Roger. Hoved.

784. Spelm. *Concil.*

tendit. Eodem autem anno Cenulphus rex, morum compoſitione militiæque geſtis juxtà inſignis, qui Britones non ſemel fortiter protriverat, quum uno & triginta annis, connumerato etiam infauſto Sigeberti tyranni biennio, (quod & antea in Oſuvaldi regis vita factum obſervavimus,) nec ignavè nec immodeſtè regniſſet, ſeu rerum gloriâ elatus, quòd nihil ſibi obviaturum crederet, ſeu poſteritati ſuæ metuens, contra quam Cinehardum Sigeberti fratrem increſcere cerneret, illum provinciæ terminos coëgit excedere. Qui, cedendum tempori ratus, diſſimulato animo quaſi volens profugit. Mox ubi furtivis conventiculis perditam improborum manum contraxiſſet, ſolitudinem regis aucupatus, (nam animi causâ *Merionam* in pago Surreienſi conceſſerat,) cum expeditis eò ſupervenit, ubi dum illum alienis amoribus inſervientem audiſſet, ex inſidiis domum foris obſedit. Rex ancipiti diſcrimine permotus, communicato cum præſentibus conſilio, fores occluſit, ſperans latrones vel mulcere alloquio, vel terrere imperio. Cùm neutrum procederet, irâ percitus in Cinehardum inſiluit, minimúmque abfuit quin vitâ privaret; ſed à multitudine circumventus, dum cedere damnum gloriæ arbitratur, mortem probè ultus occubuit. Pauci ex clientela ejus qui aderant, dum non manus allicientibus dare, ſed herum vindicare intendunt, omnes (excepto unico obſide Britonico graviter ſauciato) obtruncantur. Extemplo fama tanti mali principum aures perlabitur. Quorum qui maximi ævo & prudentiâ, *Oſtrius* dux (aliàs *Oſredus* dictus) & *Viverthus* comes, cæteros adhortati, nè domini necem in inſignem & perpetuam ſui ignominiam

Malm. *lib.* 1. *cap.* 2. Æthelv. *lib.* 2. *cap.* 18. *Annal. Saxon.* Florent. Vigorn. Hunt. *lib.* 4. Roger. Hoved. Matth. Weſtm.

dimitterent inultam, cum omnibus quos rex pridie domi reliquerat, manè diſtrictis gladiis in conjuratos irruunt. Cinehardus primò cauſam ſuam agere, magna polliceri, cognationem obtendere; ſed ubi nihil proficit, ad reſiſtendum commanipulares accendit. Atrox aliquandiu certamen fuit; his pro vita, illis pro gloria ſummâ ope conantibus. Tandem, diu cunctata victoria in juſtiorem partem declinavit. Ità miſer ille, nequicquam fortiter faciens, animam amiſit, (cum octoginta quatuor conſortibus, ſolo ducis Oſrici filiolo ſervato,) non longo inſidiarum gloriatus ſucceſſu. Corpus regis Vintoniæ tumulatum, Cinehardus Axmonaſterii in pago Devonienſi ſepultus eſt. Cenulpho ſucceſſit ejus filius Brithricus. Regnantem hoc ipſo anno in Cantio *Almundum* quendam memorant Annales Angloſaxonum, qui, juxta *Evidentias* Eccleſiæ Chriſti Cantuarienſis, *Vetredo abbati Regulbienſi terram duodecim aratrorum, cum univerſis ad eam rectè pertinentibus, liberam ab omni ſeculari ſervitio & ab omni regali tributo, exceptis expeditione, pontiſque & arcis conſtructione*, donâſſe perhibetur. Quum verò Aldricum hoc tempore Cantianis præfuiſſe conſtat, proinde hunc Almundum Aldrici regis filium aut cognatum fuiſſe, atque ab ipſo in regni ſocietatem aſcitum, probabile videatur. Præfatus verò Cenulphus eccleſiam *Fontanenſem*, ab Ina rege in honorem Sancti Andreæ in pago Somerſetenſi fundatam, opulentis prædiis magnificè donavit.

Annal. Saxon.

Guil. Thorn. *abb. Auguſt.*

785. *Annal. Saxon.* Florent. Vigorn. Spelm. *Concil.*

Anno ſeptingenteſimo octogeſimo quinto Gregorius Oſtienſis, properante in ejus occurſum rege Alphualdo, Concilium in regno Northumbrenſi coëgit: ac deinde Merciam repe-

tens,

tens, alterum ibi cum Theophylacto, in loco qui *Chalebitha* dicebatur, præſente Offâ rege, celebravit; in quo confirmata ſunt omnia Northumbrenſis Synodi decreta; atque, In Offæ gratiam, epiſcopatus Licetfeldenſis in archiepiſcopatum promovendus eſſe decernitur, ejúſque juriſdictioni ſubſternuntur Merciorum & Orientalium Anglorum epiſcopi, fruſtrà obnitente Jamberto Cantuarienſi, cui duntaxat Orientalium Auſtraliúmque & Occidentalium Saxonum diœceſes cum Roffenſi ſunt relictæ. Higbertus verò Licetfeldenſis epiſcopus in archiepiſcopum ejus provinciæ eligitur; qui tamen pallium morte præventus haud accepit, quod ipſius ſucceſſor Aldulphus obtinuit. Egfridus autem, Offæ filius, jubente patre in regem conſecratur, adeóque in regni conſortium aſciſcitur. At Viſiſaxonum rex Brithricus, anno ſeptingenteſimo octogeſimo ſeptimo, qui fuit regni ſui quartus, Edburgam Offæ filiam duxit uxorem, atque Egbertum in exſilium egit. Quo tempore apud Danos regnârunt Sigefridus & Godefridus ſive Gotricus fratres, inter quos ità juxta antiquam illiuſce gentis conſuetudinem partita erat poteſtas, ut Sigefridus natu major, pacis quàm belli ſtudioſior, terrâ, junior verò Gotricus, ferocioris ingenii vir, mari, rerum ſummæ præeſſet: qui etiam tandem poſt fratris mortem regno integro potitus eſt, bellúmque Carolo magno intulit. Hoc igitur tempore dum Gotricus undiquaque piraticam exercet, tres naves Danicæ ad Occidentalium Saxonum provinciam appulerunt: quæ prima eorum claſſis exigua ſoli ubertatem & incolarum virtutem ſpeculatum venit, ut poſtea ejus multitudinis, quæ totam penè inundavit Britanniam,

787. Florent. Vigorn.

Pont. *hiſt. Dan. lib.* 3.

Malm. *lib.* 1. *cap.* 2.

tanniam, adventu compertum eſt. Nunc autem furtivè in alta pace regni prædones advecti, regium vicum qui proximus erat involârunt, villicum regis ſuppetias haud ſatis validas ferentem letho dantes; ſed mox timore concurrentium amiſſâ prædâ ad naves refugerunt. Eodem anno vel proximè ſequenti Synodus Fincleiæ in epiſcopatu Dunelmenſi celebrata eſt. Anno ſeptingenteſimo octogeſimo nono Concilium Acleanum ſecundum eſt celebratum; eodémque anno, juxta Florentium & Malmesburienſem, rex Northumbrenſium Alphualdus, pietate ac juſtitiâ laudatiſſimus, undecimo regni ſui anno, conjuratione factâ à ſcelerato quodam duce nomine Siggano, nonâ Calendarum Octobris, *Scilicetſtrie* juxta Murum in comitatu Northumbrenſi indignâ morte perimitur, atque in eccleſia Haguſtaldenſi ſepelitur, & inter Sanctos refertur. At Simeon & Rogerius ejus cædem in annum præcedentem conjiciunt. Succeſſit ei Oſredus ejus ex Alcredo rege fratre uterino aut leviro nepos; quem ſubditi itidem turbidi poſt unius anni regimen ſollo deturbatum atque attonſum monaſterio incluſerunt; & Ætheldredum Mollonis filium, quem ante annos duodecim expulerant, ac demum, captum in latibulis, carceri mancipaverant, in regnum anno nonageſimo ſupra ſeptingenteſimum repoſuerunt. Quo etiam anno Jambertus Archiepiſcopus obiit, cui ſucceſſit Athelardus Abbas Malmesburienſis. De Ætheldredi reſtitutione hæc habet Alcuinus; viz. *Benedictus Deus qui facit mirabilia ſolus: nuper Ætheldredus, filius Adelvaldi, de carcere proceſſit in ſolium, & de miſeria in majeſtatem, cujus regni novitate detenti ſumus nè veniremus ad vos.* Cæterùm rex ille, tam

788. Simeon & Florent.

789. Malm. *lib.* 1. *cap.* 3.

790.

tam inſperati beneficii immemor, recepti regni adminiſtrationem à crudelitate exorſus, Alphum & Alphuinum, optimi regis Alphualdi filios, à civitate Eboraco vi abſtractos, & de eccleſia cathedrali promiſſis fallacibus abductos, anno ſeptingenteſimo nonageſimo primo, juxta lacum Vinandrium in adjacente ejuſdem nominis villa jugulavit. Annóque proximo Oſredum, quondam regem, qui, monaſterio exſilium anteferens, regno exeundi licentiam impetraverat, ſed ſacramentis & fide quorundam principum evocatus clàm de inſula Mannia venerat, ac deficientibus militibus captus fuerat, *Dingburgi* trucidari juſſit. Eodémque anno, quò magis impunè ſævire poſſet, repudiatâ conjuge legitimâ, Elfledam Offæ regis filiam ſuperinduxit. Oſredus verò Tinmuthæ ſepultus eſt. Poſt *Beornam* apud Orientales Anglos regnavit Ætheldredus, qui poſt annos complures pacificè exactos moriens, Æthelberto filio, egregiæ ſpei atque indolis juveni, quem ex uxore Leofruna ſuſtulerat, regnum per manus tradidit. Ille, ſuadentibus regni proceribus, ſed matre plurimùm obnitente, Offam regem Merciorum, *Sutton* in pago Herefordienſi curiam tunc temporis agentem, hoc anno, ducendæ ejus filiæ Atheldridæ deſiderio illectus, adiit; à quo honorificè primùm exceptus eſt. Enimvero regina Quendrida, Offæ uxor, apparatûs regii comitatûſque pompæ ac ſplendori invidens, quo etiam ipſius conjugi præfulgere videbatur, priſtinas neſcio quas ab Orientalibus Anglis illatas Merciis injurias cauſata, marito ſuaſit, ut juvenem præſtantiſſimum è medio tolleret, ejúſque regnum ità principe orbatum debellaret. Ille, primò tantum ſcelus exhorreſcens, tandem

791. Simeon Dunelm. Roger. Hoved.

792. Hunt. *lib.* 4. Simeon & Hoved.

Joann. Capgr. *Abb. Joru.* Matth. Veſtm. *Annal. Saxon.*

dem uxoriis illecebris expugnatus, per ſicarium quendam nomine Guimbertum, violato hoſpitii jure, nil mali ſuſpicantem, capite amputato in cubiculo ad id ipſum præparato, quum annos perpaucos regnâſſet, in viridanti juventutis flore, decimâ tertiâ calendarum Junii, extinxit. Florent. *Geneal.*

Corpus ejus, primò *Merdenæ* in præfato pago ſepulturæ ignobili in ripa fluminis Lugi traditum, poſtea ad eccleſiam Herefordienſem tranſlatum eſt, ubi Milfridus regulus (regnante in Mercia Viglaphio) baſilicam in ejuſdem honorem exſtruxit, quæ nunc Cathedralis Sancti Æthelberti eccleſia nuncupatur. Sed Atheldrida virgo regia proci dilectiſſimi cædem militibus ejus indicavit, qui proinde maturo receſſu ſaluti ſuæ conſuluêre. Ipſa præſagâ mente ingentia parentibus mala denuncians, abbatiam Crolandienſem petiit, ibíque in cella uſque ad vitæ exitum recluſa permanſit; tutáſque poſtea Viglaphio prædicto, Viſiſaxonum duces fugienti, latebras illic præſtitit. At Offa, collecto exercitu, Orientales Anglos, inopinato caſu perculſos atque conſternatos, ſuo facilè imperio ſubjecit. Eodem anno, ut Simeonis & Rogerii verbis utar, Carolus rex Francorum miſit Synodalem librum ad Britanniam, ſibi à Conſtantinopoli directum: in quo libro, heu! proh dolor! multa inconvenientia & veræ fidei contraria reperta ſunt; maximè, quòd penè omnium Orientalium Doctorum, non minùs quàm trecentorum vel eo ampliùs epiſcoporum, unanimi aſſertione confirmatum fuerit, imagines adorari debere; quod omnino eccleſia Dei exſecratur. Contra quod ſcripſit Albinus epiſtolam ex authoritate divina Scripturarum mirabiliter affirmatam, illámque cum eodem libro, ex perſona epiſcó-

Joann. Brompt.

Ingulph.

Simeon Dunelm. Roger. Hoved.

epiſcoporum & principum noſtrorum, regi Francorum attulit. Hactenus illi. Qui hic Albinus dicitur, uſitatiùs Alcuinus nominatur; vir inter eruditos ſui ſeculi extra aleam poſitus, Anglus genere, ſed in Gallia præcipuè florens, quò ab Anglorum regibus miſſus erat ad conciliandam Caroli magni amicitiam, cui nimirum principi incentor præcipuus fuit, ut Academiam Pariſienſem inſtitueret. Synodalis ille liber Concilii Niceni ſecundi, ſub Irene Imperatrice ante triennium conflati, ſcita ac decreta continebat. Motus autem Alcuini epiſtolâ Carolus, Francofurtenſe Patrum trecentorum Concilium convocavit, qui Nicenum illud de adorandis imaginibus Decretum penitùs condemnârunt. Goldaſt. *Imper. Decret.*

Anno ſeptingenteſimo nonageſimo tertio Sancti Albani Britannorum Protomartyris ſepulchrum, Angloſaxonibus hucuſque incognitum, extra eccleſiam memoriæ illius dicatam, quam ſuâ etiam ætate celebrem Beda memorat, juxta Verolamium, ab Offa rege inventum eſt, & Martyris reliquiæ in eccleſiam illatæ, cœnobiúmque magnificum ibi fundari cœptum. Eodémque anno Crolandienſibus monachis Chartam dedit, in qua eos tanquam Fratres ſuos monachos de ſancto Albano in clientelam ſuam accepit, eorúmque redditus ac privilegia confirmavit. Quo etiam anno Sigganus dux, qui pium regem Alphualdum occiderat, ſceleris conſcientiâ exagitatus, ſibi necem conſcivit. Rex autem Offa, ut Æthelberti cædem nefariam expiaret, rerum omnium ſuarum Decimam eccleſiæ conceſſit; & Herefordienſi ſpeciatim eccleſiæ, in qua, uti dictum eſt, idem Æthelbertus jacet, territoria plurima contulit. Deinde 793. Bed. *lib.* 1. *cap.* 7. Simeon & Hoved.

inde Romam versùs iter arripiens, ut monaſterii Albanenſis privilegiorum atque immunitatum confirmationem à Papa impetraret, prata quædam in Flandria juxta oppidum Monaſteriolum coëmit, unde peregrinorum jumentis pabula in poſterum ſuppeditarentur. Porrò, Romam anno ſeptingenteſimo nonageſimo quarto perveniens, ab Adriano Pontifice cuncta facilè poſtulata obtinuit. Scholámque Anglorum quæ tunc ibi floruit ingreſſus, dedit ex regali munificentia, ad ſuſtentationem gentis regni ſui illuc venientis, ſingulos argenteos de familiis ſingulis omnibus in poſterum diebus, ſingulis annis, quibus videlicet ſors tantum contulit extra domos in paſcuis, ut triginta argenteorum pretium excederet, exceptâ totâ terrâ Sancti Albani ſuo monaſterio conferendâ. Conceſſit quoque Pontifex, ut de regno Angliæ nullus publicè pœnitens, pro exſecutione injunctæ ſibi pœnitentiæ ſubiret exſilium; Regique in peccatorum ſuorum remiſſionem injunxit, ut patriam repetens, cum epiſcoporum & optimatum conſilio quaſcunque voluerit poſſeſſiones & libertates Albanenſi ſuo monaſterio impertiret, authoritate pontificiâ gratanter corroborandas. Guilielmus Malmesburienſis Offam regem, propter præfatam ejus liberalitatem in Scholam Anglorum, ejuſdem fundatorem exſtitiſſe autumavit, quod & Balæo perſuaſit. Quum verò illam Offâ Romam adveniente *floruiſſe*, & Vitæ Offæ ſcriptor & Matthæus Florilegus teſtantur, eidem Florilego potiùs aſſentiendum fuerit, qui eandem *Scholam*, ut antea obſervavimus, ab Ina rege fundatam fuiſſe luculentiſſimè docet. Argentei verò prædicti ſive Denarii *Scholæ* donati, ideo *Denarii Petri* dicebantur, quia *in feſti-*

794. *Vita Offæ ad calcem.* Matth. Pariſ. & Matth. Weſtm.

Malm. *lib.* 2. *cap.*

vitate

vitate Sancti Petri ad vincula eſſent perſolvendi. Tantum abeſt ut Inas & Offa regna ſua eccleſiæ Romanæ vectigalia facerent, ut non Petro tributum, ſed feſto Divi Petri die Anglis ſuis Romæ degentibus eleemoſynam præſtarent. Rex autem Româ reverſus cœnobium ſuum Albanenſe nigris monachis replevit, quibus primum Abbatem præfecit Villigodum. Ac celebrato ſecundo Concilio Chalchithenſi, eidem totius pagi Hertfordienſis Denarios Sancti Petri, Anglicè *Romefeot* dictos, unà cum *Vinſlovia* villa regia in pago Bucchinghamienſi, elargitus eſt, eámque Donationem Chartâ ſuâ communivit. Concilio huic novem reges interfuiſſe Joannes Stowus ex illa Charta prodit; Offam ipſum & Egfridum filium Merciorum, Brithricum Viſiſaxonum, Aldricum Cantianorum, Suithredum Orientalium Saxonum, Ætheldredum Northumbrenſium, Oſmundum Auſtralium Saxonum, (qui à Sigeberto Viſiſaxonum tyranno deſciſcentes ſeſe in libertatem aſſeruerant,) & duos præterea Britonum reges, intelligens. Eodem anno Aldricus Cantii rex, ex Hengiſti ſtirpe poſtremus, quum annos triginta quatuor regnâſſet, vitâ grandævus exceſſit. Poſt cujus mortem, (Almundo etiam antea defuncto,) Æthelbertus quidam, ſeu potiùs Edbertus, cognomento Prenus, regni faſtigio ſe intruſit. Eâ quoque tempeſtate Athelardus quondam dux, qui poſt combuſtum ab ipſo & Osbaldo, uti dictum eſt, Beornam comitem, ſeculo renunciaverat, clericúſque factus fuerat, Eboraci obiit. Hoc etiam anno Dani, (qui in Northumbriam præcedente anno exſcendentes, crudeliter illic graſſati fuerant, eccleſiámque Lindisfarnenſem miſerè diripuerant, altaria ſuffoderant, quoſdam

Sto. *Chron.*

Malm. *lib.* I. *cap.* I.

Annal. Saxon. Florent. Vigorn.

dam è fratribus interfecerant, nonnullos ſecum vinctos abduxerant, perplurimos opprobriis vexatos nudos projecerant, alios in mare demerſerant,) Tinæ fluvii oſtium ſubeuntes, monaſterium Tinmuthæ ab Egfrido quondam rege fundatum expilârunt: ſed ab occurrentibus Anglorum ducibus victi, amiſſo principe, ad puppes refugerunt, quas domum remeantes exorta ingens tempeſtas confregit ac diſſipavit; unde prædonum alii ad littus rejecti morte condignâ mulctati ſunt, alii fluctibus abſorpti perierunt. Ab Offa Mercio fugatos eſſe hos piratas, illius vitæ Scriptor prodit, ità ut ille forſan in hoc bello ſuppetias genero Ætheldredo miniſtráſſe putandus fuerit. Poſt hanc victoriam concitata eſt in Northumbria rebellio.

Vita Offæ.

796. Annus ſeptingenteſimus nonageſimus ſextus virorum aliquot illuſtrium fatis inſignis fuit. Primò igitur Alaricus, quondam dux, tunc clericus, Eboraci obiit. Ætheldredus, anno regni recepti ſeptimo, à conjuratis bello ferè bienni vexatus, *Cobræ* decimâ quartâ Calendarum Maii occiditur; quâ cæde offenſi plures epiſcopi & optimates è patria profugerunt. De ejus nece ità ad Offam ſcripſit Alcuinus; Sciat veneranda Dilectio veſtra, quòd dominus rex Carolus amabiliter & fideliter ſæpe locutus eſt mecum de vobis, & in eo habetis fideliſſimum amicum; ideo & veſtræ Dilectioni digna dirigit munera, & per epiſcopales ſedes regni veſtri. Similiter Ætheldredo regi & ad ſuas epiſcoporum ſedes dona direxit. Sed heu! proh dolor! donis datis & epiſtolis in manus miſſorum, ſupervenit triſtis legatio per miſſos, qui de Scotia per vos reverſi ſunt, de infidelitate gentis & nece regis. Ità Carolus, retractâ donorum largitate,

Simeon Dunelm. Roger. Hoved.

Alcuin. *epiſt.* Malm. *lib.* 1. *cap.* 3.

tate, in tantum iratus eſt contra gentem illam, ut ait, perfidam & perverſam, & homicidam dominorum ſuorum, pejorem eam paganis æſtimans; ut, niſi ego interceſſor eſſem pro ea, quicquid eis boni abſtrahere potuiſſet, & mali machinari, jam feciſſet. Ità ille. Ætheldredo ſucceſſit Osbaldus, cujus antea meminimus, Florilego *Oſredus* dictus, quorundam principum favore evectus; & poſt viginti ſeptem dies, omni regiæ familiæ ac procerum ſocietate deſtitutus, fugatúſque & regno expulſus, ad inſulam Lindisfarnenſem cum paucis ſeceſſit, & indè ad regem Pictorum navigio pervenit. Ardulphus verò Arnulphi filius, ab Ætheldredo pridem interfici, deinde exſulare juſſus, nunc de exſilio revocatus, rex conſtituitur. Paulò pòſt obiit Embaldus Archiepiſcopus Eboracenſis, & ſucceſſorem habuit Embaldum juniorem. Eodem anno Offa rex Merciorum potentiſſimus, quum annos triginta novem regnâſſet, ſeptimâ Calendarum Auguſti *Offleie* in pago Hertfordienſi defunctus, atque indè Bedfordiam delatus, & in cappella quadam extra oppidum, ſupra ripam *Uſe* fluminis, more regio ſepultus eſſe dicitur. Perhibet verò, inquit Florilegus, uſque in hodiernum diem omnium ferè comprovincialium relatio, quòd cappella præfata longo uſu & violentiâ illius fluminis ſit ſubverſa, atque ejus rapacitate cum ipſo regis ſepulchro in flumen præcipitata. Unde & uſque in præſens, ſepulchrum illud ab hominibus loci illius, æſtivo tempore ibidem balneantibus, quandoque in aquæ profunditate videtur eſſe conſpicuum, & quandoque, licèt diligentiſſimè quæratur, ac ſi res fatalis eſſet, non invenitur. Ità Matthæus. Fuit Offa inclytus gentilium ſuorum legiſlator, juriſque

Simeon & Roger.

Matth. Veſtm. Joann. Roſs.

jurísque *Merciani*, quod vulgò *Mercenlaga* dicebatur, conditor: quam legem poſtea Alfredus magnus Viſiſaxonicis ſuis ab Ina ſancitis attexuit, ſicut ipſe in legum ſuarum præfatione

Lamb. *Saxon. leg. &* Spelm. *Concil.* Galfr. *lib.* 1. *cap.* 20. *Polychr. lib.* 1. *cap.* 50.

ità teſtatur; *Quæcunque*, inquit, *in Aliis Ine gentilis mei, Offæ Merciorum regis, vel Æthelberti, (qui primus Anglorum ſacro tinctus eſt baptiſmate,) obſervatu digna deprehendi, ea collegi omnia, reliqua planè omiſi.* Hanc legem *Mercianam* Galfridus & Ranulphus perperàm *Martianam* vocant, & à Martia ethnica Britannorum regina conditam ac denominatam, & ab Alfredo ex Latina Gildæ verſione in Saxonicum idioma tranſlatam eſſe, fabulantur. Quæ utique Martia *Guitelini* ſive Guethelini regis uxor fuit, quem Rogerius Hovedenus *Wethlen* vocat, atque ab ejus filiis ſtratam fuiſſe viam Vetelingianam ariolatur. Conſtat verò Alfredi leges è Merciorum legibus partim deſumptas, ſed iis ſcilicet quas ediderat Offa rex Saxonicus & Chriſtianus, non Martia Britanna idolorum cultrix. Haud enim veriſimile eſt, Offam, hoſtem Britonum acerrimum, qui pulſos eos ex omnibus ſuæ ditionis finibus in Gualliam adegit, pulſorum leges inter ſpolia reportare voluiſſe. Præſertim cùm adeò iniquæ viderentur, ut ab ipſis Britannis ſubſequenti ſeculo antiquatæ, regnante Hoëlo bono, & æquiores latæ ſint. Lex autem *Merciana* Angloſaxonica à Martiana Britonica prorſus eſt diverſa, quippe quæ non à Martia regina, ſed à Merciis, nomen tulerit. Illi autem à voce Saxonica **Mearc**, *limitem, finem, terminum* denotante, appellationem traxerunt, quòd, Heptarchiâ florente, mediterranea Angliæ poſſidentes, reliquorum omnium regnorum eſſent confines ac limitanei. Guilielmi

Roger. Hoved. *Annal. pars prior.* Spelm. *Concil.* *Leges Hoëli Dha.* Somner. *Gloſſar.*

Malmeſ-

Malmesburiensis de Offa testimonium hîc apponam. *Hujus*, inquit, *gesta cùm considero, animus hæret in dubio, utrùm probem, an improbem; ità in uno eodémque homine, modò virtutibus se vitia palliabant, modò virtutes vitiis succedebant, ut ambigeres, Quo teneas nodo mutantem Protea vultus.* Malm. *lib.* 1. *cap.* 4. Ille autem, nè sibi fraudi forent irrogata comprovincialibus dispendia, Carolum magnum Francorum regem frequentibus legationibus amicum sibi paravit; quanquam antea ipsis adeò malè invicem convenerat, ut magnis motibus utrobique concurrentibus, etiam negotiatorum commeatus prohiberentur; ut ex hisce Alcuini verbis liquet: Nescio quid de nobis venturum sit, aliquid enim dissensionis, diabolico fomento inflammante, nuper inter regem Carolum & regem Offam exortum est, ità ut utrinque navigatio interdicta negotiantibus cesset: sunt qui dicant nos pro pace esse in illas partes mittendos. Post hæc tamen firmum inter ipsos compactum esse fœdus, ex hac quæ sequitur ejusdem Caroli epistola docet Guilielmus Malmesburiensis; Carolus gratiâ Dei rex Francorum & Longobardorum, & patricius Romanorum, viro venerando & fratri charissimo Offæ regi Merciorum salutem. Primò, gratias omnipotenti Deo agimus de catholicæ fidei sinceritate, quam in vestris laudabiliter paginis reperimus exaratam. De peregrinis verò, qui, pro amore Dei & salute animarum suarum, beatorum Apostolorum limina desiderant adire, cum pace sine omni perturbatione vadant. Sed si aliqui non religioni servientes, sed lucrum sectantes, inter eos inveniantur, locis opportunis statuta solvant telonia. Negotiatores quoque volumus ut ex mandato nostro

ſtro patrocinium habeant in regno noſtro legitimè; & ſi in aliquo loco injuſtâ affligantur oppreſſione, reclament ſe ad nos vel noſtros judices, & plenam videbimus juſtitiam fieri. Cognoſcat quoque Dilectio veſtra, quòd aliquam benignitatem de dalmaticis noſtris vel palliis ad ſingulas Sedes epiſcopales regni veſtri vel Ætheldredi direximus in eleemoſynam domini Apoſtolici Adriani, deprecantes ut pro eo intercedi jubeatis; nullam habentes dubitationem, beatam illius animam in requie eſſe, ſed ut fidem & dilectionem oſtendamus in amicum noſtrum chariſſimum. Sed & de theſauro humanarum rerum quem Dominus Jeſus nobis gratuitâ pietate conceſſit, aliquid per metropolitanas civitates direximus; veſtræ quoque Dilectioni unum baltheum, & unum gladium Huniſcum, & duo pallia ſerica. Scriptam hoc anno fuiſſe hanc epiſtolam, ac proinde munera iſthîc memorata eſſe eadem quorum Alcuinus, de Ætheldredi regis cæde eodem ferè tempore perpetrata ad Offam ſcribens, in epiſtola paulò antè citata meminit, hinc colligo, quòd Carolus de Adriano Papa tanquam nuper defuncto loquitur. Hæc autem munera ſic expreſſit & interpretatur priſcus quidam monachus Albanenſis, invitâ etiam Minervâ occinens:

Matth. Veſtm.

A Carolo dona data ſunt Offæ, mucrò, zona,
Cingat ut imbelles clemens, feriâtque rebelles.
Pallia donantur, velut his ſecreta tegantur.
Tyro mucrone, ſed & utens munere zonæ,
Indomitos punit, pronos ſibi nectit & unit.
Palliat arcana, nè ſignent pallia vana.

Alter quoque nihilo feliciùs eundem ità Offam celebrat:

Offa

Offa reſtauratus, regali ſtirpe creatus,
Erigitur; ſpernit quæ degenerantia cernit.
Armis donatur. Cato, Mars, Paris hic reputatur.
Quo florent tutâ duce Mercia lege Statuta.
Enſe, ſuperborum vires reprimens, dominatur.
Hunc rex Francorum Carolus timet & venera-
Communi voto cum clero Mercia toto (*tur.*
Offæ concedit ſeſe, cui mitis obedit.
Ergò coronatur; ex tunc rex jure vocatur.

Politiora verò de monachis Sancti Albani carmina rex Offa meruit, quippe cujus operâ & favore effectum eſt, ut in presbyteros & laicos totius poſſeſſionis ſuæ, Abbas, vel Archidiaconus monachus ſub ipſo conſtitutus, jus pontificale exerceret, ità ut nulli Archiepiſcopo vel Epiſcopo aut Legato, niſi Romano tantùm Pontifici, ſubjectionem impenderet. Claruerunt regnante Offâ, *Villehadus*, qui ex Anglia in Germaniam tranſmittens, multóſque ibi Chriſto lucrifaciens, primus Bremenſium Archiepiſcopus factus eſt; & *Suibertus*, itidem Anglus, primus Verdenſium epiſcopus; ac *Fridiſuida*, virgo Oxonienſis caſtitate & ſanctimoniâ inſignis, quam Leiceſtrenſis regulus Algarus fruſtrà deperiit. Uxorem Offæ Florentius *Cinidridam*, Florilegus *Quendridam*, liber Sancti Albani *Dridam* vocat. Ex illa unicum ſuſcepit filium Egfridum; tres autem filias, Edburgam Brithrico Viſiſaxoni, & Elfledam Ætheldredo Northumbrenſi, nuptas, atque Atheldridam, Æthelberti Eſtangli ſponſam, poſtea ſanctimonialem Crolandienſem. Cum Offa vixerunt Carolus magnus, toties memoratus, Francorum, & Deſiderius, Longobardorum, in Gallia & Italia, reges.

XVI. *EGFRIDUS.*

796. Matth. Veſtm. OFFÆ defuncto ſucceſſit in Merciorum regno & ſuprema Anglorum Monarchia Egfridus filius, ante undecim annos à patre regni particeps effectus; qui protinus in regno confirmatus, eccleſiæ Sancti Albani, Britannorum Protomartyris, terras multas & poſſeſſiones devotus contulit, illáſque cum aliis omnibus quas ejus pater eccleſiæ præfatæ dederat, cum omnibus libertatibus regiis, ſuo privilegio confirmavit. Et ut ejus Donatio perpetuæ firmitatis robur obtineret, juxta morem eccleſiæ Romanæ, omnium epiſcoporum, comitum & baronum totius imperii ſui ſubſcriptionem, & ſignum ſanctæ crucis appoſuit. Præterea, ſeduló paternæ rapacitatis veſtigia declinans, quæcunque ille, ad exaltationem regni ſui, ex diverſorum poſſeſſionibus monaſteriorum atque eccleſiarum attenuaverat, ipſe pronâ devotione reſtituit, & ſuo privilegio corroboravit. Prædium quoque quod pater Malmesburiæ abſtulerat, reddidit in manu Cudberti tunc illius loci Abbatis, hortatu Athelardi Archiepiſcopi Cantuarienſis. Ejuſdem quoque Athelardi petitione emollitus, dignitates quibus Offa, Cantianis infenſus, Jambertum Archiepiſcopum, ut prædictum eſt, Papæ & legatorum ope, in Concilio *Chalchithenſi* exuerat, libenter reſtituiſſet, ni ſæva mors vernantis ætatis florem præproperè demeſſuiſſet. Unde Osberto patricio Alcuinus; *Non arbitror*, inquit, *quòd nobiliſſimus juvenis Egfridus propter peccata ſua mortuus ſit, ſed quia pater ſuus pro confir-*

Malm. *lib.* 1. *cap.* 4.

confirmatione regni ejus multum ſanguinem effudit. Hic itaque egregiæ indolis adoleſcens, conſpicuâ animi nobilitate præditus, ejúſque ſorores Edburga & Elfleda, fœdam Æthelberti regis, ab ipſorum parentibus, violatis hoſpitii affinitatíſque legibus, immaniter perempti, cædem luiſſe credebantur; quum iſtæ, regiis conjugibus infauſtâ morte ſublatis citò viduatæ, reſiduum vitæ inopes atque infelices ærumnosè exegerunt; ille, poſt dies à patris morte centum quadraginta & unum, præcoci fato, abſque ulla uxoris ſobolíſve mentione, abreptus, quanquam vitâ ac regimine longiore dignus exiſtimatus, Cenulphum conſanguineum habuit ſucceſſorem. Ipſa etiam Quendrida regina, nefandi parricidii incentrix nequiſſima, digno periit cruciatu. Sepultus eſt Egfridus in abbatiæ Albanenſis eccleſia.

Florent. Vigorn. Hunt. *lib.* 4. Matth. Weſtm. Joann. Brompt.

XVII. *CENULPHUS.*

796. Simeon. Malm. *lib.* 1. *cap* 4. Florent. Vigorn. Sped. *Chron.*

POST immaturam Egfridi mortem, tum Merciæ regnum, tum ſuprema Anglorum Monarchia, ad Cenulphum devolvitur, cujus pater Cudbertus Cenovalchi Pendæ fratris abnepos fuit. Joannes Spedæus, citato etiam teſte Florentio, avum Cenulpho *Baſſam*, proavum *Cenroum*, abavum *Centuinum* tribuit; quorum tamen nomina ego in Vigornienſi nunquam invenire potui. Cenulphus, regno domi confirmato, ſucceſſivum in Cantianos ab Offa ſuſcipiens odium, eorum regionem valde afflixit, regémque Edbertum Prenum, qui annos quatuor jam regnaverat, majora viribus audentem, regníque metas tranſilientem, obtrivit, ac per latibula & divortia deliteſcentem comprehendit, vinctúmque ſecum victor, anno regni ſui tertio, qui fuit
798. Domini ſeptingenteſimus nonageſimus octavus, in Merciam abduxit, ſuffecto in illius locum Cudredo, ſub ipſius poteſtate regnaturo. Cenulphum regi captivo oculos evelli manúſque præſcindi, propter Cantianorum ſuperbiam

Simeon Dunelm. Roger. Hoved.

fraudémque, juſſiſſe, Simeon & Rogerius narrant; quam tamen pœnam ei reapte inflictam fuiſſe nuſpiam afferunt. Neque enim illiuſmodi in principem jacentem fævitia cum Cenulphi pietate, clementia ac modeſtia, cæteríſque virtutibus, quas univerſi ferè Scriptores noſtri prædicant, conſiſtere poterat. Immo potiùs, deferbeſcente victoris irâ, ei parſum eſſe, ut credamus, ſuadent Malmesburienſis,

Malm. *lib.* 1. *cap.* 4.

Florilegus & Ranulphus Ceſtrenſis, qui Cenulphum

phum paulò pòſt ſolviſſe eum & dimiſiſſe ſcribunt. Ille enim humanâ miſeratione emollitus, quum *Vincelcombæ* in pago Gloceſtrenſi eccleſiam abbatiámque nuper à ſe conſtructam ſacrari faceret, in ipſa dedicationis die regem captivum ad altare manumittens libertate donavit, memorabile clementiæ ſpectaculum exhibens. Aderat ibidem Cudredus, quem ipſe, utì dictum eſt, Cantianis regem præfecerat, regiæ munificentiæ collaudator. Baſilica plauſibus reſonabat, platea diſcurſibus fremebat, quòd illic, in conventu tredecim epiſcoporum & decem ducum, nemo largitatis pateretur repulſam, omnes ſuffarcinatis marſupiis abirent. Nam præter illa xenia quæ magnates ſuſceperant ingentis pretii numeríque in utenſilibus, veſtibus equíſque electiſſimis, etiam omnibus qui agros non habebant libram argenti, presbyteris marcam auri, monachis ſolidum unum, poſtremò toti populo multa erogavit, & monaſterium præfatum ampliſſimis redditibus locupletavit. Eodem quoque anno quo Cantium ſubegit, Concilia Clivi de prædiis reſtituendis & Becanceldæ, cum Athelardo Archiepiſcopo Cantuarienſi, celebravit: quo poſteriore, ex mandato Papæ Leonis tertii ad Athelardum tranſmiſſo, decretum eſt, ut *ſuper Eccleſiam viri ſeculares dominium non haberent.* In regno Northumbrenſi *Vada* dux, hoc anno, initâ cum Ætheldredi regis percuſſoribus ſocietate, Ardulphum regem aperto Martę inter *Whalleiam* & *Langboam* in agro Lancaſtrenſi laceſſivit, ſed fortunâ adeò adversâ, ut, ſuis profligatis, ipſe ſibi fugâ conſuleret; poſteáque morbo abſumptus, vitæ fabulam peregit, & prope abbatiam Pharenſem in agro Eboracenſi in colle, inter duo

Matth. Veſtm. *Polychr. lib. 5. cap. 28.*

Spelm. *Concil.*

Simeon Dunel. Roger. Hoved. Matth. Veſtm.

Camd. *in Brigant.* duo ſaxa ſolida ſeptem plùs minùs pedes alta, tumulatur; quæ quum undecim pedibus diſtarent, illum giganteâ fuiſſe mole accolæ non dubitant affirmare. Eodémque anno Londinum igne repentino cum magna hominum multitudine conſumptum eſt; ſynodúſque *Fincleia* ſub Ardulpho rege & Embaldo Archiepiſcopo
799. Eboracenſi habetur. Anno proximo Osbaldus, quondam rex, è Pictorum provincia reverſus, atque in patria ſua Abbas factus, obiit, & in Eboracenſi eccleſia ſepultus eſt. Aldredum verò ducem, Ætheldredi regis interfectorem, dux Thormundus in ultionem ſui
Liber Cantuar. M.S. olim domini trucidavit. Alterum quoque *Clivi* concilium rex Cenulphus & Athelardus Archiepiſcopus coëgerunt, in quo de fide pauca,
Malm. *lib.* 1. *cap.* 1. de prædiis plura tractabantur. Edbertus verò ab hoſtibus laxatus, & à Cantianis ſuis non receptus, dubium quo fine defecit: porrò Cudredum in regno permanſiſſe conſtat. Athelardus verò Cantuarienſis & Embaldus Eboracenſis Archiepiſcopi, Cenulphum regem adeuntes, ſuper amiſſa Cantuarienſis eccleſiæ dignitate conqueſti ſunt. Ille igitur ab ipſis quantum nefas in illiuſce diœceſeos mutilatione anteceſſor ejus Offa admiſiſſet edoctus, antiquitatis morem devotiſſimè reparavit. Itaque Athelardus, aſſumpto ſecum Ciniberto Vintonienſi epiſcopo, Romam contendit, ac Papæ Leoni tertio regis literas in manus tradidit, in quibus ille ità rem totam explicat. Pontifices, inquit, noſtri ac peritiſſimi quique in nobis dicunt, quòd contra Canones & apoſtolica Statuta, quæ nobis à Patre beatiſſimo Gregorio dirigente ſtatuta ſunt, ſicut vos ſcitis, auctoritas Dorobernenſis metropolitani in

Annal. Saxon. Florent. Vigorn. Malm. *lib.* 1. *cap.* 4.

duas

duas ſcinditur parochias, cujus (eodem Patre mandante) ditioni ſubjacere debent epiſcopi duodecim, ſicut per eccleſias noſtras legitur in epiſtola quam fratri & coëpiſcopo Auguſtino direxit, de duobus Londoniæ & Eboraci metropolitanis epiſcopis, quam etiam apud vos haberi non dubitamus. Sed ipſe primùm pontificalis apex, qui tunc Londoniæ ſub honore & ornamento pallii fuerat conſcriptus, pro eo Dorobernenſi oblatus eſt atque conceſſus. Nam quia beatæ recordationis Auguſtinus, qui verbum Dei imperante beato Gregorio Anglorum genti miniſtrabat, & glorioſiſſimè eccleſiis præfuit Saxoniæ, in eadem civitate diem obiit, & corpus illius in eccleſia beati Petri apoſtolorum principis, quam ſucceſſor ejus ſanctus Laurentius ſacravit, conditum fuiſſet, viſum eſt cunctis gentis noſtræ ſapientibus, quatenus in illa civitate metropolitanus honor haberetur, ubi corpus ejus pauſat, qui his partibus fidei veritatem inſeruit. Cujus itaque, ſicut vos ſcitis, dignitatis honorem, primùm rex Offa, propter inimicitiam cum venerabili Jamberto & gente Cantuariorum acceptam, avertere, & in duas parochias diſſipare niſus; & piiſſimus coëpiſcopus & anteceſſor veſter Adrianus, rogatu prædicti regis, facere cœpit quod priùs nemo præſumpſit, & Merciorum præſulem pallio extulit. Neutrum tamen ex his culpamus, quos Chriſtus, ut credimus, æternâ victoriâ triumphat. Sed tamen excellentiam veſtram humiles exoramus, quibus à Deo meritò ſapientiæ clavis collata eſt, ut ſuper hac cauſâ cum Sapientibus veſtris quæratis, & quicquid vobis videatur, nobis poſtea ſervandum reſcribere dignemini; nè tunica Chriſti inconſutilis

alicujus

alicujus inter nos dissensionis schisma patiatur, sed per vestram sanam doctrinam, ut desideramus, ad veræ pacis unitatem dirigatur.

Pontifex, lectis Cenulphi literis, honorificè antistites excepit, postulata omnia concedit, regíque rescribit, ut Cantuariensem Metropolitanum pristinæ dignitati ac jurisdictioni, abdicato Licidfeldensi, restitui faceret. Athelardo domum reverso, missis è Gallia epistolis amicissimis, legationis successum gratulatur Alcuinus; simúlque pro Merciorum præsule intercedit, nè vivens pallio exuatur: quod utrùm ei indultum fuerit nécne, haud comperio. Quantum temporis Athelardus Romæ exegerit, minimè liquet; quem tamen ibi diutiùs commoratum esse opinor, quòd non ante tertium ab hoc annum Concilium illud sit coactum quo confirmata est ejus restitutio. Prænemoratas Cenulphi regis & Leonis Papæ literas integras exhibet Guilielmus Malmesburiensis. Anno octingentesimo Brithricus Occidentalium Saxonum rex, quum annos sedecim regnâsset, veneno extinctus periit. Uxorem illæ, uti dictum est, Edburgam Offæ filiam duxerat, quæ virum, aliàs benignum, in perniciem insontium consiliis improbis armare, quos verò insimulare nequibat, potionibus noxiis intercipere, solebat. Compertum est in quodam adolescentulo regi dilectissimo, quem illa veneno sustulit; confestímque Brithricus decubuit, tabuit, & decessit, eò quòd ex potu sine reginæ nimirum conscientia prægustaverat. Effusus ergò in vulgus rumor venificam thesauro onustam regno excedere coëgit. Illa, trajecto mari, ad Carolum magnum profecta, fortè cum uno filiorum stantem invenit. Oblatis

Malm. *lib.* 1. *de Pont.*

Idem 1. *lib. de Regibus, cap.* 4.

800.

Asser. Menev. Malm. *lib.* 2. *cap.* 2. Matth. Vestm.

latis xeniis, ille ludibundus, & joci plenus, eam quem mallet, vel se, vel filium, eligere jussit. Tunc Edburgâ contuitu viridis pulchritudinis ephebum eligente, Carolus nonnihil motus respondit, Si me elegisses, filium meum habuisses; sed quia filium elegisti, nec me nec illum habebis. Dedit tamen ei nobile fœminarum monasterium, in quo, depositio seculari habitu, & assumpto sanctimonialium indumento, perpaucis annis Abbatissæ fungebatur officio. Cæterùm à quodam propriæ gentis ignobili viro constuprata, ac palàm deprehensa, jubente Carolo, monasterio ejecta, in paupertate & miseria letho tenus vitam duxit; ità ut ad ultimum, unico servulo comitata, quotidie mendicans Paviæ in Italia lugubri morte defungeretur. Hujus malignitate percussi Visisaxones decretum protulerunt, nè regum suorum uxores in posterum, vel juxta maritos in thronis sederent, vel reginarum appellatione insignirentur. Regémque qui sanctioni huic contraire auderet, regnandi jure protinus excidere statuerunt. Eodem anno Carolus magnus Francorum rex, Romæ, Occidentis Imperator acclamatus est; & Brithrico *Verhamiæ* in agro Dorsetensi sepulto Egbertus successit, cujus vitam & res gestas in proximo tractatu nostro susiùs prosequemur. Eodem quo ille in regem sacratus est die, Æthelmundus Mercius, Vicciorum sive Vigornensium regulus, juxta Isim sive Tamisim fluvium, in loco qui olim Anglicè *Kimersford* dicebatur, nunc *Kemsford* dicitur, in Gloucestrensium & Viltonensium confiniis, equestri pugnâ à Volstano Visisaxone Viltonensium duce victus occisúsque est; qui & ipse, accepto illic vulnere morti-

Malm. *lib.* 1. *cap.* 2.

mortifero, brevi oppetiit. Alcmundum Northumbrenſem, Alcredi regis filium, Oſredi fratrem, Æthelmundo militantem, hoc prælio occidiſſe prodit Ranulphus Ceſtrenſis. At Simeon Dunelmenſis, Author multò antiquior, Alcmundum ab Ardulphi regis ſatellitibus hoc anno *apprehenſum, ejúſque juſſu occiſum* fuiſſe, narrat. Ille igitur poſtea pro Sancto habitus eſt. Exorto inter Northumbrenſes bello civili, conſertum eſt hoc anno grave prælium in loco qui tunc temporis Anglicè *Wellebare* dicebatur, in quo Alaricus Herberti filius interfectus eſt, aliíque cum eo multi. De hujus belli cauſa & ſucceſſu authores tacent: quanquam, ſi conjecturæ detur venia, Alaricum hunc, patris ſeditioſi filium turbidum, in Ardulphum regem inſurrexiſſe, meritáſque rebellionis pœnas dediſſe, victíque exercitûs reliquias in Merciam fugâ dilapſas eſſe, ideo putaverim, quòd anno proximo eundem regem Simeon & Rogerius exercitum duxiſſe narrant contra Cenulphum regem Merciorum, *propter ſuſceptionem inimicorum* ejus; qui & ipſe, ut illorum verbis utar, *congregans exercitum ſecum, aliarum provinciarum, promovit auxilia plurima. Longâ inter eos expeditione factâ, tandem cum conſilio epiſcoporum ac principum Anglorum ex utraque parte pacem inierunt, per gratiam regis Angelorum. Factáque eſt firmiſſima pacis concordia inter eos, quam ſub jurejurando in Evangelio Chriſti ambo reges confirmaverunt, Deum teſtem atque fidejuſſorem interponentes, ut in diebus eorum, quamdiu vitâ præſenti potirentur, & regni eſſent inſulis ſuffulti, pax firma, veráque amicitia inter eos inconcuſſa & inviolata perſiſteret.* Ità Dunelmenſis & Hovedenus.

Polychr. lib. 5. cap. 28. Simeon Dunelm. Matth. Veſtm.

Hunt. *lib. 4.* Roger. Hoved.

801. Simeon Dunelm. Roger. Hoved.

Anno

Anno octingenteſimo tertio celebratum eſt præſente Cenulpho rege concilium *Clivenſe* tertium, in quo ſtabilitur Cantuarienſis Metropolitanæ diœceſeos reſtauratio ac redintegratio, & Archiepiſcopatus Licidfeldenſis penitùs abrogatur; aliáque quædam inter nonnullos epiſcopos de paſtu diffidia dirimuntur. Eodémque anno defunctus eſt Athelardus Archiepiſcopus. Ante Cudberti Cantuarienſis tempora nullum per Angliam in urbibus fuit cœmeterium, nullus ſepulturæ locus, omnéſque ejus anteceſſores in eccleſia Auguſtiniana condebantur. Ille verò à rege Cantiano *Edilbum* impetravit, ut Archiepiſcopi in eccleſia Chriſti intra urbem ſepelirentur, ibíque ipſe & ſucceſſor Breguinus tumulati ſunt, monachis Auguſtinianis incaſsùm obnitentibus. Jambertus novam hanc conſuetudinem irritam facere conatus eſt, moriénſque ſuis præcepit, ut ipſum in eccleſia Auguſtiniana, cujus pridem Abbas fuerat, humarent. Sed Athelardus Cudberti & Breguini inſtituta revocavit, moriénſque, in eccleſia cathedrali ſepeliri voluit. Qui mos à ſucceſſoribus quoque obſervatus eſt, adeóque eccleſia Auguſtiniana exinde Archiepiſcoporum ſepulturâ caruit. Anno quinto ſupra octingenteſimum Cudredus Cantii rex, octavo regni anno defunctus, Baldredum habuit ſucceſſorem. Anno octingenteſimo octavo Ardulphus Northumbrenſium rex, quum annos duodecim regnâſſet, ſolio deturbatus, in Galliam ad Carolum magnum profugit; quem *Vitæ* ejuſdem *Caroli* ſcriptor, *Deirlandiæ*, id eſt, *Deirorum terræ*, regem appellat. Fugaverat autem illum Alphualdus, & regnum ejus occupavit. Anno proximo Egbertus, Occidentalium Saxonum

803. *Liber Cantuar.* Spelm. *Concil.*

Annal. Saxon. Florent. Vigorn. Thom. Spot. Guil. Thorn.

805. *Annal. Saxon.* Florent. Vigorn.

808. Hunt. *lib.* 4. Matth. Weſtm.

809.

810. num rex, Cornubienſes, annóque ſequenti Venedotos, ſub jugum miſit ac tributarios fecit. Rex Northumbrenſium Alphualdus, quum annos duos regnâſſet, mortuus eſt, cui Andredus
811. ſucceſſit. Anno octingenteſimo undecimo rex Egbertus, ſicut anno præterito Aquilonares Guallenſes compulerat ad ſolvendum tributum, ità nunc omnes eorum fines pervagando penetrans ab Aquilone ad meridiem, igne accumulato ſpoliavit, & ſic ad propria remeavit. Anno
813. octingenteſimo decimo tertio idem Egbertus Britones Occidentales ab oriente ad occaſum uſque devaſtavit, nec fuit qui ejus immanitati vel conaretur reſiſtere. Anno octingenteſimo decimo ſexto celebratum eſt Concilium
816. Chalchithenſe tertium, præſente Cenulpho rege, ac præſidente Volfredo Cantuarienſi Archiepiſcopo, in quo retinentur fides orthodoxa & præcepta canonica, eduntúrque novi aliquot Canones de rebus moribúſque eccleſiaſticorum gubernandis. Eodémque anno, Romæ, Anglorum Schola conflagravit. Anno octingenteſimo decimo octavo Norvegienſes, duce Turgeſio Hyberniam ingreſſi, Benchorenſe monaſterium in Ultonia, olim à Congallo fundatum, deſtruxerunt, & monachos nongentos uno die obtruncárunt. Quam cladem nonnulli, rerum nominúmque ſimilitudine decepti, cum Bangorenſium in Britannia cæde à Northumbrenſium rege Adelfrido diu antehac perpetrata
819. ineptiſſimè confuderunt. Anno proximè ſequenti obiit Achaius Scotorum rex, qui fœdus cum Carolo magno Franciſque perpetuum adverſus Anglos percuſſiſſe fertur. Regnante illo Alpinum ejuſdem filium, & Hungum qui ante ſexennium Pictorum regno admotus eſt, de

Annal. Saxon. Florent. Vigorn. Hunt. *lib.* 4.

Concil. Spelm. *Annal. Saxon.* Florent. Vigorn.

Primord. cap. 17. Uſſer.

Hector Boër. *lib.* Fordon. *Scoti chron. lib.* 4.

Adel-

Adelſtano quodam rege Anglicano victoriam ingentem reportâſſe, Scotorum Hiſtorici, noſtris omnino ſuper hac re tacentibus, ſcriptitant; quanquam quis iſte fuerit Adelſtanus, malè inter ipſos convenit, neque enim quempiam illiuſce nominis regem ante Pictici regni excidium hiſtoriæ noſtræ uſquam memorant. Toto quidem quo Pictos rexit Hungus tempore, vicinis Northumbrenſibus rex Andredus præfuit. Nos autem de hac Scotorum narratione in noſtro *Elencho Antiquitatum Albionenſium* uberiùs diſſeruimus. Porrò, hoc anno Cenulphus, nulli ante ſe regi potentiâ vel religione impar, quum annos viginti quatuor ſtrenuiſſimè regnâſſet, Cambriámque Occidentalem & Poviſiam nuper vaſtâſſet, placidè defunctus, & in eccleſia Vincelcombenſi quam ipſe exſtruxerat honorificè ſepultus eſt. Solus Abbas Jorvallenſis, ab aliis omnibus diſcedens, eum (pro *Bernulpho* forſan ſumens) ab Orientalibus interfectum fuiſſe ſomniat. Tres ei liberos uxor Elfrida peperit: filium unicum Cenelmum, duâſque filias; Quendridam ſive Cinidridam, Abbatiſſam, quæ Aſcoberti homicidæ impuriſſimi operâ nefandâ fratrem è medio ſuſtulit; & Burganildim, quæ, ut idem Jorvallenſis prodit, *ſororiâ fratrem affectione dilexit.* Cum Cenulpho vixerunt Carolus magnus ejúſque filius Ludovicus Pius Occidentis Imperatores. Succeſſit ei in Merciorum regno Cenelmus filius ſeptennis, in ſupremo regum Anglorum apice Egbertus Occidentalium Saxonum rex potentiſſimus, qui, cæteris Heptarchis ſub jugum miſſis, addictiorem multò quàm antehac auguſtioremque primus Monarchiam condidit. A quo nimirum progenitore

Joann. Major *lib.* 3. Buchan. *lib.* 5.

Chron. Cambr. Florent. *in geneal.* Malm. *lib.* 1. *cap.* 4. *Polychr. lib.* 5. *cap.* 28. Joann. Brompt. Florent. *in geneal.* Matth. Weſtm.

nitore regum omnium subsequentium illustrissimo, secundam nostram Chronici partem, Deo Optimo Maximo aspirante, ordiemur.

Reges

Reges Anglorum.

I. *Hengiſtus.*
II. *Ella.*
III. *Cerdicus.*
IV. *Chenricus.*
V. *Ceulinus.*
VI. *Æthelbertus.*
VII. *Redovaldus.*
VIII. *Edovinus.*
IX. *Oſuvaldus.*
X. *Oſuvius.*
XI. *Egfridus.*
XII. *Cedovalla.*
XIII. *Inas.*
XIV. *Æthelbaldus.*
XV. *Offa.*
XVI. *Egfridus.*
XVII. *Cenulphus.*

Reges Britonum.

Vortigernus cum *Vortimero* filio & *Ambroſio.*
Ambroſius ſolus.
Arcturius.
Malgo.
Cereticus.
Cadovanus, abdicato *Ceretico.*
Cadovallo.
Cadovalladrus.
Ivorus & *Edovallus.*
Rodericus.
Conanus.
Mervinus.
Rodericus magnus.

Britanni regna duo in Armorica condiderunt, quorum alterum totam Britanniam inferiorem, ac ſuperioris partem, Normanniæ adjacentem, complectens, à *Conano Meriadoco*; alterum, in ea Britanniæ ſuperioris parte quæ Ligeri fluvio alluitur, à *Riovalo* ſive *Riothaimo* Angloſaxones fugiente, inchoatum eſt.

In priore regnârunt,

Conanus.
Salomon I.
Aldroënus.
Budicus I.
Hoëlus I.
Hoëlus II.
Alanus I.
Hoëlus III.
Salomon II.
Alanus II.

In posteriore regnârunt,

Riovalus qui & *Riothaimus.*
Jonas.
Indnallus Candidus
Rethaellus.
Gilquellus, qui & *Judicaellus* & *Rodicaellus*, Sancti Judoci frater.

Post *Alanum* Secundum & *Gilquellum* toti Britanniæ Armoricanæ præfuerunt,

Conobertus.
Budicus II.
Theodericus.
Rivallo.
Daniel Dremroſt.
Aregſtanus.
Marconus ſive *Marcomannus.*
Numenius.
Heriſpoüs.
Salomon III. regum ultimus.

Reges Cantianorum.

Hengiſtus.
Eſcus.
Octa.
Herminericus ſive *Hermericus.*
Æthelbertus.
Edbaldus.
Ercombertus.
Egbertus.
Lotharius cum *Ricardo* (filio.
Edricus.

Edricus.
Vidredus cum *Suaberto.*
Vidredus ſolus.
Æthelbertus cum *Edberto.*
Æthelbertus idem cum *Ardulpho.*
Aldricus cum *Almundo.*
Edbertus Prenus.
Cudredus.
Baldredus.

Reges Auſtralium Saxonum.

Ella.
Ciſſa.
Anonymus pugnavit contra *Ceolulphum* Viſiſaxonem.
Adelvalchus.
Berthunus & *Authunus*, & in Vecta *Arvaldus.*
Authunus ſolus.
Albertus, ab Ina cæſus.
Oſmundus.

Reges Occidentalium Saxonum.

Cerdicus.
Chenricus.
Ceulinus.
Ceolricus.
Ceolulphus.
Cinigiſilus cum *Quicelmo.*
Cenovalchus.
Saxburga cum *Cenfuſio.*
Eſcuinus & *Centuinus.*
Cedovalla.
Inas.
Athelardus.
Cudredus.
Sigebertus.
Cenulphus.
Brithricus.
Egbertus.

Reges Orientalium Saxonum.

Rcenovinus.
Sledda.
Sabertus.
Saxredus, *Sevardus*, & *Sigebertus*

Sigebertus Parvus.
Sigebertus Bonus.
Suithelmus.
Sebba & Sigerus.
Sebba ſolus.
Sighardus & Senófredus.
Offa.
Selredus.
Suithredus.

Reges Orientalium Anglorum.

Uffa.
Titillus.
Redovaldus.
Erpualdus.
Sigebertus.
Egricus.
Annas.
Æthelherius.
Adelvaldus.
Aldulphus.
Alphualdus.
Beorna & Æthelbertus.
Beorna ſolus.
Æitheldredus.
Æthelbertus.

Duces Northumbrenſium.

Octa.
Ebuſa.

Reges Deirorum.

Alla.
Edovinus.
Oſricus.
Oſwaldus.
Oſwinus.
Adelvaldus.
Alfredus.

Reges

Reges Berniciorum.

Ida.
Adda.
Glappa.
Theodulphus.
Fridulphus.
Theodericus.
Athalaricus.
Adelfridus.
Edovinus.
Anfridus.
Oſwaldus.
Oſwius.
Egfridus.
Alfredus.
Oſredus.
Cenredus.
Oſricus.
Ceolulphus.
Edbertus.
Oſulphus.
Mollo Adelvaldus.
Alcredus.
Æthelredredus.
Alphualdus.
Oſredus.
Æthelredredus iterum.
Oſbaldus.
Ardulphus.
Alphualdus.
Andredus.

Reges Merciorum.

Crida.
Vibba.
Carolus.
Penda.
Peda.
Volpherus.
Æthelredredus.
Cenredus.
Ceolredus.
Æthelbaldus.
Offa.
Egfridus.
Cenulphus.

Reges Cumbriæ & Arcludæ.

Avus, ſive *Caunus*, Gildæ Albanii pater.

Hoëlus, aliàs *Huelinus* & *Cuillus*, Navi filius.

Anonymus, pater Sancti Petroci.

Marcus.

Anguſellus, Lothi & Uriani frater.

Evenus, Uriani filius.

Rodericus.

Cereticus.

Hoanus, ſive *Oënus*, Donaldum Breccum Scotorum regem interfecit.

Deovama, Edberto Northumbrenſi contemporaneus.

Anonymus, Osberto Northumbrenſi contra Scotos fœderatus.

Conſtantinus, ejus filius, à Gregorio Scotorum rege occiſus.

Hebertus, Conſtantini frater.

Eugenius, Adelſtano Anglo contemporaneus.

Dunvallo, ſive *Dunmail*, regno ab Edmundo Anglo exutus, ad Stratcludwallos in Cambria, atque indè Romam abiit.

Reges Danmoniæ.

Caradocus, Octavio Britannorum regi contemporaneus.

Deonotus, frater, mox Britannorum rex.

Mauricius, Caradoci filius.

Gorloës, Arcturii pater.

Arcturius, mox Britannorum rex.

Cadorus,

Cadorus, ejus cognatus.
Conſtantinus, filius, cum *Tenduro* & *Gerennio* filiis.
Bletruſius, *ſive* Bledricus.
Gerontius, Inæ & Aldhelmo contemporaneus.
Dongerthus, ſive *Donierthus*, ſubmerſus anno 872.

FINIS.

INDEX.

A.

AMbrosius *Constantini filius* pag. 6, 8. *ex Armorica in Britanniam transmittit* 16. *prælium Guoloppinum cum Vortigerno conserit* 6, 17. *ineptè cum Merlino confunditur* 22. *ejus regni initium* ibid. *operâ Arthurii in bellis utitur* 26. *purpuram sumpsisse dicitur* 34. *diversus à Bavenii Ambrosio exsulante* ibid. *incendio Vortigernum tollit* 39. *egregiam de Saxonibus victoriam reportat* 40, 41. *res ecclesiæ curat ac restaurat* 48. *ejus in Pascentium clementia* 54, 55. *quare* Aurelius *&* Aurelianus *nominatus* 59. *bello contra Saxones occisus* ibid. *sepultus Ambresburiæ* 60. *ejus nepotes degeneres* ibid.

Ambrius *abbas cœnobium fundavit* ibid.

Arvandi *nobilis Romani proditio & pœna* 30.

Arthurius *Gorlœm patrem habuit* 25. *patri in Danmonia succedit* 28. *vitium Hoëlum Arcludensem interficit* 29. *ejus erga Cadocum & Iltutum veneratio* 36. *in Glastonia Melvasium obsidet* 37. *ad Simplicium Papam Galvanum mittit* ib. *adiit Hierosolyma* 46. *ejus secunda victoria* 48. *tertia* 52. *quarta & quinta* 54. *sexta* 56. *septima* 57. *octava* 58. *succedit Ambrosio in regno Britannico* 61. *victoria nona & decima* 60. *undecima* 61. *duodecima, qua & Badonica* 61, 62. *Pictos & Scotos vincit* 63. *natalitium Christi in Eboraco celebrat* 64. *& festum Pentecostes in urbe Legionis* ibid. *Hantoniam & Somersetam Cerdico concedit* 69, 70. *in Armorica Frollonem vincit* 74. *ejus sigillum imperiale describitur* 75. *secunda in Armoricam expeditio* 78. *uxorem & regnum Modredo commendat* ibid. *prædonem Gothicum in Armorica cædit* 82. *ejus in Britanniam reditus & victoria* ibid. *altera ejus victoria* 84, 85. *in prælio Cambalaunico lethaliter vulneratus* 86. *mortuus & sepultus Glastoniæ* 88. *ejus tres uxores* 89. *& filius & sorores* 90. *sepulchrum ab Henrico 2. inventum* 91, 92, 93. *ejusdem arma & corona* 97.

Angli *in Britanniam veniunt* 5, 6, 7.

Angliæ *nomen quando impositum* 117.

Adda *rex Northumbriæ* 105, 109.

Alla

INDEX.

Alla *Northumbriæ rex* p. 104, 113, 118.

S. Asaphi *dictum memorabile* 108.

S. Augustinus *à Gregorio missus venit* 127. *regem Æthelbertum convertit* 129. *fallus Archiepiscopus decem hominum millia baptizat* 130. *ejus interrogationes* 132, 133. *idolum* Heil *Cernæ demolitur* 135. *pallium recipit* ibid. *Concilium unà cum Britonum episcopis celebrat* 137, 138. *iisdem interminatur* 141. *mittit Mellitum ad regem Sabertum* 143. *moritur & sepelitur* 144. *Sanctum Livinum baptizavit* 147. *ejus corporis translatio in ecclesiam* 151, 152. *monachorum Bangorensium cædis minimè reus* 159, 160. *ejus laudes* 161.

Athalaricus *Northumbriæ rex* 116, 122.

Adelfridus *rex Northumbriæ Scotos vincit* 142. *vincit Britannos, & monachos interficit* 149. *occiditur* 158, 159.

Aidanus *Scotorum rex Britonibus auxiliatur* 116, 120. *vincit Pictos* 119. *ab Adelfrido superatur* 142.

Aidani *Fernensis archiepiscopi mors* 175, 176.

Aidanus *episcopus Lindisfarnensis* 188, 200. *ejus eximia laus* 189.

Arthus *rex Suecorum* 87.

Aurelius Conanus *sive* Canius *à Gilda reprehenditur* 103.

Alaricus *Idæ regis filius* 101.

Adelvalchus *Australium Saxonum rex* 199. *fit Christianus* 212. *ejus erga Wilfridum humanitas* 231. *occiditur* 241.

Annas *Orientalium Anglorum rex* 198. *profugum Cenwalchum excipit* 199. *à Penda occiditur* 205. *ejus liberi* 237.

Adelvaldus *Orientalium Anglorum rex* 207, 216.

Adelvaldus *alter Deiræ rex* 202, 205.

Agilbertus *episcopatum Dorcestrensem à Cenwalcho rege exoratus suscipit* 199. *relictâ Angliâ fit Parisiorum episcopus* 211. *concilio Pharensi interfuit* 213.

Atheldrida *regina & abbatissa* 237.

Adrianus *abbas Augustinianus* 218, 224.

Aldulphus *Orientalium Anglorum rex* 216. *Concilio Hatfeldiensi interfuit* 232.

Alphualdus *Orientalium Anglorum rex* 283.

Aldhelmus *fit episcopus Schireburnensis* 259. *ejus scripta* ibid.

Authunus *Australium Saxonum rex* 241, 242.

Arvaldus *Vectæ rex* 242. *ejus filii baptizati & occisi* 243.

Albertus *rex Australium Saxonum ab Ina rege victus & interfectus* 264, 266.

Albertus *alter, aliàs* Æthelbertus, *Orientalium Anglorum rex* 284.

Ardulphus *Cantii rex* 283.

Alfredus *Osrvii filius Pedam hortatur religionem Christianam amplecti* 203. *patri in prælio contra Pendam adfuit* 206. *patrueli in Deira succedens concilio Pharensi interfuit* 213. *à Moduenna virgine sanitati restituitur* 220. *à Deiris rejectus* 222. *in Hyberniam secedit* 239. *ibi studiis incumbens evadit doctissimus* ibid.

ibid. *revocatus ſit Northumbriæ rex* ibid. *epiſcopatum Vilfrido reddit* 243. *eundem ſede pellit* 253. *in concilio ei minatur* 256. *Papæ literas negligit* 258. *ejus mors & ſepultura* ibid.

Athelardus *Occidentalium Saxonum rex* 273. *vincit Oſwaldum Clitonem* 274. *amittit Somertonam ab Æthelbaldo captam* 276. *moritur* 279.

Adelvaldus *Northumbriæ rex Oſwinum Clitonem vincit* 289. *occiditur* 290.

Alcredus *rex Northumbriæ* 290, 292.

Almundus *Cantii rex* 296.

Aldricus *Cantii rex* 289. *ab Offa rege vitam* 291. *moritur* 303.

Alphualdus *rex Northumbriæ concilium Acleanum celebrat* 294. *à Siggano occiditur* 298.

Alphus & Alphuinus *interfecti* 259.

Alcmundi *Sanctii cades* 318.

Ardulphus *archiepiſcopus Licetfeldenſis* 297.

Athelardus *Cantuarienſis archiepiſcopatum ſuum redintegrat* 315, 316.

Ardulphi *regis Northumbriæ geſta* 305, 313, 318.

Alphualdus *rex Northumbriæ* 319.

Andredus *rex Northumbriæ* 320, 321.

Alcuinus *Anglus vir eruditiſſimus* 298, 301, 304.

Æ.

ÆThelbertus *patri in regno Cantiano ſuccedit* 108, 109. *à Ceulino vincitur* 110. *eundem vincit, & Monarcha evadit* 125. *uxorem Bertam ducit* 126. *fidem Chriſtianam ſuſcipit* 129. *relictâ Auguſtino Cantuariâ Regalbium demigrat* 132. *eccleſiam Paulinam Londini ædificat* 143. *& Andreanam Roſſæ* ibid. *moritur & ſepelitur* 152. *ejus liberi & leges* 153.

Æthelburga *Edvino nubit* 164, 165. *in Cantium reverſa fit monialis* 182, 183.

Æbba *abbatiſſa* 186, 230.

Æbba *altera Auſtralium Saxonum regina* 231.

Æthelherius *Orientalium Anglorum rex prælio vitam occumbit* 205, 206.

Ætheldredus & Æthelbertus *Ermenfredi filii nequiter è medio tolluntur* 224.

Ætheldredus *Merciæ rex Cantianos vaſtat* 227. *ſuperato Egfrido Lincolniam recuperat* 228. *datâ pecuniâ pacem redimit* 229. *Concilio Hatfeldienſi interfuit* 232. *epiſcopatuum numerum in Mercia auget* 233. *fit monachus, & abbas Bardneienſis* 257. *moritur* 263.

Æthelbaldus *Ceolredo in Mercia ſuccedit* ibid. *& Ina in Monarchia* 273. *abbatiam Crolandienſem fundat* ibid. *vincit Britones* 274. *capit Somertonam* 276. *vaſtat partem Northumbrorum* 279. *rurſus Britones vincit* 280. *Concilium Clivenſe primum celebrat* ib. *à Bonifacio reprehenſus Concilium Clivenſe ſecundum celebrat*, 282. *à Cudredo vincitur* 285, 286. *à ſuis Secanduni occiditur* 288.

Æthelhunus *vir fortiſſimus* 284, 285.

Æthel-

Æthelburga *Ina uxor Tantonam capit* p. 265. *marito ut ſeculo renunciet perſuadet* 267.
Æthelbertus *patri Vidredo in Cantio ſuccedit* 266. *moritur* 289.
Ætheldredus *vel* Æthelbertus *rex Northumbriæ* 292. *regno pulſus* 293. *reſtitutus tyrannicè agit* 298, 299. *occiditur* 304.
Ætheldredus *alter Orientalium Anglorum rex* 299.
Æthelbertus *Sanctus rex Orientalium Anglorum* ibid. *ab Offa rege perfido occiditur* 300. *ejus ſepultura* ibid.
Æthelmundus *Vigornienſium regulus à Volſtano vincitur* 317.

B.

BRitanni *Anglos in auxilium accerſunt* p. 1, 2. *eoſdem pellere conantur* 12. *Britanni à Saxonibus pulſi Armoricam & Brittiam Batavicam fugâ petunt* 18, 19.
Beda *Portæ filius* 56.
Baldulphus *idem cum* Plentingo 66, 67. *cadit in prælio Badonico* 62.
Bletrufius *ſive* Bledricus *Danmoniæ rex* 121, 151.
Brocivallus *vicus* 150.
Berta *Æthelberti uxor* 126.
Bebba *Idæ regis uxor Bebbamburgo nomen dedit* 101.
Baldricus *Idæ regis filius* ibid.
Bangorenſium *monachorum ſtrages* 150.
Blecca *Lincolniæ præfectus baptizatur* 172.
Boſeli *duo* 220, 233.
Birinus *Cinigiſilum & Viſiſaxones convertit* 186, 187. *ſedem epiſcopalem Dorceſtriæ ſtatuit* ibid. *baptizat Quicelmum* 191. *& Cudredum* 192.
Boulphus *&* Breuna *florent* 220.
Bertus *ſive* Bertredus *Hybernos vaſtat* 235. *à Pictis occiditur* 256.
Beda *Venerabilis naſcitur* 225. *hiſtoriam de Ratione temporum abſolvit* 266. *& Eccleſiaſticam hiſtoriam* 275. *ejus mors & encomium* 276, 277.
Bertfridus *Pictos vincit* 261.
Beorna *aliàs* Hun-Beanna *Orientalium Anglorum rex* 283, 289.
Berthunus *Auſtralium Saxonum rex* 241, 242.
Baldredus *Viſiſaxonicum ſub Ina regulus* 265.
Benedictus Biſcopius 219. *ejus mors & geſta* 243.
Beorntredus *ſive* Barntredus *perduellis* 288. *urbem Cataractam ſuccendit, & ipſe perit* 291.
Bonifacius *Anglus archiepiſcopus Moguntinus* 282.
Brudeus *Pictorum rex* 109.
Brithricus *Viſiſaxonum rex* 296. *regis Offæ filiam ducit* 297. *Danos fugat* 298. *veneno perit* 316.
Baldredus *Cantii rex* 319.

C.

CAdocus, *Demetiæ rex, ſit abbas Lhancarvanenſis* p. 36. *Concilium Brevienſe* 65. *& Victoriacum* 71.
Cimenius *Ellæ filius* 35. *fuit idem cum* Colgrino 65, 67.
Cereticus *ulmetenſis, Vortigerni interpres* 9.

Ceretis-

INDEX.

Cereticus *tyrannus* p.114,170.

Cereticus *alter, rex, Cunedæ filius* 21.

Catigernus *Vortimeri frater interfectus & sepultus* 14.

Cerdicus *princeps Saxonicus in Britanniam venit* 52,53. *vincit Britannos* ibid. *ab Arcturio in sylva Celidonis vincitur* 57. *Nazaliodum ingenti prælio victum interimit* 58. *rursus ab Arcturio in bello Badonico superatus* 61, 62. *Britannos Cerdicfordiæ profligat* 68. *cum Arcturio fœdus ferit, ac duas provincias recipit* 69. *fit primus Occidentalium Saxonum rex* 70. *& tertius Anglorum Monarcha* ibid. *ecclesiam Vintoniensem cæsis monachis polluit* 71. *cum Britannis rupto fœdere confligit Cerdicstegæ* 73. *insulam Vectam occupat* 78. *nominatur à Britannis* Cheldricus 79. *cum Modredo adversus Arcturium conjuratus alias quoque à perduelle provincias recipit* 79, 80.

Chenricus *Cerdici filius cum patre in Britanniam venit, cúmque in omnibus bellis comitatur* 52,53. *ejus duæ victoriæ* 101, 104. *moritur* 105.

Cungarus *eremita insignis* 44.

Centigernus *fit episcopus Elvicensis in Cambria* 74.

Cadovallo *Longimanus, Malgonis pater, Sirigim vincit & occidit* 73. *moritur* 78.

Colgrinus *idem cum* Cimenio 66, 67. *cadit in prælio Badonico* 62.

Cadorus *Cornubiæ regulus* 52, 62.

Cenedus *eremita* 71.

Cissa *Ellæ filius patri succedens Cicestriam & Cisburiam exstruit* 67. *moritur* 118.

Cassibelanus, Cindelanus 87.

Ceulinus *rex Britannis* Gormundus *dictus* 106, 123. *vincit Æthelbertum & Cantianos* 110. *ejus victoria Derhamiensis* 114. *& Fethanleiana* 116. *victus prælio Vodenbergensi* 120. *in exsilio moritur* 122.

Cuthulphus *Ceulini frater Britannos vincit* 113. *moritur* ibid.

Cuthovinus *Ceulini filius Britones vincit* 114. *interficitur* 116.

Crida *Merciorum rex primus* 116,122.

Carolus *rex Merciorum* 152, 165.

Constantinus *Danmoniæ rex* 101. *filios Modredi victos interimit.* ibid. *à Gilda reprehenditur* 102. *ejus conversio* 117. *& martyrium* 119.

Conimaglus & Condidanus *interfecti* 114.

Cuneglasus *rex à Gilda reprehenditur* 104.

Ceola *sive* Ceolricus *proditor ingratissimus* 118,120,131.

Ceolulphus *Chenrici regis filius* 105.

Ceolulphus *Visisaxonum rex bellicosus* 131. *ejus cum Australibus Saxonibus pugna funesta* 147. *moritur* 149.

Cadovanus *rex Britonum* 101, 151.

Columba *abbas ex Hybernia ad Hebridianos navigat* 108. *in Albaniam venit* 109. *septentrionales Pictos convertit, & Hyam sive Jonam insulam accipit* ibid. *moritur* 131.

Centigernus *episcopus Glascuensis sede pulsus* 74. *fit primus episcopus Elguensis* ibid. *revocatus Asaphum habet successorem* 108.

Cantuaria

INDEX.

Cantuaria *fit sedes Archiepiscopalis* p. 135.

Ceddus, Cimbellus, Ceulinus & Ceadda *fratres* 205.

Columba *junior episcopus Duncaldensis* 195.

Cadovallo *rex Britonum Edovinum perimit* 176. *item Osricum & Aufridum* 184. *ab Osvaldo victus cadit* 185. *malè cum Cenovalcho Visisaxone confunditur* 178.

Cinigisilus *Visisaxonum rex* 149. *vincit Britones Bindunii* 152. *cum Penda confligit Cyrencestriæ* 173. *fit Christianus* 186. *urbem Dorcestriam Birino donat* 187. *moritur* 197.

Coifius *fit Christianus* 168,169.

Colmani *episcopi Lindisfarnensis cum Vilfrido disputatio, & ex Anglia discessio.* 213,214.

Cenovalchus *Occidentalium Saxonum rex* 197. *fidem repudiat, & regno pellitur* 198. *fidem & regnum recipit* 199. *episcopatui Dorcestrensi Agilbertum præficit* ibid. *ejus victoria Bradfordiensis* 202. *vincit Britannos juxta Pennum* 209, 210. *Vinam episcopum Vintoniensem constituit* 211. *bellum cum Volphero Mercio gerit* 211, 212. *pellit Vinam episcopatu* 218. *quem unà cum Dorcestrensi confert Eleutherio* 222. *moritur* 223.

Cursus canendi annuus in Angliam à Joanne archicantore introductus 233.

Censusius *Escuini pater* 223, 225.

Cedovalla *in exsilium actus* 241. *regem Adelvalchum interficit* ibid. *in regno Visisaxonum Centuino succedit* ibid. *& Egfrido in Monarchia* 242. *victum Berthunum interimit* ibid. *& Australes Saxones subigit* ibid. *insulam Vectam capit, & quartam ejus partem dat Vilfrido* ib. *filios Arvaldi proditos occidi jubet* 243. *depopulatur Cantium* 242. *fratris Mollonis cædem in Cantianos vindicat* 245. *abdicato regno Romam proficiscitur* ibid. *à Sergio Papa baptizatus mox moritur* 246. *ejus sepultura & epitaphium* 246,247. *ejus uxor* 247. *ejusdem adhuc pagani in Glastonienses benignitas* ibid. *malè cum Cadovalladro Britanno confunditur* 248. *ejus ænea statua & æneus equus* 250. *à Paulo Diacono* Theobaldus *appellatur* 251.

Cadovalladrus *rex Britonum infaustus* 234,248.

Centuinus *Visisaxonum rex* 225. *Concilio Hatfeldiensi interfuit* 232. *vastat Britones* 234. *moritur* 241.

Cissa *Viltoniæ & Bercheriæ regulus* 252.

Cenredus *Mercia rex fit monachus* 260.

Cenredus *Northumbriæ rex* 263,264.

Ceolfridus *abbas ad Nectanum regem scribit* 262. *Romam petens in itinere moritur* 263.

Cudbertus *fit episcopus Lindisfarnensis* 235,236.

Ceolredus *Merciæ rex* 260. *cum Ina Vodenbergæ confligit* 262. *ejus mors* 263.

Ceolulphus *rex Northumbriæ* 274. *fuit vir doctissimus* 275. *captus, attonsus, & dimissus vel elapsus* ibid. *fit monachus* 279. *moritur* 290

Cudredus *Occidentalium Saxonum rex* 279. *vincit Britones* 280. *cum Æthelhuno victo in gratiam*

tratiam redit p. 284. *ingenti prælio Æthelbaldum superat* 285. *profligatis Britonibus moritur* 286.
Chenricus *seditione militari occumbit* 283.
Cudbertus *archiepiscopus Concilia Clivensia celebrat.* 280, 282.
Constantinus *Pictorum rex ecclesiam Duncaldensem ædificat* 195.
Cenulphus *Visisaxonum rex* 287. *ab Offa rege vitius* 292. *à Cinebardo Clitone occiditur* 295. *ecclesiam Fontanensem prædiis donavit* 296.
Cenulphus *Egfrido regi succedit* 311, 312. *regem Cantii Edbertum vitium capit* ibid. *abbatiam Vincelcombensem fundat* 313. *ejus ad Papam litera* 314, 315. *archiepiscopatum Cantuariensem in integrum restaurat* 316, 319. *exercitum ducit in Ardulphum Northumbrensium regem* 318. *cum eodem pacem componit* ibid. *Cambriam occidentalem & Powisiam vastat* 321. *ejus mors, sepultura, uxor, & liberi* ibid.
Cudredus *Cantii rex* 312, 319.
Cinocus *sive* Cenegus *rex Pictorum* 292.

D.

SAnctus David *Menevensis natus & baptizatus* p. 21. *fit Cambriæ archiepiscopus* 64, 65. *ecclesiam S. Mariæ minorem & monasterium Glastonia exstruit* 58.
Dubricius *Archiepiscopus* 48, 61. *moritur* 65.
Daniel *episcopus Bangorensis* ibid.
Duvianus *episcopus Vintoniensis* 65.
Deonoti *abbatis Bangorensis responsio* 140. *& ad suos adhortatio* 151
Diuma *primus Merciorum episcopus* 203, 209.
Dagobertus *rex Francorum* 183.
Dagobertus *alter rex Austrasiæ* 229.
Daniel *episcopus Vintoniensis* 259. *dimisso episcopatu moritur* 281.
Dalarganus *Pictorum rex à Britonibus occisus* ibid.
Deovamx *exercitus perit* 287.
Danorum *prima invasio* 297. *& secunda* 303.

E.

EAldolus *&* Eldadus *mera Galfridi figmenta* p. 33, 44.
Ebusa, *Britanniæ* Eosa *dictus, in Britanniam venit* 10. *pellit Galvanum* 55. *occupat Northumbriam* 10, 37.
Ella *princeps Saxonicus in Britanniam venit* 35. *vincit Britannos* ibid. *ab Ambrosio profligatur* 40. *Andredcestriam vitiis Britonibus captam evertit* 49. *fit primus Australium Saxonum rex* 50. *& secundus Anglorum Monarcha* ibid. *auxilia Cerdico contra Nazaliodum subministrat* 58. *moritur* 66. *ejus liberi* ibid.
Escus *Hengisti filius patri in Cantio succedit* 46. *ab eo reges Cantiani vocabantur* Escingi ibid. *etiam nominatus est* Otticus ibid. *moritur* 66.
Ercenovinus *primus Orientalium Saxonum rex* 72, 117.

Eledanius

INDEX.

Eledanius *Alcluda episcopus* p. 65.

Ecca *Ida regis filius* 101.

Edbaldus *patri in Cantio succedens fit apostata* 154 *novercam ducit, & spiritu immundo veratu* ibid. *à Laurentio episcopo convertitur* 155. *moritur* 192. *ejus laus* 193.

Ercombertus *Edbaldi filius Ermenfredo fratri majori regnum callidè surripit* 192. *idola destruit, & jejunium quadragesimale per regnum suum observari præcipit* 193. *ejus mors & liberi* 216.

Ermenfredi *liberi, & soror* Ensuitha *monialis* 192.

Edovinus *Allæ filius regno pulsus* 118. *ad Redovaldum regem supplex confugit* 156. *ejus visio* 157. *regnum cæso Adelfrido recuperat* 159. *fit Monarcha Anglorum* 164. *à sicario vulneratur* 166. *filiam Paulino baptizandam tradit* ibid. *Occidentales Saxones vincit* 167. *literas à Papa accipit* ibid. *ejus consultatio de religione* 168. *baptizatur* 169. *basilicam ædificare incipit* ibid. *regionem Ulmetensem victo Ceretico capit* 170. *ejus potentia & authoritas* 174,179. *à Cadvallone & Penda occiditur* 176. *historia Britannica de eo fabula* 177. *ejus liberi & sepultura* 180.

Edfridus *à Penda trucidatur* 182.

Erpualdus *Orientalium Anglorum rex* 163. *fit Christianus* 175. *à Righerto perduelli occiditur* 183.

Egricus *Orientalium Anglorum rex à Penda occiditur* 197,198.

Egbertus *Cantii rex* 216. *benignè excipit Wilfridum* 217. *moritur* 223. *patrueles innocuos impiè sustulit* 224.

Escuinus *Vissaxonum rex* 225. *cum Volphero Mercio conflgit* 226. *moritur* 227.

Egfridus *Pictos rebellantes vincit* 222. *victo Volphero Lincolniam adimit* 226. *ibique Ethedam episcopum constituit* 227. *ab Ætheldredo Mercio victus fratrem & Lincolniam amittit* 228. *datis ab eodem nummis placatur* 229. *Concilio Hatfeldiensi interfuit* 232, *& Twifordiensi* 235. *Sanctum Cudbertum sedi Lindisfarnensi præficit* 235. *Scotos Hybernicos vastat* ibid. *à Pictis occiditur* 236. *ejus uxores* 237. *Wilfridum episcopatu pellit* 227. *Papæ literas ac scita spernit* 230.

Edricus *Cantii rex* 239,243.

Eguinus *episcopus Vigorniensis* 260.

Edbertus *Cantii rex* 266,283.

Edbertus *alter Northumbriæ rex* 279. *bellum gerit cum Pictis* ibid. *pagum Chilensem ius adimit* 284. *episcopum Lindisfarnensem captivum ducit* ibid. *capit Alcludam* 287. *monachus factus moritur* 289,290.

Egbertus *fit episcopus Eboracensis* 275,277. *pallium archiepiscopale recuperat* 278,280.

Egbertus *alter ventis prohibitus nè Germanis evangelium annunciaret* 254. *monachos Hyenses ad Romanum ritum perducit* 263,264.

Egfridus *Mercius Anglorum Monarcha* 310.

Edburgæ *Vissaxonum reginæ facinora* 316,317.

Egberti *Viſiſaxonum regis victoria* p. 320.

F.

FAuſtus *Vortigerni filius* p. 10,40.
Fingarus *occiditur* 20.
Frollo *ab Arturio caſus* 74
Fridulphus *Northumbriæ rex & Fridubuldus* 113,115.
Furſeus *& Foillanus viri pientiſſimi* 191.
Felix *Orientalium Anglorum epiſcopus* ibid.
Finanus *epiſcopus Lindisfarnenſis* 203,204.
Ferguſtus *ſive* Fergufius *epiſcopus Scotiæ Pictus* 264.
Foſſa ingentes Offæ, Vodeni, & S. Edmundi 293.
Fridiſuida *virgo ſanctæ* 309.

G.

GIldelinus *epiſcopus Landinenſis* p. 16,17.
Gundleus *Demetiæ rex ſeculo renunciat* 20.
Gildas *Albanius* 21,30,36,37. *moritur* 66.
Gildas *Badonicus natus* 62,63. *querulam uam epiſtolam edit* 102. *moritur* 110,111.
Guignerus *occiditur* 20.
Gorloës *Arthurii pater* 25,28.
Galvanus *miles ſtrenuiſſimus* 37,55.
Guoloppinum *prælium* 17.
Glappa *Northumbriæ rex* 109.
Gormundus *Britannos affligit* 105,123.
Gregorius *magnus puerorum venalium miſertus Angliam adire inſtituit* 113,114. *factus Papa Auguſtinum mittit* 126. *illum ſociosque Francorum principibus commendat* 127. *quæſtiones ſolvit, & pallium &c. mittit* 135. *literis regem & reginam ſalutat* 136. *moritur* 145,146.
Gerontius *Cornubiæ rex literas ab Aldhelmo accipit* 259. *ab Ina rege profligatur* 261.
Guala *fœmina Utopica* 271.
Guthlacus *eremita &* Geraldus *Saxo* 272,273.
Garnardus *Pictorum eccleſiam Abernethianam fundavit* 195.
Godefridus *ſive* Gotricus *Mониæ rex* 297.

H.

HOëlus *Arcludæ rex ab Arturio caſus* p. 29. *dictus* Huelinus *&* Cuillus ibid.
Hoëlus *alter Armoricæ rex* 56, 63. *epiſcopatum Dolenſem Samſoni concedit* 64.
Hengiſtus *Vitigiſili Saxonum regis filius* 1. *in Britanniam accerſitus venit* 3,5,7. *irſalam Thanaton primò, mox Cantium obtinet* 7,10. *vincit Pictos & Scotos* 7. *partem Lincolnienſis pagi obtinet, & caſtellum Thongum extruit* 8. *majores copias è Germania accerſit* 8,10,11. *ſtipendia ampliora militans depoſcit* 12. *cum Vortimero quatuor prælia conſerit* ibid. *cum Vortigerno & Vortimero Ailsfordiæ conſligit* 13. *regium ſibi nomen aſſumit* 14. *Vortimerum & Britannos tribus prælis vincit* 15,23,24,31. *Vodinum epiſcopum interimit aliiſque proceres trecentos* 32. *Vortigernum tractatu doloſo captum dimittit* ibid. *Eſſexiam, Middelſexiam*

ſexiam & Suſſexiam obtinet ib. *Lincolniam, Eboracum, Londinum & Vintoniam occupat* p. 33. *magnam copiarum partem dimittit, à quibus arx Leidenſis in Hollandia conſtruitur* 38. *moritur primus Anglorum Monarcha* 42, 43. *ejus liberi* 44.

Horſus *Hengiſti frater in Britanniam venit* 3. 5, 7. *interficit Catigernum, ſed à Vortimero occiditur* 14.

Honorius *eremita* 71.

Hermineric us *ſive* Hermericus *Cantii rex* 81, 108.

Huſcus *ſive* Huſſus 115.

Hereric us *à Ceretico peremptus* 170.

Heina *& Hilda abbatiſſæ* 208.

Honorius *archiepiſcopus Angliam in parochias diſtribuere cæpit* 195.

Hevaldorum *martyrium* 254.

Hungi *Pictorum regis victoria* 321.

I.

IGerna *Arthurii mater* 21, 25. Iltutus *ſeculo renunciat* 36.

Ivorus *&* Inirius 252, 271.

Juſtinianus *eremita* 71.

Indaullus *princeps Armoricanus* 99, 104.

Juſtus *epiſcopus Roffenſis* 135, 143. *ſit Archiepiſcopus Cantuarienſis* 163. *mittit Paulinum ad Northumbrenſes* 164.

Inas *rex Cedvalla ſuccedit* 252. *leges condit & promulgat* 254. *cognati Mollonis eadem in Cantianos ulciſcitur* 255. *vincit Gevontium Cornubiæ regem* 261. *cum Ceolredo Mercio confligit* 262. *ejus in Glaſtonienſes munificentia* 264, 266. *Auſtrales Saxones Alberto caſo ſubigit* 265. *regnum dimittit ac Romam petit* 267. *ibi Scholam Anglorum fundat* 268. *denarium ex ſingulis regni ſui domibus S. Petro concedit* 269. *ejus mors & ſepultura* 271. *malè cum Ivoro Britone confunditur* ib. *ejus uxor ſit abbatiſſa Bercingenſis* ibid.

Ingiſilus *Inæ regis frater* 264, 270.

Joannes Beverlacenſis 243, 260. *ejus mors & ſepultura* 265.

K.

KImersford, *nunc* Kemsford. p. 317.

L.

LApis Tituli *&* Langer-ſtone p. 24.

Lothus *Laudoniæ rex* 37.

Ludhardus *epiſcopus Sylvanectenſis* 126.

Livinus *Sanctus ab Auguſtino de ſuæ ſuſceptus* 147.

Laurentius *Auguſtino ſuccedit* 145. *corpora Bertæ, Ludhardi & Auguſtini in eccleſiam transfert* 151, 152.

Lotharius *Cantii rex* 224. *ab Æthelfredo Mercio afflictus* 227. *Concilio Hatfeldienſi interfuit* 232. *in prælio vulneratus moritur* 240. *ejus uxor & liberi* ib.

M.

MAnſuetus *epiſcopus Britannorum in Armorica* p. 19.

Maugantius *Silceſtriæ epiſcopus* 65.

Megla *Portæ filius* 56.

Melvaſius *Arthurii uxorem rapit & reſtituit* 37.

Modredus *proditor ſceleratiſſimus* 78, 79, 80.

Monachi Vintonienſes caſi 71.

Merlini *duo* p. 122.
Maclovius *comes Armoricanus* 108.
Maclovius *Sanctus & Maglo*rius 124.
Manuornus *epiſcopus Britanni*cus 137.
Merovaldus & Mercelmus *Pendæ filii* 206.
Mellitus *epiſcopus Londinenſis* 143. *fit Archiepiſcopus Cantua*rienſis 162.
Mildreda, Milburga & Milgi*tha, ſorores Mercſini* 227.
Monenna *ſive* Moduenna *virgo ſanctia* 195. *principem Alfre*dum *ſanat* 220. *& Oſitham in*ſtituit 225.
Mollo *Cedovalla regis frater Cantium & Vectam vaſtat* 242. *iterum Cantianos adoritur* 244. *ejus cades & laus* 245.
Malgo *ſive* Maglocunus *Bangoriam exſtruit* 98. *à Gilda re*prehenditur 104. *contra Arthu*rium *cum Modredo conjuratus* 90, 91, 107. *ſit Britonum Monarcha ſupremus* 106. *malè cum Ma*clovio *comite Armoricano confun*ditur 108.
Meredithus *ſive* Mereducus *Demetiæ rex* 121, 151.
Mencrinus *dux Britonicus* 121.
Mollo *rex Northumbriæ Clito*nem *Oſavinum vincit* 289.
Mermodius & Mervinus 293.

N.

NEnnius *ſive* Nennio *Magni Monaſterii epiſcopus* p. 71.
Nazaliodus *bello contra Cerdi*cum *cadit* 58. *quis ille fuerit* 59.
Noës *Arthurii filius* 90.
Nectanus *rex Pictorum* 262, 264.

O.

OCta *Hengiſti frater in Bri*tanniam *venit* p. 10. *pellit Galvanum* 55. *occupat Northum*briam 10, 37.
Octa *alter, Cantii rex* 66, 81.
Offo *nobilis Anglus in Germania prædicat* 142.
Oſmerus, Oga & Osbaldus, *Idæ regis filii* 101.
Oſlaphus, Oſuvidus, Oſlacus & Offa *Adelfridi filii* 186.
Oſiicus *apoſtata interficitur* 183, 184.
Oſuvaldus *rex Cadovallonem vincit* 185. *prædicatores à Sco*tia petit accipitque 187. *donat Aidano Lindisfarniam* 188. *ejus eximia pietas* 189, 190. *ejuſdem cades & ſepultura* 194. *illius uxor & proles* 195. *& latum im*perium 185.
Oſuvinus *in Deira regnat* 198. *ab Oſuvio occiditur* 200. *ejus pia humilitas* 201.
Oſuvius *fratri ſuccedit, ejuſque brachia ſepelit* 196. *prædicatores Pedæ & Sigeberto commendat* 203, 204. *reges Pendam & Æ*thelberium *prælio victos extinguit* 206. *ſubjugatos Mercios fide Chriſtianâ imbuit* 208. *Auſtra*lem *Merciam Pedæ genero donat* 209. *ſubigit Pictos & Scotos* ibid. *primum Merciis epiſcopum Diumam tribuit* ibid. *Concilium Pharenſe de Paſchate & tonſura celebrat* 213, 214. *moritur* 220. *ejus uxor & liberi* ibid. *& en*comium ibid.
Oſitha *abbatiſſa Chicenſis* 225.
Offa *Orientalium Saxonum rex ſit monachus* 260.

Oſuval-

Oſuvaldus *Clito villus moritur* p. 274.
Oſredus *patri in Northumbria ſuccedit* 258. *trucidatur* 263.
Oſricus *ſubregulus Vigornienſis* 253, 264.
Oſricus *alter* 263. *fit rex Northumbriæ* 264. *ejus mors & ſucceſſor* 274.
Oengusſa *rex Pictorum* 284, 285. *moritur* 289.
Odoceus *epiſcopus Landavenſis ab Auguſtino conſecratur* 137.
Oſtrida *Merciæ regina interficitur* 256.
Oſmundus *rex Auſtralium Saxonum* 289.
Oſulphus *rex Northumbriæ occiditur* ibid.
Oſuvinus *dux villus interficitur* ibid.
Oſredus *rex Northumbriæ* 298. *occiditur* 299.
Offa *rex Æthelbaldo ſuccedit* 289. *Heſtingos ſubigit* 291. *& regem Cantii Aldricum vincit* ibid. *& Cenulphum Viſiſaxonum regem* 292. *ingenti foſſâ Cambrobritannos ab Anglis diſterminat* 293. *regem Eſtanglorum Æthelbertum perfidè obtruncat* 299, 300. *abbatiam S. Albani fundat* 301. *Romam petit* 302. *ejus in Scholam Anglorum liberalitas* ibid. *Concilium Chalchithenſe cum aliis octo regibus celebrat* 303. *ejus mors & ſepultura* 305. *legem Mercianam condidit* 306. *ejus cum Carolo magno tranſactiones* 307, 308. *ejuſdem uxor & liberi* 309.
Oſredus *rex Northumbriæ* 298, 299.
Osbaldus *rex Northumbriæ* 305.
Oſmundus *rex Orientalium Anglorum* 289.

P.

Sanctii Patricii *Armachani Archiepiſcopi geſta & mors* p. 50, 51, 52.
Plentingus *Ellæ filius* 35. *fuit idem cum* Baldulpho 66, 67.
Porta *cum filiis ad Portiſmutham appellit* 56. *vincit Britannos* ibid.
Piranus *fit epiſcopus Eboracenſis* 64.
Paulinus *vir ſanctus & doctus* 44, 65.
Paſcentius *Vortigerni filius* 40. *villus in gratiam recipitur* 54.
Picti *Britannos vexantes ab Anglis vincuntur* 7.
Paternus *fit Ceretica epiſcopus* 71.
Petrocus *in Cornubia vitam monaſticam exigit* ibid.
Penda *Vibbæ filius in Mercia regnat* 165. *cum Viſiſaxonibus Cyrenceſtria confligit* 173. *junctis cum Cadvallone viribus Edvinum interimit* 176. *non fuit villus aut captus à Cadvallone* 178. *regem Oſuvaldum interficit & diſcerpit* 194. *fruſtrà Bamburgum obſidet* 196. *reges Sigebertum & Egricum vincit* 198. *regno Cenovalchum pellit* ibid. *ejus dictum memorabile* 203. *regem Annam interimit* 205. *ab Oſuvio villus cadit* 206. *ejus liberi* ibid.
Peda *Pendæ filius ſit Chriſtianus* 203. *ab uxore vel matre occiditur* 209.
Paulinus *in Northumbriam mittitur* 165. *vetuſtam Glaſtoniæ eccleſiam reparavit* ibid. *regem Edvi-*

Edovinum ad fidem convertit p. 168, 169. *archiepiſcopalem ſedem Eboraci ſtatuit* ibid. *ejus in prædicando & baptizando ſedulitas* 171, 172. *in pago Lincolnienſi multos convertit* 172, 173. *in Cantium reverſus ſit epiſcopus Roffenſis* 182, 183.

Parochiarum in Anglia origo 195, 253.

Q.

QUicelmus *Ceulini regis frater* p. 105.

Quicelmus *Viſiſaxonum rex Edovino ſicarium immittit* 165. *baptizatus moritur* 191.

Quicelmes Haunt ibid.

Quendrida *regis Offæ uxor impia* 299, 311.

R.

RIothimus *ſive* Riovalus p. 19, 30.

Regalis *epiſcopus Venetenſis* 19.

Ronixa *ſive* Rohena *Hengiſti filia* 9. *nupta Vortigerno* 10.

Ricardus *rex Sanctii Villibaldi pater* 240.

Ricardus *alter Andriæ in Italia epiſcopus* ibid.

Redovaldus *patri ſuccedit* 134. *ſit Anglorum Monarcha* 155. *ejus religio* 156. *profugum Edovinum excipit* ibid. *& in regnum reſtituit* 158, 159. *ejus de Adelfrido victoria* ibid. *ejuſdem mors & liberi* 163.

Rigbertus *perduellis Erpualdum trucidat* 183.

S.

STonheng p. 47, 48.

Stuffius *Cerdici nepos in Britanniam venit* 68. *vincit Britannos* ibid.

Samſon *ſenior epiſcopus Eboracenſis* 19, 22, 48.

Samſon *junior epiſcopus Dolenſis* 64.

Sirigis *Pictorum Hybernienſium rex primò victor, deinde victus occiditur* 73.

Saxones *in Britanniam tranſeunt* 3, 5, 7.

Scoti *Britannis infeſti ab Anglis vincuntur* 7.

Simplicius *Papa perperàm* Sulpicius *dictus* 37.

Sinduallus *à Narſete ſuſpenſus* 102.

Segorus *&* Segotherus *Idæ regis filii* 101.

Sledda *Orientalium Saxonum rex* 117, 143.

Sabertus *Orientalium Saxonum rex ad fidem converſus eccleſiam Weſtmonaſterienſem exſtruit* 143.

Saxredus, Sevardus *&* Sigebertus *patri Saberto ſuccedentes à fide Chriſtiana deſciſcunt* 154. *à Viſiſaxonibus victi cadunt* 162.

Sigebertus Parvus, *Sevardi filius, patri & patruis ſuccedit* ibid.

Sigebertus Bonus *Sigeberto Parvo ſuccedit* 203. *baptizatus à Finano Chriſtianitatem in regno ſuo deperditam reſtituit* 204. *ejus impia cædes* 207.

Suithelmus *Orientalium Saxonum rex baptizatus* ibid.

Sebba *&* Sigerus *Suithelmo ſuccedunt* 216.

Sigerus *à fide deſciſcit* 217. *à Jarumano convertitur* ibid. *moritur* 235.

Scoticorum *in Northumbria ſacerdotum eximia ſanctitas* 215, 216.

Sigebertus *Orientalium Anglorum rex ſit Chriſtianus* 190. *ſuos ad Chriſtianam fidem revocat* ibid.

ſcholas in regno ſuo inſtituit p. 191. *fit monachus* 197. *à Penda occiditur* 198.
Saxburga *Viſiſaxonum regina* 223.
Simoniaci primi in Anglia 218.
Sebba *Orientalium Saxonum rex monachus effectus brevi poſtea moritur* 255.
Sighardus *&* Senofredus *Orientalium Saxonum reges* ibid.
Suabertus *Cantii rex* 244,253.
Selredus *Orientalium Saxonum rex* 260. *occiditur* 281.
Suetbertus *&* Suithredus *Orientalium Saxonum reges* ibid.
Sedulius *epiſcopus Britanniæ de genere Scotorum* 264.
Sigebaldus *Viſiſaxonum rex* 279.
Schola Anglorum Romæ ab Ina rege exſtructa 268,269.
Suabertus *Cantii rex* 244,253.
Sigebertus *Viſiſaxonum rex pulſus & occiſus* 287.
Suidbertus *Anglus in Germania prædicat* 254.
Sirigis *rex Pictorum caſus* 73.
Sigefridus *Daniæ rex* 297.
Suibertus *Anglus primus Verdæ epiſcopus* 309.

T.

TRemorinus *epiſcopus merum Galfridi figmentum* p. 47, 48.
Tathæus *vir ſanctus & doctus* 44.
Theliaus *ſit Llandaviæ epiſcopus* 64. *& urbis Legionum* 100,136.
Titillus *Orientalium Anglorum rex* 115,134.
Theodericus *dux Saxonicus Guignetum in Cornubia trucidat* 20.
Theodericus *Northumbriæ rex* 115,116.
Theodericus *Glamorganiæ rex bellicoſus* 121,148,149.
Thaliefſinus *Bardorum coryphæus* 95,122.
Theofredus *Idæ regis filius* 101.
Theobaldus *Adelfridi frater prælio cadit* 142.
Theodulphus *Northumbriæ rex* 110,113.
Tufa Edovini vexillum 175.
Theodorus *Archiepiſcopus in Angliam venit* 219. *bonarum literarum ſub eo incrementum* 224. *primus archiepiſcopalis juriſdictionis vigorem per totam Angliam exercet* 219. *Concilium Hertfordienſe celebrat* 224, 225. *& Hatfeldienſe* 233. *novos in Northumbrorum regno epiſcopos conſtituit* 227,228. *& in regno Merciorum* 233. *Concilium Tuifordienſe celebrat* 235. *ſenex pacis & concordiæ ſtudet* 243. *moritur* 253. *captam ab Honorio parochiarum diſtributionem perficit* ibid.
Trumovinus *Anglus Pictorum epiſcopus* 234,235.

U.

UTherus Pendraco *aut nullus, aut idem cum Arturio* p. 25,26,27.
Vortigernus *Britonum rex Anglorum opem implorat* 1,2,3. *inſulam Thanaten iis largitur* 7. *partem agri Lincolnienſis Hengiſto donat* 8. *ejus filiam Ronixam ducit* 10. *ſocero Cantium concedit* ibid. *contra eum Aelfordiæ pugnat* 12,13. *ejus pugna cum Guitelino & Ambroſio* 17. *cum Ambroſio pacem facit, ac regn. in*

regnum partitur p. 22. *cum Hengiſto poſt Vortimeri mortem de pace agit* 32. *captus libertatem tribus provinciis redimit* ibid. *unà cum inceſta filia ab Ambroſio ſuccenditur* 39. *ejus uxores & liberi* 40.

Vortimerus *Vortigerni primogenitus* 12. *patrem & Britannos contra Saxones inſtigat* ibid. *ejus quatuor prælia* ibid. *cum Hengiſto Ailsfordiæ æquo Marte pugnat* 13, 14. *tribus ab eodem prælio vincitur* 15, 23, 24, 31. *moritur poſt vicennale bellum* 31, 32.

Vodinus *epiſcopus Londinenſis occiditur* 32.

Uffa *primus Orientalium Anglorum rex* 73. *ejus ſucceſſores ab eo* Uffingi *dicti* ibid.

Virgarus *Cerdici nepos in Britanniam venit* 68. *vincit Britannos* ibid. *moritur* 98.

Vortiporius *rex à Gilda reprehenditur* 103.

Vorgreſius *abbas Glaſtonienſis* 137.

Vibba *Merciorum rex* 126, 152.

Ultanus *Furſei frater* 191.

Viniſreda *virgo præclara* 220.

Volpherus *Mercia rex paganus filios Chriſtianos interficit* 210. *fallus ipſe Chriſtianus eccleſiam Petriburgenſem adificat* 211. *cum Cenwalcho Viſiſaxone bellum gerit* ibid. *regem Adelwalchum de ſacro fonte ſuſcipit* 212. *Orientales Saxones per Jarumanum ad fidem Chriſtianam revocat* 217. *Simoniæ reus* 218. *cum Eſcuino Viſiſaxone conſligit* 226. *ab Egfrido rege villus Lincolniam amittit* ibid. *ejus mors & liberi* ib.

Vilfridus *cum Colmano diſputat* 214. *fit epiſcopus Eboracenſis* 217, 219. *ſede ab Egfrido pellitur* 227. *ejus pompa* ibid. *ejus ad Papam profectio, & benigna ab Adelgiſo Friſiorum rege ſuſceptio* 228. *regem Auſtraſiorum Dagobertum adit* 229. *in Concilio Romano cauſam obtinet, ſed ab Egfrido rege contemnitur* 230. *Auſtrales Saxones ad fidem convertit* 231, 232. *epiſcopatum recuperat* 243. *iterum ſede pulſus Romam petit* 257. *reſtituitur* 260. *moritur* 261.

Vidredus *Cantii rex* 244, 253. *datâ pecuniâ Inam placat* 255. *concilium Becanceldenſe celebrat* ibid. *& Berghamſtadienſe* 256. *moritur* 266.

Vina *epiſcopus Simoniacus* 211, 218.

Villibrodus *Anglus epiſcopus Ultrajectenſis* 254.

Villibaldus *Anglus epiſcopus Aichſtadienſis, & frater* Winibaldi *&* Walpurgæ 240.

Vinfridus *Anglus Germanos convertit* 282.

Villehadus *Anglus fit epiſcopus Bremenſis* 309.

W.

WIpped *&* Wippedſleete p. 23.

Winwid *fluvius &* Winwidfield 208.

Wirgeornesbrug 202.

Welleharenſe *prælium* 318.